



















Semina fermenti fermentum gignit et auget:
Pabula dissidii panis amicus habet.
Turbida sic puro nascuntur flumina fonte:
Datque malis magnis ianua parua viam.
Detege vela, precor, rerumque hic perspice caussas.
Hic hominum mores ingeniumque dole.

J. G. Hermannus.

Richter del. Bernigeroth sc.

M. IO. GOTTFR. HERMANNI
ECCLES. PEGAVIENS. MINISTRI

HISTORIA CONCERTATIONVM DE PANE AZYMO ET FERMENTATO IN COENA DOMINI

VARIIS COMMENTATIONIBVS EXPLANATA.

SVBIVNCTA EST
GRAECI THEOLOGI
DE CHRISTO PASCHA SVVM PRAEMATVRE
ATQVE IN PANE FERMENTATO CELEBRANTE
DISSERTATIO
A THEOLOGO LATINO
CENSORIIS NOTIS DISPVNCTA
PRIMVM PATAVII CIƆ IƆ CCXXX
NVNC ITERVM EMISSA
NOVISQVE ANIMADVERSIONIBVS AVCTA.



LIPSIAE
APVD IO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
M D C C XXXVII.



SVMMI AC SANCTISSIMI
ECCLESIAE SAXONICAE SENATVS
PERILLVSTRI
GENEROSISSIMO AC
SPLENDIDISSIMO

PRAESIDI

COMMVNI MVSARVM AMORI
DOMINO MEO
INDVLGENTISSIMO

ITEMQVE

ADSESSORIBVS

GRAVISSIMIS

VIRIS

ILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS
CONSILIARIIS
EXCELLENTISSIMIS
PATRONIS SVMMA OFFICII
RELIGIONE SVSPICIENDIS

LIBRVM
HVNC QVANTVLVMCVMQVE
D. D. D.
EVMQVE
MAGNORVM BENEFICIORVM
TESTEM
PIETATIS MEAE
OMNI MONVMENTO PERENNIORIS
SPONSOREM ATQVE OBSIDEM
ESSE
VOLVI DEBVI
TANTORVM NOMINVM

ADMIRATOR ET CVLTOR
SVBMISSISSIMVS

IO. GOTTFRIDVS HERMANNVS.

PERILLVSTRIS,
GENEROSISSIMEQVE DOMINE,

DOMINE

CLEMENTISSIME,

ILLVSTRES,

MAGNIFICI

ATQVE

EXCELLENTISSIMI

PATRONI SVMMA ANIMI OBSERVANTIA COLENDI,

SI trepidantius timidiusque VOBISCUM agerem, MAECENATES, facerem equidem, quod illis vſu venit, qui virorum illuſtrium merita propius

pius contemplati ad tacitam eorum admirationem rapiuntur; vereor tamen, ne idem ego beneficiorum a MAGNIFICENTISSIMO ORDINE VESTRO in me congestorum et testis, et praeco incredibilem indulgentiam VOBIS propriam ignorare viderer. At vero in animo altissimis defixa est radicibus tantae in me voluntatis memoria, qua me in gymnasio Grimmensi munificentia Regia optimarum artium studiis imbutum in clientelam recepistis, scholaeque vmbra vix egressum stipendio e praefectura Misenensi Musas meas subleuare, illudque, singulari prorsus beneficentiae VESTRAE significatione, in annos plures prorogare, nouaque, et ea insigni accessione augere constituistis. Ingratus profecto, omnisque officii expers sim, nisi haec tanta putem, quanta esse solent summa: non tam quod fuerunt beneficia rationibus meis pernecessaria, sed quod a VOBIS, DOMINI INDVLGENTISSIMI, profecta, quibus probari in prima laude ponendum. Cum igitur VOS equidem ab annis multis vitae

vitae pariter, et ſtudiorum meorum teſtes dicam? an approbatores habeam, cum animus praemiis huius modi, quaſi calcaribus, inſtigatus ſumma ope niſus ſit, ne liberalitatem VESTRAM ingrato patuiſſe iudicaretis; VOBIS optimo iure hoc, quicquid eſt, libri vindicatis. Munus eſt, fateor, perſona, quam ſuſtinetis, vilius, ac voluntate etiam mea inferius, ſed, cum induſtriae meae fructus quicumque VOBIS, PATRONI MAXIMI, omnino debeantur, immaturos, quam nullos in conſpectum proferre malui: quos vel ideo aliquo loco habebitis, quod ſunt primitiae mentis in ſpem meſſis amplioris, ſi fieri poteſt, excreſcentis, vel certe pietatis fideique erga VOS meae documenta. Qua de cauſſa a ſplendore VESTRO incomparabili ornamenti aliquid petere nullus dubito, qui ornamenta ac decus eſtis eccleſiae purioris, quorum et virtutum et doctrinae fama iampridem fines patriae, at merita famam longe transgrediuntur. Quibus quoniam par vel adeo ſuperior eſt iudicanda VESTRA in litterarum ſtudio-

ſos benignitas; ſpem ingredior fore, vt, ſi minus rem ipſam, meos tamen conatus, animique longe gratiſſimi teſtificationem naturae bonitatique VESTRAE obſecuti probetis, ac more VOBIS ſimili, hoc eſt, clementiſſime accipiatis. Ita autem mihi praeſidio VESTRO in poſterum etiam laetari liceat, meamque hanc voluptatem ſinatis eſſe perpetuam; vt VOS, VIRI meritis immortalibus EXCELLENTISSIMI, rei ſacrae quam diutiſſime ſuperſtites eſſe, VESTRISque curis felicitatem, conſiliis euentus proſperrimos reſpondere mens ſanctiore officii foedere VOBIS obſtricta exoptat. Valete!

PRAEFA-



PRAEFATIO

AD LECTOREM.

Cum in historia controuersiarum non illis tantum primae deferantur, quae grauius per se habent momentum; verum etiam bene magnam eius partem suo sibi iure vindicent, quae quantumvis natura sua leues atque a tenuibus initiis profectae, iusto tamen latius diffusae, animos odiis mutuis remque publicam variis turbarum fluctibus oppresserunt; nae ego illos aut memoriae priscae ignaros, aut certe iniquos rei existimatores esse duxerim, qui

cauſſam, in qua adumbranda operam poſui, inopem et ſcriptione minus dignam putent. Quam ſi momento ſuo perlibenter ad infimum ordinem reſcribo, bona tamen fide profiteor, diſceptationum omnium, in quas Latinos Graeci vocarunt, eſſe plane nullam, vel acriorem contentione, vel diſputatorum multitudine illuſtriorem, vel ſcriptis vtrimque peruulgatis diſſidiisque crebrioribus magis exercitam, vel publica diſceſſione ac diuturnitate temporis magis ſtabilitam, quam ea eſt, quae de pane non fermentato Graecos inter et Latinos peſſime emerſit. Non potuit igitur non mirum mihi accidere, multos, eosque nongregarios auctores, qui alienationis Graecorum a Latinis hiſtoriam iuſtis voluminibus expoſuere, vel vsque eo quaeſtionis de azymo fuiſſe negligentes, vix vt a limine eam ſalutarent; ſatis quidem pro leuitate cauſſae, ſed nimis parum pro ſummis eius motibus ac pertinacia: vel, ſi preſſius illam perſequerentur, non rerum, quae huc ſpectant, memoriam proderent, ſed turbis potius ſeſe admiſcerent. Quorum ſcriptis cum praebitam mihi, non praereptam animaduerterem hiſtoriae illius exponendae facultatem; maior etiam me ſuſcepti negotii amor, tamquam igniculis, inflammauit,

quod

quod litem de azymi antiquitate iuxta, ac perpetuitate in ecclesia Romana IACOBO SIRMONDO, IO. BONAE, IO. MABILLONIO, et IO. CIAMPINO, *at quantis viris? ansam dedisse obseruarem, exquisitum doctrinae apparatum in nouo quodam disceptantium foro publice exponendi: quam tamen litigii partem scriptores aut sunt omnino praetergressi, aut certe vix extremo, quod dici solet, digito attigerunt. Itaque cum dissensio ea de re per omne orientalium ab occidentalibus diuortium radices diffundat: cum scriptis sexcentis decantata ad octauum iam saeculum vixerit, neque etiamnum exaruerit: cum nouis virorum celeberrimorum exercitationibus patefecerit viam: cum denique Protestantes etiam in palaestra hac inter se digladientur; historiam tot concursationum ex propriis ac veluti domesticis fontibus haustam quantuliscumque ingenii mei riuulis augere institui. Nec nulla cum voluptate hoc, quicquid est, feci, propterea, quod cum stirpe ista alia non minus celebrata argumenta, quasi sororio nexu, coniunguntur: veluti,* de paschatis vltimi die a Christo antecapto, de fermento, antiquo eucharistiae nomine, de caussis secessionis Graecorum a Latinis, de Praesulum

fulum Romanorum commemoratione ex diptychis orientalium eiecta, de azymi in facris Latinis origine, de ritu diuerfo Chriftianorum in oriente aut fermentato, aut azymo confecrandi, de hoftiolis, *quas vocant*, fine fermento coctis, *atque eius generis plura: quae cum eximio funt loco difcreta ac feparata, tum copulata labori noftro effe poterunt tam ornamento, quam commendationi. Sed vereor, ne, dum collaudata argumenti dignitate iis refpondeo, qui me in muftaceo laureolam quaefiuiffe ducant, temere in alios incidam, qui me cauffa tam infigni inferiorem exiftiment. His vt occurram, indicanda eft occafio operae fufceptae. Commendauerat mihi in academia Lipfienfi verfanti eam pro argumento differtationis academicae Vir Illuftris,* IO. IACOBVS MASCOVIVS, *dulce illud litterarum omnium decus ac lumen, cuius beneuolentiam femper in fingulari felicitatis parte habui, multaque inftituti recte atque ordine perfequendi adiumenta attulerat. Tanto monitore excitatus, qua potui follertia opus aggreffus fum, vt Patronis et obfequii et ftudiorum ratio conftaret. At vero, vixdum coepta tela, diuino numine accidit, vt ad facerdotium in oppido Ofterlandiae obeun-*

dum

dum praeter omnem exſpectationem emitterer. Pleraque illic ex animi ſententia: id permoleſtum, quod, extra pauculos, qui in manibus erant, librorum praeſtantiorum, huic ſcribendi generi apprime neceſſariorum copia fontes ſectaturo denegabatur. Proinde in ſcriniis moles indigeſta latuit, donec, Deo duce, Pegauiam delatus Lipſiae, ampliſſimo librorum lectiſſimorum domicilio fierem finitimus. Reuixit hic, fateor, extremam operi manum admouendi ſtudium: cum id, quod deſiderabam, publicae iuxta, ac priuatae bibliothecae Lipſienſium, in quibus non poſſum, quin Virorum Excellentiſſimorum, IOECHERI et MENZII *propenſum in labore iuuando ſtudium praedicem, liberaliſſime ſuppeditarent: ita, vt in procliui eſſet, ad calcem tandem decurrere, ac tarditatem opuſculi magnitudine compenſare. Neue nihil, quod ad aliquam ſcripti commendationem pertineret, pro mea parte reliqui facerem; diſſertationem ex Italia transmiſſam, quae Alpes parcius transmigrauit, nec nouitatis gratiam etiamnum exuit, de qua infra ſingulari loco egi, in calce voluminis ad verbum deſcriptam variis animaduerſionibus pro virili illuſtraui. Quae quomodo cumque ceſſerint, Tuae, Lector Beneuole, humanitati*

tati commendo: et, si quando liberiore stilo rem persequi visus fuero, ad fidem historiae me scribere, neque historiam tantum, sed eam commentationibus adspersam condere voluisse arbitreris, ac paucioribus admixtis mendis, cum loci interuallo a prelo disiunctus fuerim, ignoscas velim, quae praecipua in extrema charta meo ipse indicio prodere, quam deprehendi malui. Ceterum praeclare de me actum putauero, si a rerum singularium copia destitutus, certe imagines ab aliis pictas in bono lumine collocasse, atque vel hoc pacto ad notitiam historiae de azymo in re sacra controuerso, atque incredibili Graecorum a Latinis alienatione faces quodammodo praetulisse videbor. Ita nec Virum Illustrem consilii, neque me obsequii, neque Te, Amice, lectionis poenitebit. Vale. Dabam Pegauiae, nundinis vernalibus Lipsiensibus. A. S. R. cIↃIↃccXXXVII.

PROOE-



PROOEMIVM.

QVod a mente teſtatoris ſummi vnum omnium maxime alienum erat, vt coena illa ſanctiſſima, ſocietatis Chriſtianæ conciliatrix, amorisque mirifici teſtis, varias ſententiarum diſtractiones pareret, id quidem pro incredibili hominum peruerſitate ita vſu venit, vt tot vulnerum cogitatio nec verbis ſatis exprimi, nec ſine acerbiſſimo ſenſu animum ſubire poſſit. Neque enim diſſimulatione tegam, quod orbis terrae teſtimonio et indiciis luce meridiana clarioribus comprobatur,tantam,quanta poteſt eſſe maxima, hac de cauſſa inter gentes Chriſtianas diſſenſionem intercedere, easque, ſi vsquam, hic certe, vbi multo indigniſſimum, inteſtina discordia diuiſos totis caſtris a ſe diſſidere. Fuiſſe in his quaeſtionibus quasdam

De inſtituto, ac libri diuiſione.

maioris momenti ab alterutra parte aut in litem vocandas, aut defendendas, res ipſa loquitur: at vero eas etiam, quae leuioris, vel, vt verius dicam, nullius ſunt ponderis, in medium protruſas, nimiaque pertinacia, ad rei ſacrae detrimentum, nominisque Chriſtiani dedecus, exercitas eſſe pro eo, ac debeo, grauiter fero. In quem numerum vel maxime, ſpero, referenda eſt peruulgata, et tot ſaeculis decantata controverſia de vſu panis fermentati, vel azymi in epulo longe ſacratiſſimo. Quam quidem ſi momento ſuo ponderem, nullam eſſe; ſin rerum euentu metiar, tot ac tantas in ciuitate Dei turbas dediſſe animaduerto, vt, quod de iſtis ſcriptores adferunt, aut falſo memoria proditum, aut certe fide maius eſſe videatur. Ecquis enim eſt, obſecro, ex omni eruditorum, quacumque patet, familia, quin compertum habeat, fuiſſe antea, cum res haec ſuo ipſa molimine pertenuis opinione latius ſerperet, tantaque animorum concertatione in litem vocaretur, vt, cum alteri ſine altercatione refellere, alteri ſine iracundia reſpondere haud poſſent, vtrique cauſſam leuiſſimam ingentibus animis armarent, quae

in

in medio erat, res ſacra male dilaceraretur. Satis iſthaec ſuperque patent, apparent cicatrices neque dum obductae, et animorum ea de re diſtractorum divortium diuturnitate temporis corroboratum potius eſt, quam fractum. Cum vero hominum, qui controuerſiae illius partem attigerunt, duo ſint genera, eaque a ſe multo diuerſiſſima, *vnum* eorum qui de alterutrius panis conſecrandi vel neceſſitate vel dignitate diſputant, *alterum* illorum, qui, ipſo rei momento poſthabito, de antiquitate azymi in eccleſiam occidentalem ſurrogati varia et ancipiti contentione diſtringuntur; equidem obſcurum puto eſſe nemini, eos qui in arenam hanc deſcenderunt, nec eiusdem fuiſſe peruicaciae, nec eamdem viam ingreſſos, rationemque ſecutos. In tanta tot concertationum celebritate, virorumque, qui in palaeſtra hac ſollertes ſe ſe dederunt, et frequentia et nobilitate, operae pretium me facturum putaui, ſi omnium, quae huc ſpectant, diſceptationum hiſtoriam ante oculos ponerem, et obſeruationibus adiunctis, ſicubi viſum fuerit, eidem lucem aliquam adfunderem. Cum primum igitur animum ad ſcribendum appuli,

quod bene iuuante Deo feliciter mihi eueniat, velim, id mihi potiſſimum negotii datum eſſe duxi, vt per vaſtiſſimam annalium ſiluam vagatus, quae in rem hanc eſſent, decerperem, vnoque, quod aiunt, faſce collecta in apricum proferrem. Hac mente iter inſtitutum, quo par eſt, ordine perſecuturus, et ſuis quamque coloribus cauſſam deſcripturus, certos mihi fines conſtituam, quibus oratio contineatur. Liber erit omnis diuiſus in partes quatuor. Quarum *vna* antiquiſſimas, ſi quae fuerunt, de panibus vel fermentatis vel ſine fermento conſecrandis quaeſtiones euoluet: *altera* celeberrimam et ad annum prope ſeptingenteſimum ea de re exagitatam controuerſiam Graecorum cum Latinis ediſſeret, adiectis partium argumentis: *tertia* in enarrandis recentioribus Chriſtianorum occidentalium eadem de cauſſa diſſenſionibus, et in explicandis, quibus vſi fuerunt, rationibus verſabitur: *quarta* denique momentum controuerſiae ad praecepta et inſtituta praecipuarum nominis Chriſtiani eccleſiarum examinatum ponderabit.

PARS I.

PARS I.

QVAESTIONES ANTIQVISSIMAE DE PANE FERMENTATO AVT AZYMO CONSECRANDO.

CAPVT I.

AN SAECVLO I. EA DE RE MOTA SIT QVAESTIO?

§. I.

§. I. Ab apostolis ipsis ideo quaestionem excitatam fuisse, non est veri simile.

Campum amplissimum ingressos, et historiam fermenti in sacra coena controuersi a fonte deducturos in ipso operis limine prisca temporum memoria ad se vocat, vbi dissensionis huiusmodi, si quid odorari licuerit, vestigium atque incunabula indagabimus. Missam hic scientes prudentesque facimus quaestionem, quo panis genere in conuiuio extremo Christus, et ex eo tempore coetus piorum in memoria mortis Iesu colenda vsus fuerit, quod cum est ab hoc loco disiunctum, tum vero infra a partibus satis multumque excutietur. *a*) Nostrum est, non

a) *Part. II. cap. VIII. §. 1. et cap. VIIII. §. 1.*

iam de origine diuersi in eucharistia panis dicere, sed natales controuersiarum inde ortarum primum omnium inuestigare. Proximis igitur post annis, quam Seruator optimus ex oculis mortalium discesserat, tam leui de caussa Christianos esse inter se digladiatos ex omni annalium vetustate, quoad longissime potest mens illius temporis spatium respicere, neque memoria, neque indicium illustrivs occurrit. Quod silentium, et, quae altius radices in animis piorum egerat, mira voluntatum conglutinatio argumento est, siue panem ab admixtione fermenti purum, siue fermento subactum, siue vtrumque promiscue vsui sacro destinauerint, eam consuetudinem fuisse vel omnibus communem, vel certe in libertate eorum positam. Quo quo modo se res habet, ea profecto est controuersiae leuitas, vt aegre constitui possit, ipsos Dei legatos, at quantos viros! sapientia ac virtute mirabiliter instructos partem eius attigisse. Video, fateor, nonnulla diuinitus perscripta litterisque caelestibus mandata, *b*) quae aliquam Paulli a Petro dissensionem docent, cum hic ritus a Mose traditos ad arbitrium Iudaeorum aliquantisper adseruandos, ille contra sine mora abrogandos esse statueret, veritus, ne gentes a Iudaicis moribus abhorrentes

b) *epist. ad Galat. cap. II. 11. et 14.* collato *Act. XV. 1. sequ.*

disci-

disciplinae seuerioris lege turbarentur. Satis haec est perspicua veritas, et clauo, quemadmodum dicitur, trabali ita fixa, vt nec HIERONYMI, *c*) nec CHRYSOSTOMI *d*) quantacumque auctoritas contraria vel loco mouere, vel infringere eam possit. Neque enim ex animo, sed ficto tantum vultu Petrum a Paullo reprehensum esse censent, vt per simulationem huius detestationis rituum Iudaicorum Paullus gentes, in quarum conspectu res gesta, sibi conciliaret. Id, quod HIERONYMVS *e*) exemplo eorum illustrat, qui, vbi aduocati veniunt, *omissis saepe negotiis, in proprias contumelias vertuntur, et ioculari se dente mordent*, ne fidem clientibus non faciant. Sed siue verbis epistolae ad Galatas datae *κατὰ πρόσωπον f*) in eam sententiam inductus, siue nimia, quam sibi finxit, Petri prae reliquis collegis auctoritate permotus, seu quibuscumque rationibus compulsus ea scripserit, scriptura diuina vna, quae contrarium diserte ibidem docet, LVTHERO *g*) aliisque, qui veritatis studio ducuntur, *h*) est

c) *Comment. in epist. ad Galat. cap. II. Op. Tom. VI. pag. 127.*
d) *Comment. ad eumdem locum pag. 991.*
e) *loco cit. p. 128.*
f) *Galat. II. 11.*
g) *Comment. in epist. ad Galat. cap. II. Op. nouiss. edit. Lips. Tom. XI. pag. 79. et 82.*
h) vid. BRENTII *Comment.* ad eumdem locum

pro centum millibus Hieronymis. Exploratum igitur eſt, caerimoniis a Moſe conditas diſſidiis feneſtram tum aperuiſſe, ſed in eiusmodi ritibus Iudaeorum, quibus antiquitus panis azymi annuus ac ſollemnis ſeptem dierum vſus adnumerabatur, exſtitiſſe et hunc de panis genere ad myſterium Chriſtianorum deligendo, tantum abeſt, vt decerni queat, vt vix, mea quidem ſententia, coniecturae locus relinquatur. Propterea haud mediocrem admirationem mihi mouet, quod NICOLAVS COMNENVS, *i*) non infimi ſubſellii ſcriptor veri eſſe ſimillimum putat, Petrum rituum Iudaicorum fautorem azymum retinuiſſe, contra ea Paullum, gentium Graecarum magiſtrum, abolitis foederis antiqui caerimoniis panem fermentatum aduocaſſe ea potiſſimum mente, vt a confinibus Iudaeis, quorum ſuperſtitio, quo minus remota, eo magis eſſet periculoſa, quam poſſet, longiſſime deflecteret. In qua adſeueratione nimium, licet, ſibi ſumſerit, confidentiusque egerit; neque tamen id molitur, vt ex illa, quam ſibi ipſe ſtatuit, panis ſacri diſſimilitudine contentionem aliquam iam tum proſiluiſſe adfirmet. Sed diſtinctam al-

Oper. Tom. VII. pag. 799. confer *de Petro a maligna ſimulatione vindicato* CL. IO. HERM. BENNERI *Otia ſacra, Giſſae, 1736. N. VIIII. p. 102. ſequ.*

i) *Praenotion. Myſtagog. Patauii, 1697. Reſp. III. Sect. V. §. 5. pag. 174.*

terutro

terutro panis genere coenam myſticam inſtruendi conſuetudinem a viris tantae auctoritatis diſſeminatam, et, nullo renuente, propagatam in ſuis quamque regionibus paullatim ſuccreuiſſe autumat, et ita autumat, vt in diſſona hac conſecrandi ratione tacitum concordiae concentum ſe ſe audire gaudeat. *Ita enim,* inquit, *k) ſanctiſſime factum vtrimque, maximorum Chriſtianorum reipublicae procerum auctoritate, vt vnam eccleſiam duplex ritus amice diuideret, Latinis in azymo facientibus, ſacrificantibus Graecis in fermentato. Quo pateret vtrobique aptam tanto myſterio materiem eſſe, et neque Paulli diſcipuli Petri diſcipulos accuſarent, neque Paulli diſcipulos Petri diſcipuli ſpernerent.* Quae quo modo ex fonte illo fluant, equidem ignorare me haud diffiteor; eo tamen animo, quicquid id eſt, adſcripſi, vt controuerſiam noſtram illo tempore a Chriſtianorum coetu abfuiſſe, non iam coniectura, ſed oculis paene ac manibus teneatur. Iidem enim illi, qui apoſtolos panis in coena diuina delectum habuiſſe tradunt, de diſputatione inde conflata quicquam adiungere, religioni ſibi duxerunt. Cui ſententiae adnectimus noſtram libenter, et hoc libentius, quod narratio de ſtabilito ab apoſtolis diſſimili panis vſu, praeter conſenſum incorruptae antiqui-

k) ibidem.

tatis producta, eodem apud nos eſt numero, quo reliquae nugae, quas bene multas de primoribus eccleſiae Chriſtianae patribus circumferunt. Proinde mittimus Graecos, qui nunc a Ioanne, nunc a Iacobo ritum panibus praefermentatis in coena Chriſti veſcendi arceſſunt. *l*) Mittimus Latinos quosdam homines opinioſiſſimos, et in his antiſtitem Romanum, cuius magna eſt apud ſuos et doctrinae et auctoritatis opinio, LEONEM VIIII. *m*) qui Petrum Romanis ſuis, vt volunt Latini, auditoribus vel adeo ciuibus panis azymi vſum ſacrum tradidiſſe, et de meliori commendaſſe perſuadere conantur. Et ſane fuiſſe in ea opinione permultos Latinorum, teſtis eſt Graecus quidam, *n*) in ſaeculum XIII. referendus, *o*) cuius nomen potius, quam ſcriptum latet.

l) vid. NIC. CVSAE Card. *Oper. Tom. II. edit. Pariſ. 1513. epiſt. VII. ad Bohemos fol. 18. b.* conf. *Part. II. cap. VIII.* §. 2. infra.

m) verba LEONIS adſcripſimus *Part. II. cap. VIIII.* §. 2. vbi plura hanc in rem, licet, inuenias.

n) cuius liber ſine nomine inſcriptus, *αἰτιάματα τῆς λατινικῆς ἐκκλησίας*, habetur in COTELERII *Monum. Eccleſ. Graec. Tom. III.* vbi ait: *οἱ Λατῖνοι τὸν μέγαν Πέτρον διαβάλλουσι καὶ ἁγίους πατέρας παραδοῦναι σφίσι τὸ ἄζυμον. pag. 508.*

o) vid. IOANN. BAPT. COTELERII *Monum. Eccleſ. Graec. loco cit. in notis p. 664.* & FRIDER. SPANHEMIVS *Hiſt. Chriſtianae Saecul. XIII. Oper. Tom. I. pag. 1714.*

§. II.

§. II.

§. II. A docteribus Iudaeo-Christianis motam esse, dubitamus.

Ad veritatis similitudinem propensior videtur esse coniectura, illos, qui e Pharisaeorum scholis eadem memoria in Christianorum castra transgressi gentes eodem cogendas sub iugum caerimoniarum Mosaicarum misisse dicuntur, *p*) cum reliquis tantum non omnibus hunc quoque azymi consecrandi ritum, si minus continenter, at paschatis tamen tempore et obseruasse, et praecepisse. Isti vt erant in diebus festis ac statis agendis, in ciborum discrimine habendo, *q*) in aliis moribus sancte tuendis consuetudinis a maioribus acceptae tenacissimi: ita easdem leges, quibus nihil prius antiquiusque habebant, aliorum quoque mentibus invsserunt, earum cultoribus vnis ex omnibus aditum ad salutem patere persuasuri. In quo errore refellendo bene magna pars litterarum Paulli ad Galatas datarum versatur. *r*) Res est clara et testata, varias ex hoc fonte emanasse contentiones, quae procellam initio leuiorem, mox immoderatam tempestatem excitarunt, cuius vim Paullus, quamuis virtute incredi-

p) *Act. XV, 1. et 10. et comm. 24.* in publicis concilii litteris: *ἠκούσαμεν, ὅτι τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον.* conf. epist. ad Galat. II, 4. V, 1.

q) *ad Coloss. II, 16. ad Gal. IIII, 9. et 10.*

r) *ad Gal. I, 6. sequ.*

bili

bili contra omnem fortunae impetum armatus aegre ſuſtinuit. *s*) Quae quam poſſunt explorata ſint, non eſt tamen quod ſigillatim noſtram etiam controverſiam his turbarum cauſſis adſcribamus. Multa potius animum faciunt dubium, vt difficile ſit conſtituere, vtrum panis azymi vſum praeceperint Phariſaeo-Chriſtiani, nec ne? vtrum omni loco ac tempore, quotiescumque ad epulum caeleſte accederent, an ſtatutis tantum temporibus panem ſine fermento conſecrari iuſſerint? an denique, quod CORESSIVS quidam, *t*) et alii Graecorum *v*) tradunt, vſque eo, quoad per homines Iudaicorum rituum amore captos & peſtiferis opinionibus infectos licuerit, eam ipſam conſuetudinem adamauerint? Incerta haec ſi quis certa ratione perſequi auſit, nae ego illum, ſubductis rationibus, multo incertiorem fore, puto, quam antea. Ita contractis velis in portu nauigare, quam variis coniecturarum fluctibus committi malumus.

s) *Act. XXI, 21. 27.* et ſequ.

t) cuius ſententiam *ἄλλο προσῆξαι τῇ Ἰουδαϊζούσῃ ἐκκλησίᾳ, ἄλλο τῇ καταδικαζούσῃ τὰ παλαιὰ νόμιμα καὶ τὴν ἐν Χριστῷ νεότητα ἀσπασαμένῃ* examini ſubiicit NIC. COMNENVS *loco cit. §. 2. p. 173.*

v) vid. NICOL. COMNENVS *Praenot. Myſtag. Reſp. III. Sect. V. §. 2. pag. 173.* vbi auctor libri, *ἱερὰ ὁπλοθήκη* ait: *πάλαι ἐν ἀζύμῳ ἡ ἐκκλησία σύμπασα ἱεροῦργει.* Cap. de Sacr. Myſt.

§. III.

§. III.

§. III. Ab Ebionitis, vt fert multorum opinio, profectam esse, itidem ambiguum.

Cerneremus vel aliquam faeculo I. disceptationis nostrae vmbram, si propius ad verum accederent, qui Ebionitas panis non fermentati in mysterio adhibendi necessitatem coetui sacro imponere voluisse loquuntur. Testis est EPIPHANIVS, *x*) eos quotannis mysterium coenae panibus azymis et aqua mera celebrasse. Hic vero, quod in faba pueri, se reperisse clamitant SCOTVS, *y*) et qui eum sequuntur, vt sunt fere iusto subtiliores, de schola homines. Ac primum quidem hoc ipso loco fixum esse, et ambabus se tenere putant, vtramque ecclesiam et Graecam et Latinam iam inde vsque a morte Christi panem azymum in coena sollemni comedisse: quod ipsum nec aliunde, quam ex dubio hoc EPIPHANII testimonio comprobant. Porro, vt, quam exorsi sunt, telam pertexant, haeresim corruptissimam Ebionis cuiusdam, adseuerant, praeter alios Iudaeorum ritus, quorum obseruationem cum doctrina noui foederis coniungendam esse

x) *Haeres. XXX. n. 16. pag. 139.* Μυστήρια τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου. Quae verba vtrum de consuetudine panes azymos consecrandi antiquitus recepta doceant, nec ne, in vtramque partem disputabitur *Part. III. cap. III. §. 3.*

y) *Distinct. libr. IIII. dist. XI. quaest. VI. p. 53.*

puta-

putauerit, z) etiam fermentum ex pane sacro eucharistico quadam necessitatis opinione ductam exclusisse. Aegre id tulisse piorum gregem, et, ne quid forte cum impio Ebionitarum manipulo commune habere videretur, bene ac sapienter pristino azymi vsui nuntium misisse, arcessito ad tempus in mensam domini pane fermentato. Ac, ne forte quaeras, quare nec hodie eo panis genere omnis ecclesia vtatur, ecce tibi nouum repente commentum, quo se se citius, quam melius expediunt. Sepulta Ebionitarum secta Latinos, quod sine periculo facere potuerint, ad priscum azymi consecrandi morem reuertisse, ferunt; at Graecos, quem eadem de caussa amplexi erant, morem pani consecrando fermentum admiscendi tenuisse constantissime. *a*) At! at data sunt aut illis, aut nobis ab ipsis verba. Quae enim dictis fides? Eruditis sane eiusmodi somniorum conditores quasi surdis narrant fabulam. Iure nempe iam pridem explosa est narratio *b*) vt, qui

z) vid. EVSEBIVS *Histor. Eccles. lib. III. cap. XXI. edit. Paris. 1571. p. 56.* vbi et sabbatum, et reliquam Iudaeorum institutionem, et diem dominicum Christianorum eos obseruare scribit. conf. THEODORETVS *Haeret. Fabul. lib. II. Oper. Tom. II. pag. 274.*

a) conf. SAMVEL. BASNAGII *Annal. Politico-Ecclesiast. Tom. II. pag. 626.*

b) adi IO. BONAE Card. *Rer. Liturg. lib. I. cap.*

simul-

ſimulacris iſtis deceptus controuerſiae aliquid ſibi ipſe finxerit, nihil agere, vel, vt molliſſime dicam, operam ludere videatur. Eiusdem ſunt cenſus, quae paullo aliter Graeci fabulantur. Tradit THEODORVS PRODROMVS, c) Ebionem pane fermentato e ſacris eiecto azymi conſecrandi neceſſitatem in regionibus, quae ad orientem ſpectant, vtrumque panis genus promiſcue adhibentibus docuiſſe. Cuius erroris in ipſo partu ſuffocandi cauſſa, patres prudentiſſimos in contrariam potius partem tranſiiſſe, admiſſo in ſacra ſolum pane fermentato, eaque ra-

XXIII. edit. Col. 1674. pag. 367. itemque *epiſtolam ad* MABILLONIVM miſſam in IO. MABILLONII *Oeuvrages Poſthumes Tom. I. lib. II. pag. 93.* IGNAT. HIACYNTH. AMAT. DE GRAVESON *Hiſt. Eccleſiaſt. Saec. VIIII. Colloqu. III. edit. Venet. 1726. Tom. III. pag. 158.* IACQVES BASNAGE in *Hiſtoire de l'Egliſe lib. XIIII. cap. III. tom. II. pag. 819.* Quod idem commentum Romanae eccleſiae vitio vertit HARTM. SPRINGLIVS *Tract. de hodiernis haereſibus P. II. lib. II. cap. III. p. 426.*

c) *in Canon. Apoſtol. LXX.* Χρὴ δὲ εἰδέναι ὅτι Ἐβίων πρῶτος ἐδίδαξε μόνοις ἀζύμοις ἱερουργεῖν, καὶ τοῦτο πρῶτον παρ' ἡμῖν. Ὅπερ ἀφοσιούμενοι οἱ τότε πατέρες οἱ τοῖς ἐν χερσὶν ἄρτοις ἱερουργοῦντες, ἤτ' ἀζύμοις, ἤτ' ἐνζύμοις, διέταξαν ἐν μόνῳ ἐνζύμῳ ἡμᾶς εὐχαριστεῖν καὶ ἱεροτελεῖν, ὡς τῷ αὐτῷ ἔργῳ καταδικάσωσι τὴν ἄνομον γνώμην, δεικνύντες, καὶ ἐν ἐνζύμῳ τελεῖσθαι τὴν ὑπεραγίαν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ θυσίαν. Cui ſententiae accedit Graecus quidam in libro, cuius index eſt: Ἱερὰ ὁπλοθήκη, Ἐπεὶ συνῆλθον αἱρετικοὶ λέγοντες, ἀναγκαῖον ἐν ἀζύμῳ τελεῖσθαι τὰ ἱερά, ἐφιλοτιμήθη τὸ ἔνζυμον, ὡς ἐναντίον τῷ κακῷ δόγματι.

tione

tione publicum omnibus dedisse documentum, posse etiam pane fermentato rem diuinam fieri. Facile apparet, in tanta meliorum testium inopia, neque hanc paucorum subleстае fidei hominum adsertionem eam esse, quam sequamur, neque in Christianos eius temporis cadere, eos vitii vitandi caussa in partem aduersam raptos eodem interuallo a vero aberrasse.

CAPVT II.

AN SAEC. II. ET ILLI PROXIMIS CONTROVERSIA EMERSERIT?

§. I. Alexandr. I. Pontif. de azymo consecrando legem tulisse contra multorum adsertionem negamus.

§. I.

Diuersam ab hac rationem ineunt, qui, sentio, quam sint multi, viri eruditiores, qui Ebionitas pani sacro mutando ansam dedisse non tantum adstruunt, sed etiam factae immutationis auctorem in medium proferunt Alexandrum I. rerum sacrarum apud Latinos, saeculo II. ineunte, antistitem. Ducit hanc scriptorum familiam MARTINVS POLONVS, qui de Alexandro I. scribit: *d) hic statuit, vt vino aqua in missa misceretur ad designandam vnionem Christi et ecclesiae: et vt oblata fieret ex azymo et in modica quantitate.* Cuius locum, si suspectus quibusdam esse videatur, occupat BARTHOLOMAEVS

d) Chronic. in vita Alex. I. quem locum ex codice MSto membranaceo, qui in bibliotheca Illustris BAVDISII Lipsiae adseruatur, et aetatem fert, descripsi *fol. 17. b.*

PLATI-

PLATINA, e) qui *oblationem*, ait, *ex azymo, non autem ex fermentato, vt antea, fieri mandauit, quia hoc modo purior haberetur, et Ebionitis haereticis calumniandi occasio auferretur.* Hunc sequitur eiusdem sententiae adstipulator, MARC. ANTON. COCCIVS SABELLICVS, f) qui *consecraturus*, inquit, *primus aquam vino miscuit, instituitque, vt oblatio ex azymo, non fermentato, vt antea, fieret pane: hoc, vt purior materia esset, vel potius quia Christus azymo consecrasset: illud, vt Christus ecclesiae coniunctus significaretur.* Et iisdem paene verbis vtitur POLYDORVS VIRGILIVS, g) nisi quod et hanc rationem adiungit: *quia Dominus per Mosen praecepisset, vt omnis oblatio absque fermento fieret.* Hi fere sunt, qui Alexandrum I. de pane a fermenti admixtione libero in sacrificium offerendo legem sanxisse et adfirmant, et facti rationes adnectunt. In quibus ea est, quam PLATINA manifesto prodit, vt Ebionitarum conuiciis, quorum in vituperationem ob neglectum panis azymi populus Dei venerat, via obsaepiretur. Ex eadem scaturigine panis sacri immutationem deriuant Graeci nonnulli, in caussis, licet, adferendis, in diversum trahantur, BARLAAMVS, Praesul

e) *Histor. de vit. Pontif. Rom. in vita Alex. I. p. 17.*
f) *Ennead. VII. lib. IIII. Tom. II. p. 309.*
g) *de rerum Inuent. lib. V. cap. X. p. 438.* conf. IACOBI PHILIPPI DE BERGAMO *Chronicon lib. VIII. pag. 184.*

Gyracensis *b*) et GABRIEL SEVERVS: *i*) Ex Reformatis IO. CALVINVS *k*) diserte scriptum reliquit: *fermentatum et vulgarem panem fuisse ante tempus Alexandri, Romani Episcopi, narrant historiae, qui primus azymo pane delectatus est:* in cuius sententiam THEODORVS ZWINGERVS, *l*) aliique eunt. Ex Lutheranis non pauci, verbi caussa FRIDERICVS BALDVINVS *m*) NICOLAVS HVNNIVS *n*) IO. GERHARDVS *o*) IO. ADAMVS SCHERZERVS *p*) et, ne plures aduocem, IO. GVILIELMVS BAIERVS *q*) vno ore azymi originem ad Alexandrum I. referunt. Habent scriptores illi recentiores testimonia in illustri posita eorum, quos supra dixi, historicorum, quibus adsertionem sustineant, eosque de industria po-

b) in epistola *de vnione ad amicos in Graecia* missa, quam vide in *Biblioth. Patrum Max. Tom. XXVI. edit. Lugd. 1677. p. 4. sequ.* BARLAAMVS eo nomine refutatur a IO. BONA Card. *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. p. 370.*

i) *Differ. III. Graec. a Latinis*, cui fuse occurrit NIC. COMNENVS *Praenot. Myst. Resp. III. Sect. V. §. 6. p. 174.*

k) *Instit. Rel. Christ. lib. IIII. cap. XVII. §. 43. Op. Tom. VIIII. p. 380.*

l) *Theatr. Sap. Caelestis lib. IIII. cap. XVIII. p. 1100.*

m) *Casus Consc. lib. II. cap. XII. Cas. VIIII. p. 332.*

n) Abfall der Römischen Kirche *p. 141.*

o) *Loc. Theol. de Sacr. Coena cap. VI. Tom. V. p. 30.*

p) *Anti-Bellarmin. Disp. XI. Thes. III. p. 543.*

q) *Theol. Posit. Part. III. cap. XI. §. 6. p. 916.*

tius

tius, quam per negligentiam BELLARMINVM ignoraſſe autumo, qui CALVINVM ad hiſtorias in hac cauſſa prouocantem mendacii, neſcio quo iure, accuſat, et hiſtoricum, qui de Alexandro I. id tradat, eſſe quemquam, omnino negat, *r*) male propterea a CALVINI defenſoribus, THEODORO ZWINGERO, *s*) et SAMVELE BASNAGIO *t*) exceptus. Teſtium autem, quo CALVINVM ab iniuria BELLARMINI tuentur, praecipuus eſt PLATINA, cuius verba adduximus, et quem reliqui ſcriptores preſſo pede ſequi videntur. At enim nihil eſt, quod huc faciat, ſi ſubtiliorem PLATINAE explicationem audiamus, quae huc redit: primum non ſcribit PLATINA *primus mandauit*, ſed tantum, *mandauit:* tum, ſi vel maxime primus mandaſſe diceretur, inde haud fluit, id antea non fuiſſe in vſu, quia ſaepenumero ritus antiquiſſimi nouis decretis ſtabiliuntur: tandem admodum eſt ambiguum, vocesne additae, *vt antea,* in quibus cardo rei verſatur, de vſu panis fermentati, an de pane azymo explicandae ſint, id quod eadem paene opera, ſenſu plane diuerſo fieri poteſt. Quam expoſitionem PLATINAE magis conuenire, ex

r) *de Sacram. Euch. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. p.* 607.

s) *Theatr. Sap. Caeleſt. loc. cit.*

t) *Annal. Politico-Eccleſ. Tom. II. p.* 628.

eodem illo monſtrat NIC. COMNENVS. *v*) Verum, vt mittamus haec nimis, credo, ex longinquo repetita, vel ipſam CALVINI adſeuerationem ad hiſtoriae fidem examinantibus et reprehenſionem BELLARMINI perſpicientibus apparebit, Caluinum quaedam ab hiſtoricis eſſe tradita docere, de quibus omnino antiquitas muta eſt, licet mendacii labes ei a BELLARMINO adſperſa facile eluatur. Sed redituri iſthuc, vnde diuertimus, ea ipſa teſtimonia firmo fundamento ſuffulta eſſe, vel ideo pernegamus, quod neque rerum geſtarum ſcriptores antiquiores eius rei mentionem faciunt, neque in aliis Romanorum annalibus, aut vllis, vt ait IOANNES BONA, *x*) *actis legitimis* de hoc Alexandri inſtituto quicquam vnum eſt memoria proditum. Idcirco ſunt praeter Latinos pleroſque viri doctiſſimi ceteroquin a Romanis diſſentientes, qui haec omnia in fallacibus et fucoſis mercibus numerant. *y*) In tanta rerum varietate et ſententiarum inclinationibus, quae

v) *Praenot. Myſtagog. Reſp. III. Sect. V. §. 6. p. 174 & 175.*

x) *Rerum Liturg. lib. I. cap. XXIII. Op. Tom. II. p. 370.*

y) FRID. SPANHEMIVS *Hiſt. Chriſt. Saec. II. Op. Tom. I. p. 623.* IO. ANDR. QVENSTEDT *Antiqu. Bibl. Sect. III. Num. II. §. 3. p. 377.* IOACH. HILDEBRANDI *Sacra Publ. Vet. Eccleſ. p. 111.* IO. FRANCISC. BVDDEVS *Inſtit. Theol. dogm. lib. V. cap. I. §. 14. p. 1156.*

facul-

facultatem de ſtatuto Alexandri I. concludendi praeciderunt, ne veſtigium quidem vllum reliquum eſt, vbi controuerſiam eo iam tempore per Ebionitas de panis ſacri genere excitatam reperturi pedem figamus. Videtur igitur NICOLAVS COMNENVS, vt ſolet, coniectura potius, quam vi veritatis duci, qui multus eſt in exponendis et commonſtrandis eius generis litibus, quas iam tum vixiſſe credit, neque operae parcit, vti, quod eſt ſollemne incerta perſuaſuris, cauſſae laborantis vitium ingenii fecunditate compenſet. Cuius pigmenta malumus eius, quam noſtris verbis exponere. *Hinc Ebionitarum*, inquit, z) *calumniae reprehendentium orthodoxos, quod ab apoſtolorum temporibus deſciuiſſent, nec in ea materie ſacra peragerent, in qua Chriſtus ipſe ſe ipſum ſacrificauit. Nec deerant turbae in eccleſia, aliis nimirum amantibus priſca, aliis recentiora probantibus; vnde rixae, et ex rixis aditus haereſi. Igitur Alexander priſcum morem lege edita reuocauit, quo ſimul et orthodoxi cognoſcerent, non eſſe abrogandos mores maiorum, quod eos furor haereticus impetet, et haereticis poteſtas eriperetur nocendi eccleſiae per calumnias, queis, vtpote ob proximas maiorum conſuetudines, ſimilibus vero ſenſim in animos imperitorum illabebantur.*

z) *Praenot. Myſt. loc. cit.*

§. II. Saec. IIII. Apollinaristas pro azymo decertasse, dubium.

§. II.

In eumdem censum, opinor equidem, referendi sunt, qui sectam a duce ac primipilo, Apollinario dictam panis haud fermentati in sacro epulo necessitatem ferunt tradidisse. Illi a via regia doctrinae purioris in praecipitia abstracti fatebantur, vt a THEODORETO *a*) SOCRATE *b*) EPIPHANIO *c*) et SOZOMENO *d*) litteris proditur, Christi adscitum corpus fuisse anima, vel mente humana destitutum, ab aduentitia autem diuinitate animatum. Quod ipsum eos statuisse, si vel minime dubium esset, longissime tamen a veritate videtur abire, Apollinaristas hoc, quicquid est, vsu panis azymi in eucharistia, veluti tessera ac signo doctrinae publico declarasse. Ea scilicet ratione, vt fermentum, quasi animam panis, ex pane omnium sanctissimo abesse iuberent, quod corpus Christi in mysterio caelesti comedendum anima, siue mente humana caruerit. Ab his tamen impurissimis riuulis originem azymi panis in mensa sacra deducit PETRVS, *e*) Antiochiae, saeculo XI. Patriarcha, cuius vestigiis IERE-

a) *Hist. Eccles. lib. V. cap. III. Op. Tom. II. p. 199.* et *Haeret. Fab. lib. IIII. p. 280.*

b) *Hist. Eccles. lib. II. cap. XXXVI. p. 477.*

c) *Haeres. LXXVII.*

d) *Hist. Ecclesiast. lib. VI. cap. XXVII. p. 865.* conf. *Baronii Annal. ad a. 373. Num. XVIII. sequ. Tom. IIII. pag. 378.*

e) *Epistola ad Dominicum*, ecclesiae Gradensis,

MIAS

MIAS *f*) Antiſtes Conſtantinopolitanus inſiſtit. Planiſſime tandem ſaeculo ſuperiore mentem ſuam expoſuit, atque azymos panes ab impiis Apollinarii diſcipulis, ad errorem grauiſſimum longius latiusque diffundendum in epulum Domini arceſſitos eſſe docuit METROPHANES CRITOPVLVS, *g*) quem plerique Graecorum, vt in reliquis fidei capitibus, ita in hac quoque via etiam nunc itineris ducem ſibi deligunt. Nos a partium ſtudio alieni tantum abeſſe putamus, vt in eorum auctoritate adquieſcamus, vt maxime etiam incertum, atque adeo haud procul ab iniuria diſtare arbitremur, tam foedam taetramque huic ritui decernere parentem. *h*)

ſeu Venetorum Patriarcham in IO. BAPTISTAE COTELERII *Mon. Eccleſ. Graec. Tom. II. p. 130.*

f) in *Cenſura Confeſſ. Auguſt.* quae habetur in *Actis et Scriptis* THEOLOGORVM WIRTEMBERGENSIVM *et patriarchae Conſtantinopolitani* IEREMIAE *Gr. et Lat. editis Wittebergae a. 1584. vbi vide Reſp. II.*

g) in *Confeſſione Catholicae et Apoſtolicae Eccleſiae Oriental. Cap. VIIII. edit. Helmſt. 1661. p. 95.* τὸ ἄζυμον εὑρέθη πρῶτον ὑπὸ τοῦ αἱρεσιάρχου Ἀπολλιναρίου ἐπὶ κακῇ ἐννοίᾳ καὶ βλάβῃ τῆς ἐκκλησίας - - Ἐκεῖνος γὰρ δογματίζων τὸν κύριον σάρκα ἄψυχον καὶ ἄνουν ἀνειληφέναι, καὶ τὴν αἵρεσιν, εἰτ' οὖν βλασφημίαν ταύτην βεβαιῶν οὐ προσέφερε τῷ μυστηρίῳ ἄρτον, ἀλλ' ἄζυμα, φάσκων, ὅ τι ἡ ψυχὴ τῷ σώματι, τοῦτο ἡ ζύμη τῷ ἄρτῳ.

h) vid. IO. FRANC. BVDDEI *Diſſert. de Symb. Euchariſt. §. VII.* in *Parergis Hiſtorico-Theol. p. 16.*

§. III.
In concilio Nicaeno, vel saeculo proximo quinto, quaestionem de azymo subortam esse, in incerto ponimus.

§. III.

Concilium Nicaeam Bithyniae, saeculo IIII. auspiciis Constantini Magni, coactum, apparatu, quam rei euentu illustrius, non tantum in exstinguendis Arianae pestis flammis rei sacrae deflagrationem minantibus elaborauit, sed de paschatis celebrandi die vel EVSEBIO *i*) et NICEPHORO CALLISTO *k*) auctoribus, egit ac transegit. Nempe permulti ad id tempus Iudaeorum ritum in agendis paschatis diebus festis fuerant secuti, ac, nisi forte fallimur, a vero haud est auersum, magnam Christianorum partem, vt in computandis diebus paschati sacris, ita quoque in edendis eo tempore azymis aliisque ritibus ad rationem Iudaicam sese conformasse. Cui suspicioni CONSTANTINVS Imperator locum aperit, qui in tabulis publicis de obseruando concilii decreto ad ecclesias missis, quas SOCRATES, *l*) EVSEBIVS, *m*) NICEPHORVS, *n*) THEODORETVS, *o*) aliique descripserunt, non sane de die tantum, sed de aliis etiam ritibus cum Iudaeorum in-

i) *de vita Constant. lib. III. cap. VI. sequ. p.300.*

k) *Hist. Eccl. lib. VIII. cap. XVIIII. p.382.* conf. CENTVRIAT. MAGD. *Cent. IIII. cap. VIIII. p.650. Concil. Tom. I. p.511.* BARONII *Annal. Tom. III. p.344.*

l) *Hist. Eccl. lib. I. cap. VI. p.413.*

m) *in Vita Const. M. lib. III. cap. XVI. p.304. sequ.*

n) *Hist. Eccl. lib. VIII. cap. XXV. p.592.*

o) *Hist. Eccl. lib. I. cap. X. Op. Tom. II. p.151.*

stitutis

ſtitutis communibus monere ac praecipere videtur. In illis ſane exaratum hoc eſt: *ac primum quidem indigna res fuit, ſanctiſſimum illum diem imitatione atque conſuetudine Iudaeorum celebrare:* Et paullo poſt: *Itaque nihil nobis ſit commune cum infectiſſima Iudaeorum turba. Aliam ſiquidem a Seruatore accepimus viam. Propoſitus eſt ſacratiſſimae religioni noſtrae ſuus curſus, et legitima, quae illam deceat, regula, quam vnanimi conſenſu complectentes nos ipſos a foeda illa conſcientia et ſocietate retrahamus, fratres reuerendiſſimi.* Sed in eadem ſynodo de pane non fermentato e ſacris expellendo diſputaſſe praeſules congregatos, vel vllam eius rei mentionem feciſſe, aut omnino falſum, aut certe adeo eſt dubium, vt fruſtra ſit operam contriturus, qui ad hiſtoricorum teſtimonia confugerit. Cum enim illi ea de re muti ſint, qui laeuiſſima quaeque congreſſionis momenta deſcripſerunt, non erit ſane portus, quem ſubeant, qui in iſtam ſententiam coniectura nimis, opinor, temere feruntur. Nec vero non in breuia ac Syrtes propelluntur, quibus in conuentu Laodiceno de azymo a lautiſſima Chriſtianorum coena arcendo legem fuiſſe ſancitam placet, de qua erit, cum dicemus. *p)* Quin immo et illi ab auctorum veterum teſtimoniis denudati ſine cortice, vt ita loquar, natant, id quod in hiſtoria re-

p) infra *Part. II. cap. VIII. §. VII.*

rum vitio magis, quam laudi vertitur, qui varia de Eutychianis, aliisque saeculo V. ex hac stirpe enatis haeresium gregibus in istam rem corradunt. *q*)

§. IIII.

§. IIII. An saeculis VI. et VII. vel in Armenia, vel in synodo Trullana, vel in concilio Toletano XVI. ea de re actum sit, non liquet.

Nec defuerunt, qui saeculo VI. ineunte Niersem, Armeniae Patriarcham, concilio Theuinum conuocato, ad sempiternam factae a Graecis discessionis memoriam ac significationem ritus sacrificii veteres innouasse, atque in panis Graecorum fermentati locum azymum adoptasse, scriberent; at vero CLEMENS GALANVS, rerum Armeniae peritissimus narrationem in lubrico positam ipse prostrauit. *r*) Qua in caussa cum nos plane habet consentientes, tum non possumus, quin ab eodem ipso adlatam, priorique illi proximam adsertionem etiam in dubium vocemus. Narrat enim, vt et hoc leuiter tangamus, Ioannem Ozniensem, summum Armeniae antistitem, congressione cum episcopis Assyriis habita, saeculo VII. doctrinam de vna in Christo natura publice propositam arcessito in eucharistiam azymo illustrasse. *s*) Sed nec illud ad fidem

q) vid. CASPAR CALVOER *Rituale Sacr. Part. I. Lib. II. Sect. II. Cap. LIII. p. 586.*

r) *Conciliat. Eccl. Armen. cum Rom. lib. I. cap. X. in* IO. BONAE *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. p. 357.*

s) *loc. cit. cap. XVII. Synodum congregauit in vrbe Manaschierti in confinibus Harcanae prouinciae, vbi, conuenientibus cum Armenis sex Assyriis episcopis, de-*

facien-

faciendam ſatis eſt, opinor, accommodatum. Adſtipulatur quidem Ioannes Bona *t*) eidem adſeuerationi, cui ISAACI CATHOLICI ibidem paullo ante adducto teſtimonio robur accedere, ex iisque conſtare, putat, *azymum panem, et vinum ſine aqua ab Armeniis offerri coepiſſe in ſignum diuiſionis a Catholica eccleſia, et in ſymbolum haereſis Eutychianae:* Ac paullo poſt diſerte pronuntiat: *panis mutationem ex fermentato in azymum in eodem ſacrilego Oznienſis conciliabulo ſancitam fuiſſe.* Nos vero, circumſpectis omnibus, vel ideo hic nutamus, ſeu potius fluctuamus, quod miro haec omnia a reliquis ſcriptoribus ei aetati proximis ſilentio inuoluuntur, illi autem qui a nato Graecos inter et Latinos azymi litigio, et ab eo tempore, quo Latinos azymum ſacrificaſſe certo conſtat, Armenos pane fermenti experte in myſterio vti teſtificantur, nullam adſertionis ſuperioris mentionem adiiciunt. Eſt ſane in manibus auctoris cuiusdam ſine nomine libellus de erroribus eccleſiae Latinae a IO. BAPTISTA COTELERIO deſcriptus, *v*) qui Armenos nefando de Chriſti naturis errore captos fermentum a pane myſtico propulſare fabulatur: *x*) verum idem

finita fuit in Chriſto vna natura, vna voluntas, et vna operatio, fueruntque a ſacris ablata myſteriis, fermentum et aqua.

t) *Rer. Liturg. loc. adleg. p.357.*

v) *Monum. Eccleſ. Graec. Tom. III. pag.507.*

x) *N. LVIII.* Διὸ ἄζυμα προφέρουσιν, ὡς μὴ διπλοῦς

ille,

ille, quisquis eſt, ſcriptor, a quo is, quem PETRVS STEVARTIVS, *y*) protulit, non multum differt, Armenorum impudentiam ridet, qui vel a Gregorio Magno, hoc eſt, a ſaeculo exeunte VI, atque etiam altius a ſpatrum ſanctiſſimorum memoria, caerimonias eiusmodi repetere auſint. z) In qua eadem gentis Graecis omnium infeſtiſſimae opinione perimenda, NICEPHORVM quoque CALLISTVM *a*) occupari video. Cum igitur ſaeculo VII. Armenos azymum conſecraſſe SAMVEL BASNAGIVS *b*) non dicam dubitet, ſed adeo neget; multo minus integrum nobis erit, de azymi cauſſa in Armenia vel ante hoc aeuum agitata, ſine tabulis ac teſtibus, quicquam decernere. In Graeciam reuerſi incidiſſe diceremus ſaeculo VII. de pane euchariſtico quaeſtionem, ſi fides HVMBERTI, qui ſaeculo XI. floruit, tanta eſſet, quanta eſſe, cum perſuadet, ſolet. Vtique is princeps eccleſiae Latinae purpuratus, maximis de

ὁ θεάνθρωπος ὅλος ὑποληφθείη, μήδ᾽ ἔμψυχον καὶ ἔννουν τὸ πρόσλημμα· τὴν γὰρ ζύμην καὶ ὡς ψυχὴν ἀποτρέποντας. loc. cit.

y) *in not. ad* MAN. CALECAM *p. 432.*

z) Οἱ Ἀρμένιοι τὸν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας θεῖον διδάσκαλον, τὸν ἅγιον Γρηγόριον (διαβάλλουσι) διδάξαι αὐτοὺς τὴν ἄζυμον προσφορὰν, καὶ τὸ ἄνυδρον ποτήριον. *p. 508.*

a) *Hiſt. Eccleſiaſt. lib. XVIII. cap. LIIII. p. 1166. edit. Lat.* conf. LEON. ALLAT. *de Conſenſ. lib. III. cap. XVIII. §. VI. p. 1341.*

b) *Annal. Politico-Eccleſiaſt. Tom. II. p. 628.*

azymo

azymo disceptationibus inclitus, contra hominem Graecum disputaturus, iam pridem in synodo VI. Constantinopoli sub idem tempus celebrata, et a loco coitionis Trullana vocata, ab Augusto Graecorum, Constantino quaestionem de azymo motam esse, adfirmat, et Latinos reddidisse Imperatori de ritu azymum offerendi interroganti responsionem, eiusque moris subiunxisse rationes adeo certas, vt ipsi Graecorum Imperatori Latinus consecrandi modus probaretur. Constantino enim ex legatis quaerenti, *qualiter Romana ecclesia de sacrificio corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi ordinem teneret?* legatos responsum dedisse ferunt: *oblatio, quae in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut beata virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit et peperit, -- sic et oblatio munda debet esse a fermento - - Tunc placuit piissimo principi Constantino haec traditio apostolicae sedis*, vt refert HVMBERTVS. *c*) Huc spectant credo, quae Graecorum nonnulli, quos adfert LEO ALLATIVS *d*) HILARION inprimis *e*)

c) in *Responso aduersus Nicetam Pectoratum* in BARONII *Annal. ad calcem Tom. XI. p. 801.* conf. CENTVRIAT. MAGDEB. *Cent. VII. cap. VI. p. 152.*

d) *de perpetua eccl. orient. et occid. consensione lib. I. cap. XXVI. §. 3. p. 454.*

e) cuius λόγος περὶ ἄρτυ μυστικῦ τῶν Ἑλλήνων καὶ ἀζύμυ τῶν Λατίνων primum editus est a IO. MEVRSIO

contra

contra eos, qui eodem tempore legem in azymi Latini vſum latam eſſe dicunt, quam eos circumferre infra memorabimus, *f*) de ſumma Graecorum hac in re conſenſione narrant: fuiſſe rem diuinam in aede Sophiae Conſtantinopoli, abſoluta illa ſynodo, more Latino factam, et ritum conſecrandi panem azymum ab omnibus Graecis collaudatum. *g*) Quod ipſum, cum ad demonſtrandum Graecorum & Latinorum in cauſſa noſtra antiquum concentum a ſcriptoribus quacumque fide adducitur, et a Graecis huius eiusdem concilii decretum contra azymi vſum, proferentibus infringi ſolet; tum alterum illud HVMBERTI dictum veritati reſpondere quam minime reor, quaeſtionem publice de azymo Latinorum in ea iam ſynodo inſtitutam eſſe. In concilio Toletano XVI. hoc ipſo ſaeculo de panibus nitidis et ſtudio praeparatis in aram domini offerendis et conſecrandis men-

in *Var. Diu. Lugd. Bat. 1619. p. 133. iterum* a LEONE ALLATIO cum verſione Latina in *Graeciae orthodoxae Tomo I. Rom. 1652.* p. 655. ſeq. Hunc vero ad modum HILARION: περὶ τῆς ἕκτης συνόδου ἀνέγνων, τοὺς πατέρας μετὰ τὸ ἀποδοκιμάσαι τὴν τῶν Μονοθελητῶν αἵρεσιν, τῇ ὀγδοάδι τοῦ πάσχα, ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει ἐν τῷ ναῷ τῆς ἁγίας Σοφίας τῷ Θεῷ χάριτας χαριζομένους ἑορτάσας λατινικῶς, ἐπαινέσαντων ὅλων τῶν Ἑλλήνων τρόπον τῆς θυσίας λατινικῆς.

f) canon ſynodi VI. Trullanae adſcribitur *Part. II. cap. VIII. §. VII.*

g) HILARION loc. cit.

tionem

tionem iniectam fuisse patet. Praecipit enim canon synodi sextus, vt panes nitidi consecrentur, reiicitque morem illum sacerdotum in Hispania, *qui de panibus suis vsibus praeparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare pro sacro libamine ponant.* b) Sed quis est, qui per panes nitidos eos hic intelligendos esse doceat, qui fermento carent? Id vero plane absonum, querimoniam, quae iam tum de re leuissima intercesserit, velvti nodum in scirpo quaerere.

CAPVT III.
AN SAECVLO VIIII. ET X. CONTROVERSIA APPARVERIT, DISPVTATVR.

§. I.

§. I. An Caroli M. tempore controuersia vixerit, incertum.

Referenti porro animum ad saeculi proximi VIII. memoriam nihil, quod huius sit loci, memoratu dignum obuenit. Sed saeculi VIIII. annales quo minus tacitus praetergrediar, viam praecludunt haud pauci e Graecis scriptoribus, qui controuersiae nostrae radices hic defixas, et virgula, vt est in prouerbio, diuina a se exploratas ostentant. Hi vero, Vandalis siue Francis Romam delatis, oras Latinas quasi pestilenti quodam sidere adflatas, erroribusque infectas esse narrant: hunc morbum regiones occidentis perua-

b) vide infra *Part. III. cap. II. §. V.*

sisse

fiſſe, et ſacra Romanorum adhuc intaminata polluiſſe. Hinc illae, vt putant, lacrimae: hinc tot caerimoniarum deprauationes, quarum principem faciunt triſtem panis azymi adoptionem: hinc, ſeges fecundiſſima conſuetudinum adulteratarum, quas caſtas, et illibatas, atque adeo diuinitus datas, ſeruatasque eſſe Latini glorientur. Diſcimus hoc non modo generatim ex litteris PETRI antiſtitis Antiocheni *i*) ad Cerularium datis, ſed etiam ſigillatim de azymis eodem tempore per Vandalos in aram domini delatis NICETAS SEIDVS, *k*) et ATHANASIVS CYDONIVS queritur, *l*) et iisdem propemodum verbis MARCVS EPHESIVS. *m*) Quibuscum GRAECVS, neſcio quis, nomen enim latet, coniungi poteſt,

i) ALLATIVS *de Conſenſ. lib. III. cap. XII. §. IIII.* p. 1115. et CAESAR BARON. *Annal.* ad a. 1054. Num. XXXXI. Tom. XI. p. 229.

k) Εἶτα Βάνδαλοι τῆς Ῥώμης κρατήσαντες πρὸς τὰ σφῶν ἤθη μετήνεγκαν ὑμᾶς, καὶ ἐξ ἐκείνων παρελάβετε τὰ μέχρι τοῦ νῦν ἐλαττούμενα, καὶ ἐν ἕξει τύπων γενόμενοι ὑπερμαχεῖτε τῆς ψευδοῦς παραδόσεως, ὡς ἀποστολικῶν καὶ θείων δογμάτων συνήγοροι καὶ τὸν μακρὸν χρόνον εὑρόντες. apud LEON. ALLATIVM *de Conſenſ. lib. II. cap. I. §. 2. p. 477.* et *lib. III. cap. XII. §. IIII.* ex eodem: Τίνα δὲ, ἅπερ ἐξ ἐκείνων παρελάβετε; vbi additur: τὸ ἄζυμα προσάγειν. *p. 1112.*

l) *Opuſc. de ſeparatione eccl. Rom. a reliquis patriarchis* ibidem p. 478. ἤρξαντο διαστρέφειν τὸν λαὸν τοῦ Θεοῦ - - καὶ ἄζυμα θύεσθαι.

m) ibidem Cap. VI. §. 3. p. 571. ſequ. οἱ οὖν ἀπὸ Φραγγίας ἐλθόντες αἱρεσιάρχαι ἐκεῖνοι κατὰ πολὺ τὸν τοῦ Θεοῦ λαὸν ἐλυμαίνοντο.

cuius

cuius testimonium in libro manu scripto IOANNES BONA in bibliotheca Barberina euoluit, quod ipse confitetur. *n*) Adfirmant igitur ineunte saeculo VIIII. cum rerum sacrarum summa in occidente penes Leonem III. esset, Carolo Romam profecto comites viae adfuisse homines sacri ordinis multos, *o*) eosque Arii et Apollinarii sordibus inquinatissimos: quos eosdem vrbem ingressos populum Dei nouis opinionibus imbuisse, et panem haud fermentatum ad rem diuinam faciendam adhiberi iussisse. Cui audaciae, cum in auctoritate Caroli Imperatoris eadem contagione infecti et in partes illorum iam pridem pertracti multum praesidii fuerit, tanto erroris fluctu facile Italiam fuisse omnem inundatam. Quae satis peruulgata Graecorum sententia, de cuius origine nihil est, quod laboremus, *p*) si tam vera esset, quam videtur esse falsa et commentitia, iam eo tempore contentione districtos animos inter se de quaestione hac dimicasse haud tenui argumento patefieret. At nihil est horum omnium.

n) *Epist. ad Io. Mabillonium* in eius *Ouvrages Posthumes Tom. I. Lib. II. p. 95.* Conf. MABILLONII *Dissert. de pane azymo et fermentato Cap. V.* ibidem *p. 124.*

o) BARONII *Annal. ad a. 774. Num. II. Tom. VIIII. p. 351.*

p) coniecturam prodit JACQVES BASNAGE in *Histoire de l' eglise Tom. II. lib. XIIII. cap. III. §. 6. p. 821.*

Nempe actum est, ilicet, de omni fabula, et conclamatum propterea, quod nec vergente saeculo VIIII. Photii aetate illius controuersiae primordia, vt est iam iam dicendi locus, apparent.

§. II.

§. II. An a Photio lis ea Latinis indicta fuerit, a vero videtur abesse.

His me extricatum alia, nec ignobilis testium corona cingit, qui, exeunte saeculo VIIII. controuersiam nostram non iam demum pullulasse, sed excreuisse obtrudunt. Fuit omnino, si vmquam, hac certe tempestate vehementissima Graecorum a Latinis discrepantia. Photius creatus semel iterumque *q*) patriarcha Constantinopolitanus Latinis non minus de leuissimis, quam de grauioribus caussis dicam scripsit. *r*) Ei numero admiscent caussam azymi eucharistici in discrimen, quemadmodum censent, deductam, eamque ceteris non iam quasi appendiculam quamdam adiiciunt, sed vltra progressi, vel palmariam omnium fuisse, vel certe proximum primae illi de Spiritu sanctissimo quaestioni locum tenuisse ad-

q) PHILIPPI CYPRII, *Protonotarii Constantinop. Chronicon ecclesiae Graecae p. 6 et 7.*

r) MAIMBOVRG *Histoire du Schisme lib. I. Tom. II. p. 79. seq.* MABILLONIVS *Tom. II. Annal. Bened. lib. XXXVI. §. 68. ad a. 867.* BARONIVS *Annal. ad a. 867. Num. LXIIII. Tom. X. p. 368 et Num. LXVII. p. 369.* vbi scribit: *Quid Momus iste praetermisit, vt in occidentalem ecclesiam quauis occasione inveheretur?*

seue-

ſeuerant. Ita BARLAAMVS, Praeſul Gyracenſis epiſtola ad amicos in Graecia de coniunctione eccleſiae Romanae miſſa s) diſſenſionem Graecorum a Latinis Photii tempore duabus potisſimum de cauſsis coepiſſe innuit, quarum vna fuerit quaeſtio de Spiritu Sancto, altera de pane fermenti experte. Alii, ne fidem non faciant, hanc fere narrationis explanandae rationem ineunt. Photium de gradu antiſtitis Conſtantinopolitani deiectum, ſpe auxilii a Praeſule Romano impetrandi, in Italiam appuliſſe; Romamque delatum, praeter alia, abſonam ac deteſtandam, ita nempe loquuntur, panis haud fermentati in myſterio conſecrationem oculo curioſo obſeruaſſe. Qua re animaduerſa non potuiſſe, quin in patriam redux factus de tanto ſcelere, cuius ipſe teſtis oculatus eſſet, populum fidei ſuae commiſſum faceret certiorem. Indignum hoc viſum fuiſſe omnibus, ac tantae foeditatis, abſit verbo inuidia, vti pontificis Romani nomen, niſi quam maturrime haec omnia ſanarentur, e precibus publicis ac ſacris ſollemnibus eiiciendum eſſe communi conſilio ſtatuerint; omnes vero, quicumque alio, quam fermentato pane in conuiuio caeleſti veſcerentur, a ſacris et ab omni piorum communitate minis acerrimis perterritos arcendos putauerint.

s) quam vide in *Biblioth. Patrum Max. Tom. XXVI. p. 4. ſequ.*

Quod, cum ceteris, MAXIMVS MARCVNIVS *t*) cantat. Eſſet, credo, aliquo apud me pondere hominum iſtorum auctoritas, niſi LEO VIIII. Pontifex non multum ab ea aetate remotus opponeret, non minorem dicam, an potius longe maiorem? ſuam. Is videlicet Cerulario, qui haud ita multo poſt, pani fermentato veniebat aduocatus, atque aduerſus azymum cauſſam dicturus in arenam palam deſcendebat, huic, inquam, principi azymorum obiurgatori id quam maxime ad aurem ſemper obgannit, quod primum in hanc Latinorum conſuetudinem telum iacere, et, quod nemo in omni memoria vmquam tentauerit, ritum vel ipſa antiquitate ſanctum violare auſus fuerit. In

t) *Dialog. Graeci cum Latino* apud L. ALLATIVM de Conſenſ. lib. II. cap. VI. § 9. p. 589. ἀναθέματι καθυπέβαλον τοὺς δογματίζοντας καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τοὺς ἄζυμα εἰς θυσίαν προσφέροντας. Rem, vt geſta eſt, fuſius perſcribit AVCTOR *libri de initio haereſis apud Latinos:* Ἐπὶ δὲ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ σοφοῦ κατεβιβάσθη ἀπὸ τοῦ θρόνου τοῦ πατριαρχικοῦ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὁ κύρις Φώτιος, ὁ πατριάρχης, καὶ ἀναδραμὼν πρὸς τὴν Ῥώμην, ὡς ἀκμὴν ἔχων ὁ Πάπας τὴν ἔγκλητον, ἐζήτει βοηθείας καὶ ἀνακλήσεως παρ᾽ αὐτοῦ τυχεῖν. Χρονοτριβήσας οὖν ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ μαθὼν πάντα ἀκριβῶς τὰ παρ᾽ αὐτῶν τελούμενα, ἤγουν τὴν τοῦ ἀζύμου λειτουργίαν, καὶ ἄλλα τινὰ ἔξω πάντη τῆς ὀρθοδόξου καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας. Εἶτα ἀποσωθεὶς ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ συνόδου γενομένης, ἐφανέρωσε ταῦτα τοῖς πᾶσι, καὶ ἀπεκρίθησαν πάντες ὁμοῦ οἱ ἀρχιερεῖς, ὅτι ταῦτα πάντα ἐθνικὰ ὑπάρχουσι, καὶ ἔξω τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ εἰ μὴ διορθωθῶσιν, ἂς ἐκβληθῇ τὸ μνημόσυνον τοῦ πάπα ἀπὸ τῶν διπτύχων. Ibidem cap. V. §. 1, p. 553.

litteris

litteris sane ad eumdem Cerularium et Leonem Acridanum, duo illa huius belli fulmina, perscriptis, v) *de noua praesumtione, atque incredibili audacia* admodum queritur, additque: *ecce iam post mille ac ferme viginti a passione Saluatoris nostri annos incipit per vos discere Romana ecclesia, qualiter memoria passionis eiusdem sit recolenda.* Et anno proximo in eamdem fere sententiam: x) *illud autem*, inquit, *quis non stupescat, quod post tot sanctos et orthodoxos patres per mille et viginti a passione Saluatoris annos nouus calumniator ecclesiae Latinorum emersisti?* Ac, ne cui forte dubium sit, quin istam panis non fermentati vituperationem notet, e vestigio subiungit: *anathematizans omnes, et publicam persecutionem excitans, quicumque participarent sacramentorum ex azymis.* Quod si igitur vix ducentis ante annis Photius isti Latinorum consuetudini aduersarius venisset, quemadmodum arbitrantur, quos supra commemoraui, scriptores; id profecto Leo, testis primi ordinis ac tempori illi satis propinquus nec ignorasset, nec iudicio dissimulasset: minimeque tam insignite impudens fuisset, vt rem contestatissimam contra eos, apud quos in conspectu omnium paullo

v) vide BARONII *Annal. ad a. 1053. Tom. XI. p. 256.*
x) *Idem ad a. 1054. Tom. XI. p. 265. Et Concil. Tom. IIII. edition. Venet. 1585. p. 68.*

ante gesta esset, infitias iret. Itaque MARGVNIVS iure exsibilatur a LEONE ALLATIO y) monumentorum Graecorum indagatore sollertissimo.

§. III.
Ante saec. XI. controversiam publice exercitam esse pernegamus.

§. III.

Fuere, quae hactenus diximus, aliquando ad speciem magnifica, neque tamen, si vera potius, quam dictu speciosa dicenda sunt, tanti roboris, vt sententiam de mota iam ante Cerularium quaestione nostra sustinerent, vel firmarent. Et sane vna, vt aiunt, fidelia omnes parietes possunt dealbari, si orationem virorum doctissimorum veritas comprobat, qui, vel SIRMONDVM secuti, vsque ad Photium patriarcham, vel etiam ferme ad Michaëlis Cerularii aetatem, vsum panis azymi in coena Domini sollemnem fuisse negant, vel, BONA duce, per eum saeculorum tractum libertati ecclesiae promiscuum panis vtrius libet vsum relictum fuisse defendunt: quorum sententiae atque argumenta singularem locum postulant. z) Quae si ita veritate fundata sunt, quemadmodum videntur esse; nae ego illos in angustias compulsos magnis difficultatibus premi, nec subsidium exspectare posse, duco, qui diuersam ab hac viam ingressi aegre, vbi elabantur, inueniunt. Neque enim habent, quod respondeant interro-

y) *de Consens. Lib. II. Cap. VI. §. 9. p. 590.*
z) *Part. III. cap. I. II. III. et IIII.*

ganti-

gantibus, quid ergo caussae sit, cur Cerularii demum aetate lis de pane non fermentato tanta cum animorum concertatione eruperit? Ab omni sane antiquitatis suffragio deseruntur, qui controuersias Cerulario antiquiores ea de re, non eas quidem in ciuitate Dei ortas, sed in ingenio et coniecturis suis temere conceptas parturiunt. Quid? quod aqua haeret iis etiam, qui Berengarianos, impugnato Romanorum sacrificio, panis quoque azymi vsum Latinis crimini dedisse scribunt, et ritum hunc aliquot annis ante, quam Michaël ille Cerularius ad sugillationem eius ex oriente prodiret, in ipsis partibus orbis occidentalibus notatum esse adfirmant. *a*) Nostrae sunt partes ad historiae fidem scribere, numosque adulterinos aut suspectos pro bonis nec accipere nec expendere. Itaque bona fide profitemur, si fide digni auctores consulantur, vel omnino nihil, vel certe admodum ambigua ac dubia de litigio isto ante saeculi XI. annum quinquagesimum tertium gliscente oblatum iri. Satius igitur esse ducimus, nihil hic certi constituere, quam fundamento in meris ac lubricis coniecturis, tamquam in aqua, posito confidentius inniti.

a) CENTVRIAT. MAGDEB. *Cent. XI. cap. V. p.* 215. Ceterum de azymis ante Cerularium impugnatis vid CHRISTIANVS LVPVS *Dissert. de S. Leonis Actis aduersus schisma Cerularii cap. VIII. Concil. edit. Venet. 1725. Tom. IIII. pag.* 323.

PARS II.

CONTROVERSIA GRAECORVM CVM LATINIS DE PANE AZYMO.

CAPVT I.

DE ORIGINE AC STIRPE CONTROVERSIAE.

§. I.

§. I. Coepit saeculo XI. Michaële Cerulario, auspice ac duce.

Superatis his talibus rerum incertarum anfractibus, vbi perquirendi magis labor, quam inueniendi facultas fuit, in ipsum iam tandem litigantium forum, quasi in alium orbem, deferimur. Satis amplum est certaminis, pro caussae leuitate, multo acerrimi theatrum, quod annales saeculi vndecimi aperiunt. Nondum compositae erant, quae mentem Graecorum a Latinis distraxerant contentiones iam inde vsque a saeculo IIII. repetendae, creberrimis offensionibus, turbisque Photianis, Sergianisque mirandum in modum auctae. *b*) Sed serpebat longius latiusque, quam alebant, mutua discordia, donec sumtis in dies viribus, vsa progressionibus maturesceret. Accidit ergo tam turbulento, tam-

b) vid. FRID. SPANHEMII *Dissert. de dissensione perpetua ecclesiae Graecae a Romana Part. IIII. §. V. sequ. Op. Tom. II. p. 527.*

que

que fecundo rixarum tempore, vt, oblata noua exardefcendi materia, nimirum panis azymi apud Latinos vfu facro, diuturni diffidii fcintilla, in flammam erumperet, atque opinione latius diffunderetur. Princeps in eam fimultatum materiem Michaël Cerularius facem immifit, qui, vt erat hominum facri ordinis in Graecis fummus, ita quam molestiffime praefulis Romani principatum atque imperium ferebat. Scilicet iam pridem animaduerterat, pennas a Photio ac Sergio Latinis incifas renafci, eorumque animos fuperioribus dimicationibus non infractos, fed inflatos fuiffe. c) Quare contra conatus eorum, tamquam contra morbum, quanto maximo poffet opere pugnandum, ferocitatem imperiofi pontificis reprimendam, et principatum, quem fibi ipfa opinionis errore Roma finxerat, vel retundendum, vel certe limitibus circumfcribendum putabat. Claffsicum ea de cauffa contra Latinos cecinit, illisque, vnam, praeter ceteras omnes, confuetudinem azymi confecrandi omni non modo contentione, fed etiam dimicatione exprobrauit. Hanc vero cauffam belli prae reliquis ideo prae fe Cerularium tuliffe reor, feu quod panis fine fermento confecrandi morem in fummi criminis loco poneret: fiue quod noua, atque ad hoc tempus inaudita ob-

c) conf. LVD. MAIMBVRGII *Histoire du Schifme des Grecs lib. III. Tom. I. p. 268.*

iurgatione in Latinos inuehi vellet: siue quod id ipsum a ciuibus ac popularibus suis omnium maxime repudiari sciret: cum plerumque vsu veniat, vt vulgus in litium sacrarum aestimatione ad caerimoniarum potius, quam doctrinae discrepantiam spectet, atque in religionibus discernendis oculos potius iudices, quam animum arbitrum aduocet. Quo circa, qui haec nostra legent, si forte sint, qui existiment, nos hic nimis multa ad quaestionem de azymo arcessere, et alias potius, veluti eam de praesulis Romani primatu, de Spiritus Sancti processione, fuisse motuum illorum caussas; hi longe aliter, opinor, iudicabunt, si didicerint, quae aliquanto post ea de re, *d*) et infra cum de insigni odio Graecorum in panem azymum *e*) tum de momento controuersiae *f*) ex ipsis Graecorum litteris haurientur.

§. II.

§. II. Rerum in oriente et occidente status.

Vtique si rem, vt est, examino, vtrum controuersiae istiusmodi initium, an incredibile incrementum, an pertinaciam ac momentum magis mirer, equidem fluctuo. Qua de caussa faciem illorum temporum propius intueri ac copiosius delineare iuuabit, vt, quae de grauissimis e re ita leui exortis litibus tradentur, fidem

d) *Part. II. cap. III. §. VI.*
e) *Part. II. cap. V. §. VI. et cap. VIII. §. III.*
f) *Part. IIII. cap. I. §. III.*

supe-

ſuperare ne videantur. Concinunt inter ſe plerique, qui vel tum vixerunt, vel iis temporibus ſunt paullo inferiores ſcriptores, et Latini, et Graeci, vix effigiem, aut ſimulacrum eccleſiae ea aetate ſuperfuiſſe, ac de triſtiſſima rei et ſacrae, et profanae conditione apud omnem poſteritatem deplorant. Sufficiat adlegaſſe GVILIELMVM TYRIVM, qui vnus omnibus ſuae aetatis hiſtoriae conditoribus palmam facile praeripit, cuius verba in deſcribendis ſaeculi ſui et proximi ſuperioris moribus ſunt multo grauiſſima: g) *Nec ſolum in oriente fideles ab impiis opprimebantur, verum in occidente et in omni paene orbe terrarum maxime inter eos, qui fideles dicebantur, fides defecerat, et Domini timor erat de medio ſublatus: perierat de rebus iuſtitia, et, aequitate ſubacta, violentia dominabatur in populis. Fraus, dolus et circumuentio late inuoluerant vniuerſa: virtus omnis locum dederat, et ceſſerat, quaſi inutilis, malitia ſubintrante: videbatur ſane mundus declinaſſe ad veſperam - - et in chaos pri-*

g) *Hiſt. lib. I. cap. VIII. in Geſtis Dei per Francos Tom. I. pag. 634 et 635.* Teſtimonia BENNONIS, *Card.* DITMARI, GLABRI RADVLPHI, et alia, quae huc faciunt, vide apud BARONIVM *Annal. Tom. XI. p. 3. ſequ.* FLACIVM *Catal. Teſt. Verit. lib. XIII. p. 1322.* FRID. SPANHEMIVM *Hiſt. Chriſt. Saec. XI. Op. Tom. I. p. 1510 et 1515.* Gottfr. Arnold Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *P. I. lib. XI. cap. II. p. 334.* conf. PHIL. MORNAY *Myſterium Iniquit. p. 518.*

ſtinum

ſtinum redire velle. - - - - *Nec clerus a populo vita nobiliore differebat;* et quae ſequuntur cetera eiusmodi. Neque id mirum. Etenim, qui ad clauum rei ſacrae ſedebant, plerique, vt dignitate, ita vitiis antecellere ſuum eſſe cenſebant, ad omnivm ſcelerum genera libidine abrepti, auaritia ducti, audacia armati, crudelitate muniti, in ipſo pietatis ſtudio faſtu ſupra, quam cuiquam credibile eſt, animati. Hos in illuſtri poſitos duces certatim reliqui omnes ſequi, et animum aegrum, vt fere fit, quando magiſter ad nequitiam improbus adeſt, in partem deteriorem applicare, et maleficiis, haud quaquam virtutibus certare. Ita barbaries longe lateque, languentibus, immo vero exſtinctis litterarum ſtudiis, dominari: ita ſurſum deorſumque ferri omnia. Ne multa: hoc ipſo ſaeculo, elapſis mille a Chriſto annis, furiae inferae, quae nullo tamen ante tempore a mortalibus abfuerant, vinculis ſolutae, de carceribus in orbem terrarum effuſae putantur, quod non modo viros quosdam probos praenuntiaſſe *b*) ſed etiam ipſum IOANNEM, *i*) vatem diuino ſpiritu adflatum praeuidiſſe augurantur. Tanta eccleſiae foeditate nihilo melior fuit reipublicae facies. Vtique principes anili ſuperſtitione occaecati, vt doctrinae

b) FLACII *Catalog. Teſt. Verit. loc. cit. Baronius ad a. 1101. N. I. ſequ.*
i) *Apoc. XX, 2 et 3.*

laude

laude ab hominibus facri ordinis fuperari aequo animo ferebant, ita vitiis ab iftis vinci, turpiffimum duxerunt. Quo facto reipublicae ruina non iam imminebat, fed aderat. Habes hic rerum eius temporis defcriptionem longiorem forte, quam par erat, neque tamen ab inftituto noftro omnino alienam. Nihil enim erit, quod iam impediat, quo minus in perditiffimo hoc ftatu ecclefiae, fucco et fanguine, ne dicam colore etiam et fpecie priftina orbatae, in hac rerum omnium perturbatione, vel leuiffima quaeque pro pergrauibus habita, et a minimis initiis fumma diffidia profecta effe ftatuas. *k*) Ita procliue erit, noftrae orationi, cuius vela nunc pandimus, fidem adiungere.

§. III.

§. III. Quorum adiutu et quomodo lis coeperit?

Per ea tempora aliquot iam annis imperium Graecorum penes Conftantinum Monomachum, rerum autem facrarum fumma penes Michaëlem Cerularium fuerat, cum anno fupra millefimum quinquagefimo tertio pani azymo euchariftico bellum inferretur. Noluerunt Graeci hoc inftitutum fuum ignorare Romam eiusque ciues, neu tela aduerfariorum formidaffe, vel indicta cauffa in eos animaduertiffe crederentur. Itaque, vt publica potius, quam fua cauffa Latinos oppugnare cenferetur CERVLARIVS, non fuo tantum

k) vid. IO. FRANC. BVDDEI *Ifagoge Hiftorico-Theol. lib. II. cap. VII. §. VI. p. 1119. et 1124. fequ.*

tum

tum, ſed etiam LEONIS, Praeſulis Acridani nomine, litteras ad Ioannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum dedit, *l*) omnibus eccleſiae Romanae filiis, ſummis, mediis, infimis, quin immo Pontifici Maximo aperiendas. *m*) Eo ipſo volumine, voluntatis ſuae praecone, in aequum contra Latinos antiſtites Graeci prodierunt, eosque et audacter et vehementer, tum propter alios errores, tum vero omnium acerbiſſime, ob panis azymi vſum in ſacra coena obiurgarunt. Hunc in fronte libri *n*) reliquis capitibus controuerſis omnibus antepoſitum ita perſequuntur, vt in eo refellendo multo maxima epiſtolae pars verſetur. Perlectam Humbertus Cardinalis de Graecis Latine factam Trani cum eſſet, Leonis VIIII. Pontificis Romani oculis ſubiecit. *o*) Neque vero alia

l) quae exhibentur in CANISII *Lect. Antiqu. Tom. III. p. 281.* et BARONII *Annal. ad a. 1053. N. XXIII. Tom. XI. p. 210. ſequ.* Sententiam earum exponunt CENTVRIATORES MAGDEB. *Cent. XI. cap. VIII. p. 401.*

m) Ἡ τοῦ Θεοῦ μεγάλη ἀγάπη καὶ τὰ συμπαθείας σπλάγχνα ἔπεισεν ἡμᾶς γράψαι πρὸς τὴν Σὴν ἁγιότητα καὶ διὰ Σοῦ πρὸς πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς τῶν Φράγκων -- καὶ πρὸς τὸν αἰδεσιμώτατον Πάπαν καὶ ὑπομνῆσαι περὶ δὲ τῶν ἀζύμων καὶ τῶν σαββάτων. Ibidem, et apud LEON. ALLATIVM *de Conſenſ. lib. III. cap. XIIII. §. I. p. 1163.*

n) CANISIVS *loc. cit.*

o) BARONIVS *loc. adducto Num. XXXII. p. 211.* MABILLONIVS *Annal. Bened. lib. LX. ad a. 1053.* MAIMBOVRG *Hiſtoire du Schiſme des Grecs L. III. Tom. I. p. 288.*

eſt,

eſt, quam Cerularium a principio certaminis ad ipſum Pontificem perſcripſiſſe putant nonnulli, *p*) praeter hanc, quae Ioanni Tranenſi, et per eum Humberto, ac tandem Leoni VIIII. reddita fuit. Plane ad mentem Graecorum, quippe qui, vt litterarum illarum et caput et calx demonſtrat, etiam atque etiam Ioannem rogant, velit litterarum illarum exemplum, vel certe ſententiam cum omnibus occidentalium terrarum principibus communicare. *q*) Quapropter fatetur ipſe LEO Pontifex *r*) de impugnatione panis non fermentati per Cerularium coepta crebros variosque primum attuliſſe nuntios, quos litterarum ad Apulos, ſiue eorum Praeſulem Ioannem, datarum argumentum confirmauerit. Epiſtola illa irritatus LEO Michaëli Cerulario et Leoni Acridano pro ciuibus ſuis certamen ipſe ſubiturus longa ac copioſa epiſtola reſpondet, *s*) neue leni in liberos ingenio eſſe putaretur, eos tamquam degeneres filios impe-

p) IO. MABILLONIVS *Annal. Benedictin.* loc. cit.

q) CANISIVS et BARONIVS *loc. cit.*

r) in *epiſt. ad Michaëlem Cerularium* apud BARONIVM *Annal. ad a. 1054. N. XIII. Tom. XI. p. 220.*

s) Prima eſt epiſtolarum Leonis VIIII. et habetur in *Conciliorum Tom. IIII. edit. Venet. 1585. pag. 50.* in BARONII *Annal. ad a. 1053. Tom. XI. p. 211.* eiusdem argumentum perſequuntur CENTVRIAT. MAGD. *Cent. XI. cap. VIII. p. 402.*

riofe magis, quam paterne reprehendit. Noli dubitare, quin princeps reprehenfionis cauffa huc fpectet. Eft nimirum invidiae caput, quod tanto furore perciti in azymi Latinorum contemtum raperentur. Famam enim perferre, ait: *eos Latinam ecclefiam noua praefumtione, atque incredibili audacia, nec auditam nec conuictam palam damnaffe pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem dominicae paffionis celebrare.* t) Idcirco maxime indignatus, *quod in caelum os fuum ponant et antiquam fidem confodere moliantur,* v) perniciem atque exitium, nifi ad frugem quamprimum redeant, iis imprecatur, x) de poteftate epifcopi Romani in mortales fumma nimium quantum ediffferit, et extrema ipfe arrogantia elatus, quod eft fuperborum, nihil adeo, quam faftum, neque vero fuum, fed patrum Graecorum deteftatur. y) Deinde imperat potius, quam rogat, defiftant quam maturrime ab omni conuicio in azymum Latinum, et ad matrem, hoc eft imperium praefulis Romani, quam ociffime reuertantur. *Quapropter a tanta,* inquit,

t) BARONIVS *ibidem p. 212. Concil. Tom. IIII. epift. cap. V. p. 52.*

v) ibidem.

x) *Epift. cap. V. ibidem: Ecce nifi quantocyus refipifcatis incorporati et adnumerati, quod abfit, eritis in illa cauda draconis, quae tertiam partem ftellarum traxit, et in terram mifit.*

y) *ibidem p. 53. fequ. et pag. 61. fequ.*

quit, z) *amentia iam resipiscite, et Latinos vere Catholicos atque maximi Petri familiariores discipulos, institutionisque eius deuotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare.* Ad extremum, ne pro defendendo pane sine fermento consecrato nihil adferre posse videatur, ad epistolam vtriusque, quam *ad sugillationem azymi et praedicationem fermenti* scribere non dubitarint, alia occasione sese responsurum, et defensionem pani azymo paraturum esse pollicetur. *a*) Has litteras *acerrime vereque pontificali crista*, vt loquuntur MAGDEBVRGENSES annalium scriptores, *b*) exaratas, ita laudibus efferunt Latini, *c*) vt nihil supra, siue quod suum cuique pulchrum, seu quod fide ad id faciendum obstricti sunt. Stetit promissis Pontifex, atque eam, quam in se receperat, panis sine fermento offerendi defensionem protulit in illa, quam per legatos ad Cerularium miserat, epistola singulari. *d*) Ad haec partes eas mandauit HVMBERTO, principi ecclesiae purpurato, qui hoc Michaëlis Cerularii ac Leonis Acridani scriptum ad Ioannem Tranensem missum, ad verbum propemodum descriptum edito dialogo inseruit, et

z) *Epist. cap. XX. p. 58.*
a) *ibidem cap. XXXX. p. 64.*
b) *Cent. Hist. Eccles. XI. cap. VIII. p. 402.*
c) BARONIVS *loc. cit.* MAIMBVRGIVS in *Histoire du Schisme des Grecs L. III. Tom. I. p. 288.*
d) vide *cap. proximi II. §. II.*

pressso pede insecutus virgula censoria notauit, de quibus improbis Humberti pro pane azymo militantis laboribus infra dicendi locus erit. *e*) Sub idem tempus DOMINICVS, ecclesiae Gradensis, siue Venetorum patriarcha, Latinarum partium homo, cum adlatum esset de Graecorum insectationibus in panem sacrum Latinorum, animos, quos reliqui fulminibus tentabant, blanditiis mollissimis ad conciliationem reuocaturus, quam poterat, lenissime ad Petrum Antiochiae patriarcham scribit, *f*) de sua in Graecos voluntate memorat, *g*) iniurias Graecorum in Latinos panem non fermentatum in sacro epulo adhibentes magno cum dolore attingit, *h*) vtrumque panis genus ad sacra admitti posse, suam vtrique constare dignitatem, demonstrat, *i*) denique conuiciis Latinos lacessere, et vim ob vsum azymi inferre Graeci desinant, vehementem in modum rogat. *k*) Cui PETRVS ANTIOCHENVS vberius respondet, *l*) ritum Latinorum panem ab admixtione fermenti purum in sacrificio offerendi

e) *Cap. proximi sequentis* §. *III.*

f) Exstat epistola in COTELERII *Mon. Eccl. Graec. Tom. II. p. 108.*

g) COTELERII *Monum. loc. cit. p. 109.*

h) COTEL. *ibidem p. 110.*

i) cit. loco.

k) pag. 111.

l) Habentur et hae litterae in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 112. sequ.*

eum

eum esse, quem Graecia merito prae reliquis omnibus respuat: *m*) cuius detestationis caussam copiosissime exponit, permultis eam in rem adductis argumentis; *n*) quantum doloris tanta rei indignitas sibi pariat, refert, *o*) scripsisse se eadem de caussa ad Argyrum docet. *p*) In extrema quasi cera orat, ne litteras hasce summo sacrorum Romanorum antistiti perlegendas dare grauetur. *q*)

§. IIII.

§. IIII. An Graeci eo tempore iniurii fuerint in azymi cultores? vbi de nomine Azymitarum et Fermentariorum.

Atque haec fere fuisse video incendii nec dum restinguendi initia. Verum ad alia transgressuro multi ex Latinis aurem vellunt, qui non scriptis tantum, vt commemoratum est, sed etiam conuiciis, iniuriis, ac vi litem a Graecis coeptam esse declamant. Graecos iam ante aduentum legatorum templa Latina, quod azymi vsu infecta et contaminata essent, occlusisse, legati Latini, publico monumento *r*) ad posteros transmisso, testan-

m) COTEL. *loc. cit. p. 117 et 118.*

n) *ibidem pag. 118-133.*

o) *ibid. p. 122.*

p) πρὸς Ἄργυρον, λαμπρότατον μάγιστρον καὶ δοῦκα. *p. 133.*

q) *p. 134. loc. cit.*

r) vide *Decretum legatorum* in exsecrationem Graecorum Prozymitarum scriptum editumque *infra cap. III. §. I.* ob oculos positum. conf. *epistolam* LEONIS *ad Mich. Cerularium et Petrum Acridanum cap. XXVIIII. Concil. Tom. IIII. p. 61.* et *epistolam ad Cerularium* separatim datam apud BARONIVM *ad a. 1054. N. XIII. p. 220.*

tur. Michaëlem Cerularium ac ſocios prius, quam certamen iniretur, azymi patronos diris deuouiſſe, iniuriis et contumeliis oneraſſe, odiis et publica vi proſecutum eſſe, ipſi Mich. Cerulario et Leoni Acridano exprobrare haud erubeſcit LEO Pontifex. *s*). Ita enim ſcriptum reliquit: *Tu cariſſime nobis, et adhuc dicende in Chriſto frater, et Antiſtes Conſtantinopolitane, tuque Leo Acridane dicimini apoſtolicam et Latinam eccleſiam noua praeſumtione atque incredibili audacia, nec auditam nec conuictam palam damnaſſe, pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem dominicae paſſionis celebrare.* Eamdem canit epiſtola ad Imperatorem Graecorum data cantilenam: *t*) *Sed nouerit tua claritas ſuper praeſumtionibus eius multa et intolerabilia iam dudum perueniſſe ad aures noſtras, qualiter etiam aperta perſecutione in Latinam eccleſiam exardeſcens anathematizare non timuit omnes, qui ſacramenta attrectant ex azymis.* De iisdem illis publicis azymi cultorum vexationibus, de ſacrificio Latinorum in oculis omnium pedibus conculcato magna eſt legatorum querimonia. *v*) Anceps hic ſum animi. Neque enim haec ita, vt dan-

s) *epiſt. cap. V. Concil. Tom. IIII. p.* 52. BARONIVS *ad a.* 1053. *Num. XXXIII. Tom. XI. p.* 212.

t) apud BARONIVM *ad a.* 1054. *N. VIII. p.* 219.

v) *Decretum legatorum Latinorum vide infra loc. cit.*

tur

tur, accipienda esse puto, cum a Latinis tantum adferantur, et incertis sine capite rumoribus videantur sparsa esse, et modestia Graecorum, qua publice in disceptationibus sub initium controuersiae in aduersarios vsi sunt, reclamet: neque etiam is sum, qui Graecos extra omnem culpam et crimen vehementiae in Latinos ponam, atque ab iis putem suspicionem vel iracundiae vel arrogantiae posse propulsari. Id vero ausim adstruere, quod antiquitatis testimonio comprobatur, Graecos, si forte fuerint in Latinos duriores, vt omnino eos fuisse demonstrabimus, habuisse vel aliquam odii praefationem, ad quod non nisi multum ac diu prouocati sollicitatique descenderunt. *x*) Vix igitur a me impetro, vt animum inducam credere, in hac caussa Graecos a publicis vexationibus, vi atque iniuriis initium fecisse, licet haud inuitus dem, inueteratum illud, et quasi hereditate acceptum odium dicto citius efferbuisse. Id vero concedo, cum ipsa controuersia, vno quasi partu, prodiisse, vt vere sit, inuidiosa illa sectae vtriusque nomina AZYMITARVM et FERMENTARIORVM. A Graecis enim Latinos, quod pane non

x) vide MAIMBVRGII *Histoire du Schisme des Grecs lib. III. Tom. I. p. 283.* vbi equidem ignoro, qua fronte in Graecis reprehendere potuerit, quod iunxerint, vt censet, *aux armes spirituelles la violence, et la cruauté des tyrans*, cum non posset non moris ecclesiae suae esse gnarus.

 fermen-

fermentato vterentur, *azymitas* siue *Non-fermentatos* appellatos fuisse, princeps queritur LEO VIIII. epistola quam, lite vix dum indicta, scripsit: *y*) grauiter id ipsum ferunt legati eo tempore Constantinopolim missi. z) Et fuisse hoc nomen Latinorum apud Graecos peruulgatum, testimoniis suis comprobant, qui huic aetati fuerunt suppares scriptores, SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, *a*) ANSELMVS et CANTVARIENSIS *b*) et HAVELBERGENSIS, *c*) RVPERTVS TVITIENSIS, *d*) ALGERVS, *e*) et DVRANDVS. *f*) Non possum, quin in transitu obseruem, esse orientis gentes Persis ac Turcis confines, quas *Azymitarum* nomine appellatas fuisse

y) *Cap. XX. cessate Latinos subsannando azymitas vocare, aut ecclesias illis denegare, seu tormenta, sicut coepistis, illis inferre. Concil. Tom. IIII. p. 58.* et ap. *Baron. loc. cit.*

z) *Latinorum ecclesias clausit eos azymitas nuncupans.* vide *infra cap. III. §. I.* conf. DVCAS *Hist. Byzant. cap. XXXVI. p. 143.*

a) *Chronographia ad a. 1054. in Collect. Script. rerum German.* PISTORII *Tom. I. p. 598.*

b) *Op. Tom. IIII. p. 153.*

c) in *Dialogo contra Graec. lib. III. cap. XIIII.* in Spicilegio *d'* ACHERY *edit. nou. Tom. I. p. 201.*

d) *de diuin. offic. lib. II. cap. XXII. Op. Tom. II. p. 766.*

e) *de Sacramentis lib. II. cap. X. in Biblioth. Patr. edit. Paris. 1589. Tom. VI. p. 526.*

f) *Ration. diuin. Offic. lib. IIII. cap. XXXXI. §. 10.* De reliquo praesules Latinos etiam honoris caussa cognomen *Azymorum* tulisse intelliges ex *Part. II. cap. VIIII. §. III.*

docent

docent historiae Hierosolymitanae, vel gestorum Dei per Francos scriptores. g) Non antiquum, sed nouitium hoc esse gentium nomen diserte GVIBERTVS Abbas h) testatur: at ex azymis duci vel inde patet, quod *Azymorum* vocabulo a MARINO SANVTO i) designantur. Pateret res omnis, et huc quam maxime spectaret, si ex Armenis vel Maronitis originem duxissent, quos ob vsum azymi in mysterio per contemtum a Graecis *Azymitas* antiquitus nuncupatos esse ABRAHAMVS ECHELLENSIS, Maronita k) haud latenter innuit. Sed coniectura haec vetustiorum testium consensum postulare videtur. Latini, vt ad certiora redeamus, Graecos nomine *Prozymitarum* vel *Fermentaceorum* seu *Fermentariorum* appellarunt. Ita HVMBERTVS Nicetam per iniuriam vocat *Fermentatum*, l) et in ipso scripto legatorum eo tempore Constantinopoli promulgato, Graeci *Prozymitae* nominantur, eaque vox idem rectae sa-

g) vid. *Gesta Dei per Francos Tom. I. p. 56. p. 109. p. 111. p. 512. et Tom. II. pag. 8.*

h) *Lib. V. cap. VIII. Gest. D. p. Fr. Tom. I. p. 512.*

i) *Secret. Fid. Cruc. Tom. II. Gestorum Dei per Fr. pag. 8.*

k) *Epist. ad Ioannem Morinum, quam* RICHARDVS SIMON *Fidei Eccl. orient. a. 1671. Parisiis editae adiecit. §. XI. p. 285.* conf. *notas ad Apologiam Seueri. pag. 90.*

l) *Libro in Nicetam edito ad calcem Tom. XI. Annal.* BARON. *p. 800.*

naeque doctrinae hominibus opponitur. *m*) Quorum veſtigia alii legunt, *n*) et appellationes illae vtrimque ad noſtram aetatem permanſerunt. *o*)

CAPVT II.
DE PROGRESSIONIBVS CONTROVERSIAE.

§. I.

§. I. De Synodo Romana in Michaëlem Cerularium, ineunte controverſia, vehementiori.

Repreſſa, credo, vel omnino ſuffocata fuiſſet, quam Graeci conceperant, controuerſia, ſi impetum aduerſariorum nihil obfuturum ad tempus vel ſuſtinuiſſent Latini, vel in defendendo azymo aliqua animi moderatione vſi ſibi ab iniuriis temperaſſent. Fit enim, neſcio quomodo, vt remittentibus paullum de ſuo iure adverſarii ſaepenumero vltro relinquant,

m) vide *decretum exſecrationis in Graecos* a nobis ſubiunctum *cap. ſequ. III. §. I.*

n) ANSELMVS *Cantuar.* et DVRANDVS locis adlegatis: quibus addas, licet, WIBERTVM *in vita Leonis VIIII. lib. II. cap. VIIII.* vid. *Acta Sanctorum menſis Aprilis edit. Antuerp. 1675. Tom. II. ad d. 19. April. N. XXIIII. p. 647.*

o) V. BELLARMINVS *de Sacram. Euchariſt. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. edit. Pariſ. 1608. p. 607.* NIC. COMNENVS *Praenot. Myſtag. Reſp. III. Sect. V. §. 11. p. 179: licuit, licebitque Photianos egregie Fermentarios appellare, non quod in fermento ſacrificent, ſed quod putent ac doceant in ſolo fermentato poſſe rite ſacrificari.* Conf. DV FRESNE *Gloſſarium med. et infimae Latinit. edit. Pariſ. 1733. Tom. I. p. 901.* in voce *Azymitae*, et in voce *Fermentacei Tom. III. p. 386.*

quae

quae antea pertinacius tenuerant. Sed indignum videbatur grauitate Romana, et a more Latino alienum, extrema quaeque non experiri. Itaque incendium ruina potius, quam aqua exstinguendum esse ratus LEO, Michaëlem Cerularium, et Leonem Acridanum, ambo bellum contra azymi dignitatem molitos, terribili fulmine censet prosternendos. Inde factum, vt in concilio Romae anno cIↃLIII. indicto, controuersia vix dum orta, Graecos azymi detrectatores absentes, ne quid ad sollemnitatem concilii deesset, vel praeter morem gestum videretur, ab omni Christianorum communione eiectos diris deuoueret. Penderem hic animi, neque ei rei fidem haberem, cum memoria teneam, quid LEO ille Latinus paullo post semel, *p*) iterumque anno proximo cIↃLIIII. *q*) confiteatur, iniurias Graecorum in azymum variis rumoribus, et fama ad se adlatas esse: cum compertum habeam, Latinorum legatos qui, altero demum a synodo illa Romana anno, Constantinopolim venerunt, testatum reliquisse, se ea de caussa Constantinopolim missos, vt explorarent, quae sit Graecorum in azymum Latinorum sententia, quae detesta-

p) *epist. ad Mich. Cerularium et Leonem, Archiep. Acridanum cap. V. Concil. Tom. IIII. p. 52.*

q) *epist. ad Constantinum, Imperatorem ap.* BARON. *Annal. ad a. 1054. Num. VIII. Tom. XI. p. 219.* itemque *ad Mich. Cerularium Num. XIII. p. 220.*

tio? *r*) Vix ergo credibile mihi videretur, Praesules Graecos, de quorum maleficio nondum satis constabat, ad inferos publico ac sollemni ritu, amandatos esse ab eodem illo, qui in Graecos, quod Romam *nec auditam nec conuictam* damnauerint, scripta eodem tempore epistola, sententiam paratus est dicere. *s*) Sed habitum esse *Fermentaceorum* audaciae comprimendae caussa anno cIↃLIII. concilium, de quo vitae Leonis scriptor, et Latinis probatissimus, et illi aetati proximus, WIBERTVS *t*) euoluatur, in eoque ipso graviter in Graecorum praesules, azymi obtrectatores animaduersum esse memoria proditur: et sunt in Latinis, qui hoc non modo non infitiantur, sed singulari etiam pacis et concordiae studio Leonem fecisse praedicent. *v*) Aliis autem nullo consilio ac ratione factum videtur. Neque enim triumphum ex hostibus nondum superatis agere sibi permittet, quicumque dubios ancipitesque concertationum exitus exspectandos esse statuit. Quos cum cuiuis potius, quam ecclesiae suae metuendos esse censeant Latini, in procliui ipsis fuit, caussam Graecorum nec perspectam satis, neque dictam profligare, ac ne forte

r) *Decretum legatorum* capite proximo adferendum.

s) *ad Mich. Cerul. et Leon. Acrid. loc. cit.*

t) *in vita Leonis VIIII. cit. loco.*

v) IGNAT. HYACINTHVS AMAT. DE GRAVESON *Hist. Eccles. Tom. IIII. p. 79.*

essent,

essent, qui matrem, quam se esse putat ecclesia Romana, nimiae in filios indulgentiae accusarent, seuerius etiam, quam res tum poscebat, in eos statuere.

§. II.

§. II. De legatis Lat. Constantinopolim missis.

Vt initia ponuntur, sic cetera consequantur necesse est, quod tum accidit. Quo magis miror Pontificem Romanum in spem venisse, fore, vt minis terroribusque concussi Graeci Romae adiungerentur, ac pertinacia Latinos impugnandi desisterent. Qua enim fronte pacis ineundae speciem prae se ferre potuit, qui tam praecoci in Graecos immanitate vteretur? At voluit tamen videri pacis feriendae studiosus, cuius *nimio desiderio*, vt loquitur BARONIVS, *x*) *permotus* ea, quae enarraturus sum, fecit. Exeunte anno supra millesimum quinquagesimo tertio, *y*) legatos Constantinopolim mittit, qui de foedere inter vtramque ecclesiam faciendo laborarent, siue, vt verius dicam, Graecos in ordinem redactos coërcitosque Praesuli Romano subiicerent. Id Pontificem et sua sponte, et rogatu Imperatoris Graecorum, partium Latinarum, pro tempore ac rerum adflictissimo statu, fautoris, fe-

x) *ad a. 1054. Annal. Tom. XI. Num. I. p. 216.*

y) vid. IO. MABILLONII *Annal. Bened. Tom. IIII. lib. LX. ad hunc annum*, contra BARONIVM, qui anno demum proximo ineunte legationem factam esse scripsit *Annal. loc. cit.*

cisse,

ciſſe, non eſt, quod diffitear: z) at vero Michaëlem Cerularium etiam legatos ab antiſtite Romano eiusque manum medicam in ſanandis rei ſacrae vulneribus efflagitaſſe, qua de re magnifica potius, quam vera ſunt verba LVDOVICI MAIMBVRGII a) id ipſum, inquam, nec certum, nec credibile mihi eſt, licet haud ignarus ſim litterarum, quas de pacis ſtudio in poſterum colendo ad Leonem VIIII. dedit: b) quibus hortatur ad alendam pacem, vt fatetur ipſe LEO, c) ſed de legatis Roma mittendis ne verbulo quidem memorat. Legatorum, ſiue, quemadmodum ſe ipſi vocant, d) *ſedis Romanae apocriſiariorum* e) Conſtantinopolim amandatorum primus erat HVMBERTVS, Cardinalis, Siluae Candidae Epiſcopus, reliquorum et eruditione, et faſtu, et vehe-

z) vide *litteras* LEONIS *VIIII. ad Conſtantinum Monomachum Imp. Concil. Tom. IIII. p. 70.* et ap. BARON. *Tom. XI. Num. II. p. 217.*

a) cum adſeuerat: *Il eſt certain, qu' il* (Cerularius) *ecrivit au Pape auſſi bien, que cet Impereur, pour le ſupplier treshumblement de donner la paix à l' egliſe.* vid. *Hiſtoire du Schiſme L. III. Tom. I. p. 289.*

b) *Concil. Tom. IIII. p. 68.*

c) qui ſcribit: *exhortatorias ad concordiam et vnitatem direxit nobis litteras. Concil. loc. cit. p. 71.*

d) in *Decreto in exſecrationem ac deuotionem Graecorum edito* apud BARON. et L. ALLATIVM *infra cit. loco.*

e) vid DV FRESNE *Gloſſarium med. et inf. Latin. edit. Pariſ. nouiſſ. Tom. I. ad hanc vocem p. 545.*

mentia

mentia facile princeps, *f*) qui cauſſam panis azymi in euchariſtia non modo ſcriptis acerrime defendit, *g*) ſed etiam rerum a ſe et collegis Conſtantinopoli, dum legatione fungerentur, geſtarum commentarium hodie quoque ſuperſtitem *h*) ipſe perſcripſiſſe cenſetur. *i*) Alter fuit PETRVS, Archiepiſcopus Amalphitanorum, et tertius FRIDERICVS, Romanae eccleſiae Archidiaconus, et Cancellarius, qui, ipſe tandem ad faſtigium antiſtitis Romani euectus nomen Stephani X. tulit. *k*) Atque hi fuerunt, qui, Leonis VIIII. auſpiciis, in Graeciam profecti ſunt, litteris binis a pontifice ad Imperatorem Graecorum, et ad Michaëlem Cerularium inſtructi. In alteris, quas ad Cerularium dedit, *l*) vehementiſſime patriarcham

f) ne cenſorio ſupercilio plus aequo in eum vſi eſſe videamur, lectorem ad ea, quae ipſe edidit, ſcripta delegamus, de quibus §. *III. proximo.*

g) *vid.* §. *III. ſequentem.*

h) Inſertus eſt *Biblioth. Patr. Max. Tom. IIII.* et BARONII *Annal. ad a. 1054. N. XVIIII. Tom. XI. p. 222. ſequ.* vbi inſcribitur: *Breuis et ſuccincta commemoratio eorum, quae geſſerunt Apocriſiarii S. Rom. et Apoſt. Sedis in regia vrbe, et qualiter anathematizarint Michaëlem cum ſequacibus ſuis.* Habetur etiam in CANISII *Lect. Antiqu. Tom. III. p. 325.*

i) MABILLONIVS *Annal. Bened. loc. cit.* et BARONIVS *Annal. loc. adleg.*

k) LOVIS MAIMBOVRG in *Hiſtoire du Schiſme des Grecs lib. III. Tom. I. p. 289.* GRAVESON *Hiſt. Eccleſ. Tom. IIII. p. 79.*

l) quae inueniuntur in BARONII *Annal. Tom. XI. N. X. p. 219. et Concil. Tom. IIII. p. 68.*

illum

illum increpat cum ob alia, tum vero maxime ob superbiam, monstratque, si locus sit arrogantiae, eam Romanae potius, vtpote longe praestantissimae, quam Graecae ecclesiae conuenire: *m*) de calumniis eius in panem azymum et conuiciis multa persequitur, *n*) pro azymo pane contra fermentatum disputat, pleniusque id facturos esse legatos atque oratores suos promittit. *o*) De cetero sibi suisque cum dissentientibus ac pertinacibus pacem fore negat. *p*) Alteris ad Imperatorem *q*) de pace ineunda pauca, et ea frigide proponit, accusato grauissime Cerulario, de vi Latinorum sacrificio illata, et exclusione eorum a sacris, qui panem sine fermento consecratum acciperent. *r*) In fine epistolae legatos Imperatori ita commendat, vt nec pacis impetrandae caussa a maiestate ac supercilio suo vel tantulum sese demitteret. *s*) Poterat autem Pontifex auctoritate aliqua apud Augustum Graecorum vti, propterea, quod auxilii per pontificem ab imperio occidentali contra Saracenos et Francos certatim irruentes obtinendi vana spe lactatus, nihil non

m) *Concil. loc. cit.*
n) *ibidem p. 69.*
o) *eodem in loco.*
p) *ibidem.*
q) quas sistit BARONIVS *loc. cit. N. II. p. 217. et Concil. Tom. IIII. p. 70.*
r) BARONIVS *ibidem Num. VIII. p. 219.*
s) *Concil. Tom. IIII. p. 72.* BARON. *loc. cit.*

concef-

concessurus videbatur: quod nec ipsi scriptores Latini dissimulant. *t*) Itaque cum Constantinopolim legati venissent, dici non potest, quanta cum beneuolentia ab Imperatore excepti fuerint, qui se totum ad voluntatem eorum componebat. *v)*

§. III.

§. III. De mutuis disceptationibus, vbi Latinorum importunitas notatur, collaudata Graecorum modestia.

Tanto patrocinio nixi, vt erant per se audacissimi, legati disceptationes Graecorum cum Latinis, eamque potissimum, quae de azymo intercedebat, summa cum fiducia virium suarum, quasi magistri cum imberbibus discipulis agerent, non dicam examinarunt, sed discusserunt. Aliquando tamen eo vsque descenderunt, vti Graecos in concordiam fraternam cum Latinis coire, et fidei eorum se committere iuberent. Nec vero aliam ponunt foederis faciendi conditionem, nisi eam, quae cum perpetua seruitute coniungitur, extra quam nec norunt, nec ambiunt, qui nimium rebus suis fidunt, aliorum concordiam. Quo fit, vt in plerisque scriptis primum ponant, praesulem Romanum eum esse, cuius ad arbitrium iudiciumque summa rerum sacrarum redeat, quae sententia quasi stirps est omnis in

t) DE GRAVESON *Hist. Eccles. Tom. IIII. p. 57.* MAIMBOVRG *Histoire du Schisme L. III. Tom. I. p. 289.* BARON. *Annal. ad a. 1053. N. XXXX. Tom. XI. p. 214.*

v) vid. *Commemoratio rerum a legatis Constantinopoli gestarum adleg. loco.*

aduer-

aduersarios ferociae atque immanitatis. Graeci iugum istius vicarii Christi subeundum a Christi institutis admirandum in modum abesse rati, subducto fortiter collo, manibus, quod aiunt, pedibusque obnixi restitere. Laude tamen digni sunt Graeci, qui suas cum Latinis disceptationes multa humanitate temperarunt. Quod eo tempore maxime apparuit, cum caussa azymi voce ac stilo legatorum muniretur, et Graeci pro fermentati dignitate, vel si mauis, necessitate depugnarent. Graecis in aciem prodeuntibus facem praetulit NICETAS PECTORATVS *x*) presbyter et monachus monasterii Studii, vir magni apud suos nominis, vel BARONIO iudice. *y*) Is vero libellum in azymi vsum, in coelibatum sacerdotum, et alia quaedam, pro more saeculi perquam modeste scriptum diuulgauit, et Latino-

x) Errorem admisit vir alioqui summus, MART. CHEMNICIVS, cui Nicetas hic Pectoratus nec in ecclesia orientali vixisse, nec pro Graecis scripsisse videtur, tum quia Leo VIIII. ipsi Latine respondit, tum denique, quia propter impugnatum sacerdotum coelibatum in haereticis numeratus fuerit, quod fieri potuisse negat, si in Graecia vixisset, vbi sacri ordinis hominibus coniugio haud erat interdictum. vid. *Examen Concil. Trid. Part. III. p. 72.* Quibus rationibus si pondus inesset, nec ipse Antistes Constantinopolitanus, Mich. Cerularius ecclesiae Graecae adscribendus, vel eius caussam egisse censendus esset: vt alias in re adeo certa non necessarias responsiones omittam.

y) *Annal. Tom. XI. p. 789.*

rum

rum legatis obtulit. z) HVMBERTVS, qui panis azymi vsum edito dialogo inter Constantinopolitanum et Romanum strenue defenderat, a) huic Nicetae scripto aliud de azymo opposuit, b) atque ita respondit, vt nihil fingi possit, vel inflatius, vel inhumanius. Imperator nihilominus vtrumque scriptum HVMBERTI in linguam Graecam transferri iussit, c) siue quod vltra, quam aequum est, Latinos foueret, siue quod scripta ista, publica violentiae et immanitatis monumenta Latinis magis, quam Graecis obfutura esse ominaretur. Et sane si malam caussam ex nimio defensorum aestu diiudicare aequum est; vereor, ne haec in Nicetam oratio,

z) NICETAE PECTORATI *liber contra Latinos* descriptus est in CANISII *Lect. Antiqu. Tom. III. p.308. sequ.* in BARONII *Annal. ad finem Tom. XI. p. 789.* Argumenta eius referunt IO. CIAMPINVS *in Coniect. de perpetuo azymorum vsu in eccl. Lat. cap. I. p. 10.* et CENTVRIAT. MAGD. *Cent. XI. cap. VIII. p. 406.*

a) *Disputatio* HVMBERTI *S. R. E. Episcopi Cardinalis, quam Constantinopoli habuit de Azymo et Fermentato ex* Vaticano depromta adiecta est a BARONIO *Annal. Tom. XI. p. 761-789.* et inserta HENR. CANISII *Lection. Antiqu. Tom. III. p. 283. sequ.* HVMBERTI rationes pro azymo recensent CIAMPINVS *lib. cit. p. 12.* et CENTVRIAT. MAGD. *loco cit.*

b) *Responsio* HVMBERTI *ad Nicetam* habetur in CANISIO *loc. adleg. p. 314.* et BARONIO *l. c. p. 796.*

c) vid. *Commemoratio* HVMBERTI *de rebus gestis a legatis Lat.* apud BARON. *ad a. 1054. N. XX. pag. 220.* conf. BARON. *ad finem Tom. XI. p. 761.*

Latinos caussa inferiores fuisse, significet. Non alienum credo esse ab hoc loco et instituto nostro, nonnulla de disputatione Humberti cum Niceta in medium adferre, quo procliuius sit, de reliquis statuere. Nicetas in scripto contra panis fermento carentis vsum, eum ipsum ritum acriter quidem impugnat, at abstinet tamen ab omni obiurgatione Latinorum seueriore, minimeque vlli Latinorum molestus est, vel nominatim iniuriam infert. Veniam dicendi principio petit a Latinis, quos contra caussae Graecorum patronus in publicum progreditur. *Rogo*, ait *d*) *vestram caritatem, humiliari vos propter Dei praeceptum et audire a nobis indignis et minimis.* Saepe eos *fratres e*) saepe *omnium gentium sapientissimos nobilissimosque vocat. f*) Quo quid submissius? quid honorificentius? Manifesto vides eum, vt numquam non conuenit, cum caussa, nequaquam cum hominibus dissidere. Et quam modesta est, planeque ad mentem Christi composita oratio, quam apud eos vsurpat: *g*) *Fugite quae huiusmodi sunt actitare, cum sitis ecclesiae Dei et totius orbis semper splendidus oculus, et vniti nobis vestris confratribus. Si vero aliter tenetis, date nobis*

d) CANISII *Lect. Ant. loc. cit.* vbi Latine factum: idemque in BARONII *Annal. Tom. XI. p. 789. sequ.*

e) BARON. ibidem p. 791. 793. 796.

f) p. 789. 791. 795.

g) loc. cit. p. 796.

testi-

teſtimonia ex diuina ſcriptura conſiſtentia, in quibus volo beneuolos vos eſſe, vt ſupra ſedes intelligentiae requieſcatis. Magnum denique amorem ſpirant preces, quibus finit atque obſignat orationem: *b*) *Salutamus vos in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui eſt gloria et potentia, cum Patre et Spiritu Sancto nunc et ſemper in ſaecula ſaeculorum. Amen.* I nunc et confer cum ſcripto hoc modeſtiſſimo reſponſum Humberti. Exaudies maledicta, et os impudentiſſimum miraberis. Scriptum Nicetae perquam modeſtum vocatur ei *latratus*, *vomitus*, *i*) *ſacrilegium*, *blaſphemia*, *k*) *maledictus ſermo oris*, *doctrina peſtifera*, *ſuggeſtio diabolica* *l*) *error Labyrintheus*, *m*) *mendacivm*, *n*) et quid non? Ipſum vero Nicetam vocat *ſubuerſum ſubuerſorem*, *qui dictis Scripturae ſacrae*, *tamquam adulter oculo*, *et latro ferro*, *vtatur*, *o*) vocat *maledictum*, *p*) *ac fermentatum*, *q*) *peruerſum ac rabioſum canem*, *r*) *perfidum Stercorianiſtam*, *Arianum*, *peſtiferum leonem antiqui ſerpentis* *s*) vocat *Nicolaitam et abominabi-*

b) ibidem.
i) p. 796.
k) p. 797.
l) pag. 798.
m) p. 799.
n) p. 800.
o) p. 797.
p) p. 798.
q) p. 800.
r) p. 797.
s) apud BARONIVM loc. cit. p. 802.

lem Cynicum. t). Ille demiſſiſſimo vſus fuerat exordio, Humbertus autem longe aliud conſtituit libri initium. v) *Vae tibi*, inquit, *Sarabaita, qui nulla coenobitali es animatus diſciplina, voluntate atque voluptate ductus propria, contra ſanctam Romanam et Apoſtolicam eccleſiam, et omnium ſanctorum patrum concilia horribiliter latraſti, et ſtultior aſino frontem leonis et murum adamantinum frangere tentaſti. In quo vtique non es victor erroris, ſed victus errore, nec presbyter, ſed inueteratus dierum malorum, et puer centum annorum maledictus: potius dicendus Epicurus, quam monachus: nec credendus es degere in monaſterio Studii, ſed in amphitheatro aut lupanari, quo, ſicut quidam patrum dixit, quicumque vult, intrat et ſoluit aſinum: qui etiam vere praenominaris Pectoratus, quoniam cum ſerpente antiquo ſuper pectus tuum graderis.* Quid? quod ipſam modeſtiam ac ſubmiſſionem ipſe exprobrat? *Deinde*, ait, x) *deteſtabilior omni veneficio labia mortiferi procul melle caritatis et bono odore humilitatis imbuens ex praedictis virtutibus delectabile exhibuiſti prooemium, vt praeguſtata dulcedo faceret incunctanter abſorberi fel draconum et reliquum veneficium.* Ille precibus ſcriptum finierat; hic vero, ne quid remiſiſſe videretur de conſtantia ſua, ſi ira-

t) ibidem p. 805.
v) Idem ibidem p. 796.
x) pag. eadem.

cundia

cundia constantia dici potest, imprecationibus exsecrationibusque hunc fere in modum perorat: y) *Tu vero, miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema ab omni Christi ecclesia cum omnibus, qui tibi adquiescunt in tam peruersa doctrina.* Haec sunt saeculi illius dicteria, hi sales, hae facetiae: quibus omnibus si maxime dignus esset Nicetas, at ille indignus, qui in eum tanta vehementia raperetur. Nunc, cum nullo suo merito tam iniquum modestiae pretium Nicetas ferat, quo per Deum! eloquentiae flumine, quibus praefationibus tantum furoris crimen dilui poterit? Nisi forte tanta est hominum eiusmodi auctoritas, vt etiam furoris atque arrogantiae suspicionem tegere possit. Neque, dum haec dicimus, veremur, ne iusto duriores fuisse et principem ecclesiae Romanae purpuratum securi subiecisse videamur. Verum esse, quod attulimus, res loquitur in illustri posita. A nobis non potuit non adduci, quia hanc in Humbertum dicendi necessitatem imponunt nobis scriptores Latini, z) qui hunc belli eucharistici ducem laudibus in coelum efferunt. Neque vero vna haec fuit

y) pag. 808.

z) vid. MAIMBVRGII *Histoire du Schisme des Grecs* L. III. Tom. I. p. 290. vbi Humbertum vocat *un de plus sages et de plus sçavans hommes de son siecle*, multisque praedicat *sa sagesse, sa vertu, et sa rare doctrine en toutes sortes des sciences divines et humaines.*

legatorum cum Graecis coitio; sed vario conflictus Marte iterum est ac saepius redintegratus. Quibus contentionibus a Latinis impotenter feruidissimeque exercitis animi Graecorum inflammati, velut incendium aucta materia, in dies magis ac magis odio iraque excanduerunt.

§. IIII. De opera legatorum inani, quantus etiam cumque esset Imperatoris Graeci fauor.

§. IIII.

Nimia haec omnia non poterant non vitium trahere, quam volunt, licet, Latini legationis successum praedicent. Si factam rem, non commentitiam HVMBERTVS, vel quicumque auctor est commentarii de rebus legatorum Constantinopoli gestis, *a*) narraret, victum in triumpho Latini ducerent hunc ipsum Nicetam Pectoratum. Etenim disputatione cum legatis instituta, eo adactus fuisse fertur, vt in conspectu Augusti et reipublicae procerum, consilio mutato, velisque retrorsum datis, librum, quem contra Latinorum azymum ediderat, detestatus, omnibus, qui pontificis Romani primatum impugnarent, diras imprecaretur. *b*) Qui-

a) *Niceta monachus, qui et Pectoratus ante praesentiam praefati Imperatoris et procerum eius, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizauit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem apostolicam et omnem Latinam ecclesiam editum, et praetitulatum de azymo, de sabbato, et de nuptiis sacerdotum.* HVMBERTI *Commemorat.* ap. BARON. *Tom. XI. Annal.* ad a 1054. N. XVIIII. p. 222.

b) Ibidem: *Insuper anathematizauit cunctos, qui*

bus

bus adiiciunt, librum Nicetae de azymis, aliisque Latinorum erroribus, legatorum instinctu, iussuque Imperatoris, auctore libri ipso haud renuente, sub oculis omnivm in concione combustum: *c*) postridie illius diei Nicetam legatos adiisse, submisse compellasse, datoque poenitentiae signo et exsecratione scriptorum in Latinos repetita, a legatis veniam delictorum impetrasse, atque in communionem ecclesiae Latinae receptum fuisse. *d*) Sed nimium credulus sit, oportet, cui haec fidem faciunt, a quibus reliqua omnia dissentiunt. Quare in tanto Graecorum omnium silentio tutius haec in dubium vocantur. *e*) Mirifice etiam triumphant, quod Michaël Cerularius conspectum eorum ferre haud potuerit, neque in colloquium eorum venerit. *f*) Mihi vero, si meum est hac de re iudicare, et maxime prudenter, et minime

ipsam sanctam Romanam ecclesiam negarent primam omnium ecclesiarum esse.

c) *Commemor. cit. loco.* conf. LVD. MAIMBVRGIVS lib. cit. Tom. I. p. 292. et LVD. ELLIES DV PIN *Bibl. Script. Eccl. Tom. VIII. P. II. Cap. VII. p. 79.*

d) HVMBERTVS *cit. loc. N. XX. p. 222.*

e) vid. GVIL. CAVE *Histor. Litter. Script. Eccl.* Saec. XI. p. 605. IACOBVS BASNAGE in not. ad HENR. CANISII *Lect. Antiqu.* Tom. III. p. 279. IO. MICH. HEINECCIVS *Abbildung der A. und N. Griechischen Kirche P. I. cap. III. p. 271.*

f) vide tabulam deuotionis, et exsecrationis in Graecos dictae, quam sub initium capitis proximi III. §. I. adfiximus.

timide Cerularius egiſſe videtur, ſi verum eſt, quod Latini iactant. Cum enim tanta importunitate in Graecos inueherentur, cum leniſſimam Nicetae orationem vocibus maledicentiſſimis exciperent, cum vultu ipſo, greſſuque faſtum ſpirarent, ſi qua eſt fides Cerulario, *g*) vel ſi quid etiam ex ſuperioribus colligere fas eſt; ſatius erat, eos omnino deuitare. Quid enim eſt, quod exſpectetur ab iis, qui potentiam ſine iniuria leuem atque inopem arbitrantur? At! at, niſi me fallit augurium, legati, quando Cerularium conſpectum colloquiumque Latinorum fugiſſe dicunt, id forte putant, quod eos nec ſollicite ambierit, nec turbae ſalutantium immixtus mandata eorum exſpectarit. In quam ſuſpicionem praeter illa, quae infra a nobis exponentur, me vocat epiſtola CERVLARII ad Petrum Antiochenum data, quae Latinos omnem occaſionem cum Cerulario agendi ſtudio devitaſſe, eumque praetereuntes nec paullum inclinato capite honoris cauſſa ſalutaſſe, ſed inſolentius deſpicatui habuiſſe memorat. *h*) Vt vt ſunt haec omnia, quae in neutram partem momentum habent euentus, quocumque magiſtro clarius do-

g) in *epiſtola ad Petrum Antioch.* apud COTELERIVM in *Monument. Eccleſ. Graec.* Tom. II p. 138.

h) vid IO. BAPTISTAE COTELERII *Monumenta Eccleſiae Graecae* loc. citato. quarum litterarum ſententiam ob oculos ponemus paullo poſt §. III.

cet,

cet, fructum fuisse legationis nullum. Neque enim quicquam legatos adiuuit summa Imperatoris indulgentia, apud quem magno in honore fuerunt: nihil profecerunt tot scripta, et Latine, et Graece ipsius Imperatoris Graeci auspiciis pro defensione panis azymi in lucem protrusa, nihil tot contumeliarum aculei, tot maledictorum spicula in aduersarios fixa, quae animos saucios pungebant magis, quam sanabant. Quid multis moror? cum Latini non modo cedere, sed etiam mitius agere recusarent, cum a pari vinci indignum, ab inferiore multo indignius iudicarent, cum Graeci mandata a Latinis accipere et ad praescriptum eorum agere turpe ducerent; rerum ordine potius, quam casu factum est, vt ad irritum omnia redigerentur.

CAPVT III.
DE CONTROVERSIAE SVMMA MATVRITATE ET CONTENTIONE.

§. I.

§. I. De minis caelestibus in Graecos azymi contemtores semel iterumque iactatis.

His accessionibus aucta controuersia, veluti riuuli eundo crescunt, magnum cepit incrementum, et ad summum peruenit. Legati, nequicquam posito studio, ne sui essent dissimiles, iniurias vberrime effusas noua eaque maxima iniquitate roborant. In ipsa aede magna Constantinopolitana sanctae Sophiae Ceru-

rularium Patriarcham et Leonem Acridanum cum sociis omnibus, azymi Latinorum impugnatoribus, sollemni ritu publice ab omni piorum coetu abesse iubent, fulmine minarum horribili in eos coniecto. Cuius deuotionis quo testatior esset memoria, tabulam, in qua exsecrationis exemplum scriptum erat, in aram eiusdem templi praecipuam, hominibus sacri ordinis aliisque permultis ad faciendam rem diuinam iam iam congregatis, posuerunt. *i*) Inde egressi in limine templi, credo, ne nihil ad praescriptum Christi egisse viderentur, puluerem pedum excussere, Deo teste, iudice atque vindice in partes suas temere potius, quam pie vocato. *k*) Tam dirae deuotionis exemplum habetur in codice manu scripto Graeco *l*) in bibliotheca Vindebonensi

i) vid. HVMBERTI *Commemoratio* cit. apud BARON. *Annal. Tom. XI. Num. XX.* p. 222. et sequ. *Praefati nuntii, XVII. Kal. Aug. adierunt ecclesiam S. Sophiae et super obstinatione illius conquesti Clero ex more ad missas praeparato iam hora tertia diei sabbati chartam excommunicationis super principale altare posuerunt, sub oculis praesentis cleri et populi.* conf. *Edictum Synodi Const. a Graecis in Latinos editum* ac descriptum a L. ALLATIO de *Libr. Ecclesiast. Graec. Diss. II. p. 161.* et *epist:* CERVLARII in COTELERII *Mon. Eccl. Graec. Tom. II. p. 165.* conferatur de his et sequentibus FLEVRY *Histoire Eccles. lib. LX. Tom. XIII.* pag. 19. sequent.

k) ibidem: *in testimonium illis, iuxta dictum euangelii, proclamantes: Videat Deus, et iudicet!*

l) *Codicis MSti Graeci* pag. 137.

adser-

adſeruato, *m*) ab aliis quoque, veluti CENTVRIATORIBVS MAGDEBVRGENSIBVS *n*) L. ALLATIO *o*) et BARONIO *p*) deſcriptum. Ex quo planum fit, praecipuam ad diſſenſſionem feneſtram aperuiſſe vſum panis azymi in ſacra coena, de quo tanto cum feruore bellatum fuit. Vt taceam, quod rei huius indignitas Graecorum animos iampridem a Romanis auerſiſſimos inexpiabili capitalique odio Latinorum imbuerit, et ex hoc tempore diſceſſio ab illis facta hodie quoque permanſerit. Quare, quod ſine incommodo lectoris fiat, oculis ſubiiciam partem ſcripti illius praecipuam et hoc loco memoratu digniſſimam: *q*)

QVICVMQVE FIDEI ET SACRIFICIO ROMANAE ET APOSTOLICAE SEDIS SE

m) PETR. LAMBECII *Comment. de biblioth. Vindobon. lib. III. p. 160.*

n) *Hiſt. Eccl. Centur. XI.* cap. VIII. p. 411.

o) de *Libr. Eccl. Graec. diſſ. II.* p. 166. *edicto Graecorum* Graece inſertum, et p. 176. Latine redditum.

p) *Annal. ad a. 1054.* N. XXIII. Tom. XI. p. 223.

q) In deſcribendo legatorum Latinorum ſcripto in Graecos euulgato exemplum Baronianum potiſſimum ſecuti ſumus, collatis tamen diligenter exemplis aliorum opera exhibitis. Cumque in exemplo, quod Praeſules Graeci in Synodo illa Conſtantinopolitana congregati edicto in Latinos promulgato, inſeruerunt, quod LEO ALLATIVS loco adducto ſiſtit, pauca ſint adiecta, quae in Baroniano illo aliisque deſiderantur, ea litteris maiuſculis vt excuderentur, curauimus.

OPPO-

OPPONIT, ANATHEMA SIT, NEC DICATVR ORTHODOXVS, SED PROZYMITA ET NOVVS ANTICHRISTVS.

Humbertus, Dei gratia Cardinalis Episcopus ſanctae Romanae eccleſiae, Petrus, Amalphitanorum Archi-epiſcopus, Fridericus, Diaconus et Cancellarius omnibus Catholicae eccleſiae filiis. Sancta Romana prima et apoſtolica ſedes, ad quam, tamquam ad caput, ſollicitudo omnium eccleſiarum ſpecialius pertinet, eccleſiaſticae pacis et vtilitatis gratia, ad hanc regiam vrbem nos apocriſarios ſuos facere dignata eſt, vt, iuxta quod ſcriptum eſt, deſcenderemus, et videremus, vtrum opere completus ſit clamor, qui ſine intermiſſione ex tanta vrbe conſcendit ad eius aures: aut, ſi non eſt ita, vt ſciret. Quamobrem cognoſcant ante omnia glorioſi Imperatores, Clerus, Senatus, et populus huius Conſtantinopolitanae vrbis, et omnis eccleſia Catholica, nos hic perſenſiſſe magnum, vnde vehementer in Domino gaudeamus, bonum, et maximum, vnde miſerabiliter contriſtemur, malum. Nam, quantum ad columnas imperii et eius honoratos atque ciues ſapientes; Chriſtianiſſima et orthodoxa eſt ciuitas: quantum autem ad Michaëlem, abuſiue dictum patriarcham et eius ſtultitiae fautores, nimia Zizania haereſeon quotidie ſeminantur in medio eius. Quia ſicut Simoniaci donum Dei vendunt -

\- - - - - -

ſicut

ſicut Manichaei, inter alia, quodlibet fermentatum fatentur animatum eſſe. - -
Pro quibus erroribus et aliis pluribus factis ſuis, ipſe Michaël litteris Domini noſtri Leonis admonitus reſipiſcere contemſit. Inſuper nobis nuntiis illius, cauſſas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus praeſentiam ſuam et colloquium denegauit, et eccleſias admiſſas agendum interdixit, NEQVE SACRVM IMPERATORVM CONSILIVM ET SAPIENTVM EVM COHORTANTIVM AD SANAM MENTEM AVDIIT, *ſicut et prius Latinorum eccleſias clauſerat, eosque azymitas vocans verbis et factis vbique perſecutus fuerat in tantum, vt in filiis ſuis anathematizaſſet ſedem apoſtolicam, contra quam ſe adhuc ſcribit* οἰκȣμενικὸν *patriarcham. Vnde nos quidem - - - -*
anathemati, quod Dominus noſter reuerendiſſimus papa eidem Michaëli et ſuis ſequacibus, niſi reſipiſcerent, denuntiauit, ita ſubſcribimus: Michaël abuſiuus patriarcha. neophytus, et ſolo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus peſſimis a multis diffamatus: atque cum eo Leo Acridanus epiſcopus dictus, et ſacellarius ipſius Michaëlis Conſtantinus, qui Latinorum ſacrificium in conſpectu omnium profanis conculcauit pedibus, et omnes ſequaces eorum, in praefatis erroribus et praeſumtionibus, ſint anathema, maranatha, cum Simoniacis, Valeſiis, Arrianis, Donatiſtis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis,

machis, Manichaeis, et Nazarenis, et aliis, qui fermentatum animatum esse dicunt, et cum omnibus haereticis, immo cum diabolo et angelis eius, nisi forte resipuerint. Amen. Amen. Amen.

Neque vero satis habuerunt, scriptum hoc relinquere, et ad omnem posteritatem transmittere, et alia etiam eaque gravissima exsecratione terrere, quicumque ex hoc tempore panem consecratum a Graecis, sacrificii Romani contemtoribus accipere ausit; r) sed viua etiam voce, in publico congressu, ipso Augusto multisque optimatibus exaudientibus, antequam discederent Constantinopoli, minis iteratis exclamarunt: s) *Quicumque fidei sanctae Romanae et Apostolicae sedis, eiusque sacrificii pertinaciter contradixerit, sit anathema, maranatha, nec habeatur Christianus Catholicus, sed Prozymita haereticus. Fiat. Fiat. Fiat.* Ecce tibi ob ipsum panis non fermentati vsum horrenda tonitrua! Ita cum minarum strepitum victoriae loco ducerent, Graecis plagam insanabilem inflicturi non modo turpi ad

r) *Commemoratio* modo citata Num. XX. p. 223: *Hinc ordinatis ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, anathemate dicto cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Graeci Romanum sacrificium vituperantis, - coepere reuerti.*

s) Ibidem Num. XXVI. p. 224. conf. IO. FR. BVDDEI *Isagoge Historico-Theol.* lib. II. cap. VII. §. VI. p. 1124.

omnem

omnem posteritatem exemplo summae iracundiae notam sibi ipsi inusserunt, sed etiam hoc impotentis animi pretium tulere, vt tam graui vulnere illato, etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescerent. Quod Latini etiam scriptores *t*) haud dissimulanter expresserunt.

§. II.

§. II. De discessu legatorum, legationis negotio irrito.

Laboribus Latinorum fractis et repudiatis telisque frustra missis, legati, cum semel iterumque Graecos voce imperiosa valere iussissent, Romam redire parant. Itaque; vt loquuntur Latini, *v*) *in osculo pacis*, ne quid a pace alienum fecisse existimarentur, *accepta orthodoxi Imperatoris licentia*, ne quis fugisse eos putet, *donisque imperialibus aucti*, ne tantum pacis conglutinandae studium praemio careret, in Italiam reuerterunt. Ex itinere ab Augusto reuocati redierunt illi quidem, cum Michaële Cerulario acerrime conflicturi: Sed frustra. Neque enim eorum auctoritati cedendum, neque adeo digitum superbissimis dictatoribus porrigendum esse Cerularius rebatur, nisi in aequum cam-

t) vid. *Ceremonies et coutumes religieuses des tous les peuples du monde par Bernard* PICART à Amsterd. 1733. vbi *Tom. III. Dissert. I. sur la religion des Grecs* de hoc Latinorum facto auctor confitetur: *qui porta le dernier coup à la reunion tentée inutiliment long tems après.* pag. 10.

v) HVMBERTVS in *Commem.* adlegata N. XX. p. 223.

pum

pum prodirent. *x*) Qua de caussa panis fermentati patrocinium suscepturus eos ad concilium in eodem Sophiae templo, vbi paucis diebus ante, absentibus aduersariis, fuerant admodum bellicosi, indictum, et ad luctationem prouocauit. Legati a vi Graecorum sibi metuentes, vel per se, vel imperatoris consilio congressionem deprecati, maturato itinere fugae, quam profectioni similiore, infecta vel potius ad extremum deducta re, ad suos se receperunt. *y*) In itinere occupatis, ne quis omnino esset legationis fructus, dona ab Imperatore accepta Trasimundus Theatinus Comes eripuit, quae licet vi minarum Pontificis victus tandem redderet, z) ceteroqui tamen omne legationis negotium tantum abfuit ab emolumento et compendio ecclesiae Latinae, vt esset potius ipsi fraudi atque detrimento.

x) Idem N. XXI. p. 223. de Michaelis Cerularii repugnantia: *legatos praefatus Michaël haeresiarcha comperiens rediisse, quasi ad concilium, conabatur in ecclesiam S. Sophiae sequenti die vocare, vt ostensa charta illorum, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem a populo.* Verum aliter loquitur *Edictum Synodi Graecae*, vbi CERVLARIVS: Οὐ βούλονται δὲ (legati reuocati) τῇ ἡμετέρᾳ μετριότητι προσελθεῖν, ἢ τῇ ἱερᾷ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ εἰς ὄψιν ἐλθεῖν, καὶ ἀπόκρισίν τινα δοῦναι. ap. L. ALLATIVM *de L. Eccl. Gr. Diss. II. p. 169.*

y) *Commemoratio* loc. cit.

z) CAES. BARONII *Annal.* Tom. XI. ad a. 1054. N. XXXXV. p. 229. et ad a. 1057. N. I. p. 247.

§. III.

§. III.

§. III. De Graecorum in Latinos contentione scriptis excitata et aucta.

Accidit hic, quod LEO Pontifex sub initium litigii magnifica, metuo, ne superba voce de summis ecclesiae suae viribus, tamquam ex oraculo editum, iactaverat: *a*) *ad cuius tonitruum quisquis non expergiscitur, non dormit, sed omnino est mortuus:* id, inquam, accidit, longe tamen aliter, atque ipse vellet. Nam Graeci, cum satis furor Latinorum detonuisset, transitu tempestatis exspectato, viribus omnibus collectis tantam pontificis insolentiam reprimendam statuunt. Conclamatur vndique: signum datur: princeps ad arma ciues suos vocat rerum sacrarum praesul, Cerularius, nihilque sibi ad frangendum Latinorum impetum reliqui facit. Itaque cum primum tantas audaciae accessiones facere Latinos vidit, id operam dedit, vt ea omnia ciues Graeciae quam minime ignorarent. Eo consilio binas ad Petrum, Antistitem Antiochenum litteras dedit. *b*) In quarum alteris fraudes, spiritus atque

a) *epist. ad Cerularium et Leonem Acrid. cap. XIII. Concil. Tom. IIII. p. 55.*

b) quae exstant non modo in *codice MSto Graeco* supra cit. p. 131-133. vt refert LAMBECIVS *Comment. de bibl. Vind. lib. III. p. 160.* Sed etiam in COTELERII *Mon. Eccl. Gr.* Tom. II. p. 135 et 162. Earum maximam partem descriptam exhibet BARONIVS *Annal.* Tom. XI. ad a. 1054. N. XXVIII. p. 224. sequ. et LEO ALLATIVS *de Consens.* Lib. III. cap. XII. §. IIII. p. 1109. sequ.

inſolentiam legatorum exponit: *c*) quae cum omnia eſſe, ait, acerba et indigna, tum nihil minus ferendum, quam quod eo efferantur, vt ſe eſſe eos negent, qui ab aliis diſcant, id vero obtrudant Latinorum eſſe, alios quoscumque edocere, et illud pro imperio ac poteſtate. *d*) Deinde memorat, Pontificem Romanum, qui vel ob ipſum vſum azymi a Graecorum communione iam antea excluſus fuerit, *e*) in poſterum quoque a ſacris arcendum, eiusque nominis memoriam ex precibus publicis iam nuper deletam, nequaquam reuocandam: *f*) aegre ſe pati, quod Patriarchas, Alexandrinum et Hieroſolymitanum nomen pontificis Romani in ſacris memorare, eosque qui pane azymo Latinorum veſcuntur, tueri, et adeo ipſos aliquando eumdem morem ſequi, *g*) increbeſcat. Ceterum de ritu panem ſine fermento conſecrandi, eiusque indignitate ac foeditate fuſe dicit. *h*) Per alteras quas ad hunc eumdem miſerat, de ſumma legatorum impuden-

c) εἰσελθόντες μετὰ σοβαροῦ καὶ γαύρου σχήματος, καὶ φρονήματος, καὶ βαδίσματος, et rel. apud COTEL. loc. cit. p. 138. Vide etiam *Edictum Synodi Graecae* in L. ALLATII *Diſſ. II. de Libr. Eccleſ. Graec. p.* 165.

d) CERVLARIVS *ad Petrum Antiochenum:* καὶ ταῦτα μετ' ἐξουσίας καὶ ἀναισχυντίας ὑπερβαλλούσης. COTELERII *Mon. Eccl. Gr.* ibidem p. 145.

e) COTELERIVS p. 139.

f) COTELER. loc. cit. p. 140.

g) Ibidem p. 141.

h) pag. 142.

tia,

tia, de maledicentissimis vocibus, de iniquissima in Graecos dicta, scripta, ac in medio proposita exsecrationis sententia *i*) eum reddit certiorem: ad extremum, quasi calcaribus submotis, admonet, vt ne a se ipse desciscat, neue de perseuerantia ad illorum audaciam persequendam quicquam remittat. *k*) Quod litterarum argumentum eo animo latius persecuti sumus, vt appareat, quantopere FRIDERICVS SPANHEMIVS *l*) et IO. MICHAEL HEINECCIVS *m*) fallantur, qui litteras MICHAELIS CERVLARII ad Petrum Antiochenum datas non modo inter dissidii caussas referunt, easque controuersiae originem dedisse scribunt, cum tamen, vt patet, singuli propemodum versus vtriusque epistolae de turbis ad summum iam perductis doceant; sed etiam eo vsque aberrant, vt ad certamen inter Leonem VIIII. et Cerularium viam patefecisse pu-

i) COTEL. cit. loc. p. 165.

k) ibidem p. 167.

l) *Hist. Christ.* Saec. XI. *Op. Tom. I. p. 1544. Proxima occasio dissidii inter Leonem VIIII. et Michaëlem Constantinopolitanum fuit Michaëlis Cerularii epistola gemina. Prima huius, et Leonis Acridani nomine scripta ad Ioannem Tranensem in Apulia - - altera mox anno sequente ad Petrum Antiochenum. Vtraque aduersus sententiam ac praxin Latinorum consecrantium in azymis.*

m) Abbildung der Griechischen Kirche *P. I. cap. III.* §. *26. p. 164.* Eben so schrieb *Mich. Cerularius* an *Petrum Antiochenum* - Dieses brachte den Pabst Leo in Harnisch.

tent. Cum tamen constet, et manifestissima confessione ipsius Cerularii iisdem litteris edita stabiliri possit, *n*) eas a morte demum Leonis anno cIↃLIIII. et controuersiae et omnibus mortalium rebus erepti scriptas esse. Cerulario PETRVS, Antiochiae Praesul respondet, *o*) non esse quod de fide, qua ecclesiae Constantinopolitanae adstrictus sit, *p*) dubitet: cognita sibi esse permulta, quorum caussa Latinos non possit non reprehendere atque aduersari, errorem tamen in vsu azymi panis, quem nuper acerrime vehementissimeque ipse in litteris suis ad Dominicum datis perstrinxerit, multo nunc sibi videri, quam antea leuiorem, *q*) se tamen officio suo numquam defuturum, et in fide permansu-

n) vide litteras ex COTELERII *Mon. Eccl. Gr.* modo citatas et BARON. *Annal. Tom. XI. ad a. 1054. N. XXVIII. p. 224.*

o) Habetur et haec epistola in *codice Graeco manu scripto p. 133.* teste PETRO LAMBECIO *Comment. de bibl. Vind.* loc. cit. Exemplum eius Latine factum BARONIVS *Annal. Tom. XI. ad a. 1054. N. XXXVIII. p. 227. sequ.* inseruit: Graecum LEO ALLATIVS exhibet *de Consens. libr. III. cap. XII. §. IIII. p. 1114.* et partem eius magnam *de Cons. lib. II. cap. I. p. 481.* Vide, nisi displicet, *Differt. Petri sub aduentum Argyri scriptam* in COTELERII *Mon. Eccl. Graec. Tom. II. p. 146.* quae huic epistolae ad Cerularium datae ex asse respondet.

p) apud LEON. ALLAT. *loc. cit. p. 1115.* et BARON. *cit. loc. N. XXXVIIII. p. 228.*

q) BARON. *ibidem N. XXXXI. p. 228 et 229.* ALLATIVS *loc. add. p. 1117.*

rum.

rum. Ea omnia, quae ad hoc litterarum commercium ſpectant, hoc conſilio Cerularius publice agebat, vti arrogantia, qua vſi eſſent legati Latinorum, in vulgus relata animos Graecorum ſtimulis quaſi foderet ac concitaret. Qua eadem de cauſſa ſingulare quoque volumen, quo res geſtas, ſuperbiam, atque aſperitatem legatorum Latinorum memoria prodidit, ſuo ac publico nomine diuulgauit, cui exemplum litterarum, quibus Latini Graecos deuouerant, inſeruit, *r*) ne quis omnino eſſet, quem tanta rei indignitas praeteriret, ſed vndique ad retundendam effrenatam Latinorum ferociam, tamquam ad commune incendium reſtinguendum, concurreretur. Neque fefellit eum opinio. Graecorum mentes per ſe in Latinos incenſae, admotis facibus, grauius exarſere. Fremit omnis Graecia, tot contumeliis acceptis, ciuesque eius, omnium

r) Adſeruatur in bibliotheca Vindebonenſi in *codice MSto Graeco p. 136*, vt LAMBECIVS loco ſupra adlato memorat. Index voluminis ab homine Latino factus hic eſt: *Michaelis Cerularii, Patriarchae Conſtantinopolitani Relatio calumnioſa et virulenta, quomodo ipſe cum ſequacibus ſuis ab apocriſiariis ſeu legatis S. Rom. et Apoſtolicae Sedis in ipſa magna eccleſia S. Sophiae anathematizatus atque excommunicatus ſit.* Hoc eiusdem eſſe puto argumenti, atque illud, quod LEO ALLATIVS deſcripſit *de Libr. Eccl. Graec. Diſſ. II. p. 161-171.* Quod inſcribitur: Σημείωμα περὶ τοῦ ῥιφέντος πιττακίου ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ παρὰ τῶν ἀπὸ Ῥώμης πρέσβεων κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου κυροῦ Μιχαήλ.

aetatum ordinumque Michaëlem Cerularium ducem et signiferum secuti, infestis signis in Latinos inferuntur. Aderant Cerulario et spiritus et instituti comites. *s*) Etenim praeter Petrum, Patriarcham Antiochiae, et Nicetam Pectoratum, quorum mentio iam facta est, ad societatem eius sese applicuerant NICOLAVS, Metropolita Methonensis, et MICHAEL PSELLVS, vir vltra saeculum, vel ALLATIO arbitro, *t*) eruditus, qui in panegyri in bibliotheca regis Galliae cum aliis scriptis eius adseruata vel eo nomine Cerularium laudibus effert, quod discedendi a Latinis occasionem intrepide et arripuerit, et arreptam constanter tenuerit. *v*)

§. IIII. De Graecis par pari referentibus, et dicta publice in azymitas exsecratione.

§. IIII.

Motibus Cerularii, tantum abest, vt modum statueret Imperator Graecorum, mirus ante caussae Latinorum defensor, vt etiam nimiam legatorum insolentiam moleste ferret, tum quod eorum importunitate ex animo moueretur, tum quod, spe auxilii a Latinis obtinendi deiectus, ad mentem saniorem, relictis eorum partibus, rediisset. Id certum est atque exploratum

s) MAIMBOVRG *Histoire du Schisme des Grecs L. III. Tom. I. p. 281.* conf. FLEVRY *Histoire Ecclesiastique lib. LX. Tom. XIII. pag. 2. seq.*

t) *Diatribe de Psellis p. 42.* conf. GVIL. CAVE *Hist. Litt. Saec. Eccles. Saec. XI. p. 605.*

v) IGNATII HYACINTHI AMAT. DE GRAVESON *Hist. Eccl. Tom. IIII. p. 57.*

ratum, eum litteris ad Cerularium datis ſignificaſſe, auctores omnium malorum fuiſſe, Argyri interpretes ac ſocios, ex iis igitur Veſtem et Veſtrarchem, hunc generum, illum Argyri filium, male multatos in carcerem detrudendos; at decretum Latinorum in Graecos nefarie promulgatum, immiſſo in legatos minarum coeleſtium fulmine, in conſpectu omnium eſſe flammis tradendum. *x*) Agit Cerularius ad praeſcriptum Auguſti libenter, et hoc libentius, quod ſua ſponte id facturus erat: neque in priuato tantum concilio, ſub oculis amicorum Imperatoris, legatos Latinos, omnesque, qui cum ipſis habuerant aliquid commercii, dira deteſtatione obſtrictos ex piorum communitate exterminat. *y*) Sed etiam in auribus maximae multitudinis, eamdem deuotionem repeti, exemplum ſcriptae in Graecos deteſtationis, in omnium oculis, comburi; ſed tabulam ipſam a legatis ſcriptam, ad ſempiternum auctorum dedecus, in bibliotheca ſacra ſeponi diligentiſſimeque ſeruari iuſſit. *z*) Quae

x) vide *Edictum Synodi contra Latinos* apud L. ALLATIVM *de Libr. Eccl. Gr. Diſſ. II. p. 169.* et *mandatum Imperatoris Graecorum ea de re ad Mich. Cerularium p. 170.* Τὸ δὲ χαρτίον (Latinorum) μετὰ τὸ ἀναθεματισθῆναι καὶ τοὺς συμβουλευσαμένους, καὶ τοὺς ἐκδεδωκότας, καὶ γράψαντας, καὶ μικρὰν εἴδησιν τῆς τούτων ποιήσεως ἔχοντας, κατεκαύθη ἐνώπιον πάντων· προσέταξε γὰρ ἡ βασιλεία μου, et reliqua.

y) ibidem pag. 170. vid. FLEVRY *loc. cit. pag. 21.*

z) ibidem.

res vt esset omnibus gentibus posteritatique perspicua, edictum de iniuriis a Latinis acceptis suaque in istos animaduersione, quod etiam nunc superstes est, *a*) synodus Graeca diuulgauit.

§. V.

De pontificis Romani nomine ex diptychis vel ob azymum eiecto: vbi diversae scriptorum sententiae enodantur et conciliantur.

§. V.

Testatum est ac manifestum, cum reliquis dissentiendi caussis, segetem horum omnium fuisse ritum azymo consecrandi. Sed de eo iam quaerendi locus est, an eo ipso tempore Cerularius Pontificis Latini nomen a diptychis abraserit, et ad id faciendum azymi panis detestatio momenti aliquid attulerit? Duo sunt, quae inuestigamus, capita quaestionis, quorum si prius excusserimus, haud difficilis erit ad alterum responsio, Cerularium Praesulis Latini nomen non modo expunxisse, sed primum etiam id fecisse, adfirmant nonnulli ex Graecis *b*) Latinis *c*) aliisque

a) apud LEON. ALLATIVM *de Libr. Eccl. Graec. Diss. II. p. 161. sequ.* confer. quae supra §. III. ad litteram *r*) adnotauimus pag. 85.

b) EMANVEL CALECAS apud L. ALLATIVM *de Cons. lib. II. cap. VIII. §. 5. p. 614.* nomen Episcopi Romani ob vsum azymi primum omnium a Cerulario e sacris eiectum memorat. Cui adstipulatur *Auctor de Haeres. Latin.* ibidem *lib. II. cap. I. p. 480.*

c) MAIMBVRGIVS: *Il est certain, qu' ils se joignerent avec lui, et qu' ils rayerent leurs* (pontificum Romanorum) *noms des diptyques. Histoire du Schisme L. III. Tom. I. p. 296.* LEO ALLATIVS *de Cons. lib. II. cap. VIIII. §. II. p. 616.* GRAVESON *Hist. Eccles. Tom. IIII. p. 57.* iterum *pag. 79.*

scripto-

ſcriptoribus. *d*) Quae adſertio, niſi limitibus circumſcribatur, quod ex ſcriptoribus illis paucos feciſſe equidem miror, omnium eſt longe falſiſſima, et vt alia multa ſilentio praeteream, vel ipſo CERVLARIO teſte, deſtrui et diſcindi poteſt. Is, cum accepiſſet, Pontificem Romanum honoris cauſſa in ſacris precibus ab Alexandrino et Hieroſolymitano praeſule nominatim appellari, admodum ſtomachatur, datisque ad Antiochenum litteris eorum factum notat. Quibus ſubiungit, iampridem Vigilii, Pontificis Romani tempore, communi Graciae conſenſu, antiſtitis Latini *e*) nomen a diptychis abire iuſſum eſſe. Equidem non ſum neſcius, quid PETRVS ANTIOCHENVS ad haec reſponderit, vt inſcitiam iſtam valde miratus magno vitio dederit Cerulario, quod Vigilii iam aetate id factum eſſe ſcripſerit, quod vix ſit, ſi quam longiſſime repetatur, annorum quadraginta. *f*) Interim inge-

d) vide IO. MICH. HEINECCII Abbildung der Griechiſchen Kirche *P. I. cap. III. p. 171.*

e) *epiſt. ad Petrum Antiochenum* in COTEL, *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 140.*

f) Ἐπὶ δὲ τούτοις κἀγὼ μάρτυς ἀπαράγραπτος, καὶ ἄλλοι σὺν ἐμοὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐλλογίμων πολλοὶ, ὅτι ἐπὶ τοῦ μακαριωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Ἰωάννου ὁ Πάπας τῆς Ῥώμης ἀκούων καὶ αὐτὸς Ἰωάννης ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις ἀνεφέρετο, καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει πρὸ χρόνων τεσσαράκοντα καὶ πέντε εἰσελθὼν ἐπὶ τοῦ μακαρίτου πατριάρχου κυροῦ Σεργίου, τὸν δηλωθέντα Πάπαν ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ μετὰ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν ἀναφερόμενον. Ὅπως δὲ ὑστε-

nue ac candide fatetur, ſe tempus cauſſamque oblitterati in diptychis nominis Latini ignorare, tamen commemorationem illam, quocumque etiam tempore exciderit, adhuc conſtanter in eccleſia Antiochena fuiſſe omiſſam. Suum enim ſe inter eos nomen profiteri, qui eccleſiae Conſtantinopolitanae, quaſi ſanctioris neceſſitudinis vinculo, obſtricti ſint. *g*) Ex quo omni luce clarius apparet, non Cerularium primum nominis Latini eiiciendi auctorem fuiſſe, ſed iam ante eum, ſiue Sergii tempore, vt putant multi, *h*) ſiue paullo ante Sergium memorationem illam fuiſſe amputatam. Meum igitur, quantuculum cunque eſt, iudicium additurus, in tanta ſcriptorum diſſenſione, de re tam certa, tam publica, tam denique teſtium ſibi contrariorum aetati proxima inducor, vt credam, nominis Latini ex diptychis Graecorum oblitterationem aliquoties factam. Praeſules orientales, vt fuit Graecorum omni tempore ſumma leuitas et inconſtantia, alias amici, alias

ρον ἡ αὐτοῦ ἐξεκόπη ἀναφορά, καὶ δι' ἣν αἰτίαν ἀγνοῶ. vid. L. ALLATIVS *de Conſenſ. lib. III. cap. XII. §. IIII. p. 1114. et lib. II. cap. I. p. 482.*

g) BARONIVS et LEO ALLAT. *locis cit.*

h) *Auctor ſcripti, quando Latini aut quibus auctoribus Spiritum S. a Filio quoque procedere dicere coeperint, et azyma ſacrificare?* refutatur ab ALLATIO *de Libr. Eccl. Gr. Diſſ. II. p. 157.* confer alium teſtem apud eumdem *de Conſenſ. lib. II. cap. VIII. §. V. p. 614.*

infeſti

infesti Latinorum rebus, nunc moderatius, nunc grauius caussam Graecorum contra pontifices Romanos agebant. Huc accedit, quod Latinorum alii alio more in eos vterentur, et ipsae rerum vicissitudines Graecos pluma ac folio facilius impellerent, vt aliam atque aliam viam ingrederentur, aliud alio tempore statuerent et idemtidem statuta rescinderent. Quam facile ergo factu fuisse putes, vt in sacris sollemnibus modo omitteretur nomen Latinum, modo recitaretur? Vt taceam, patriarchas Graecos a se fuisse saepe diuersos, moresque quorumdam a reliquis permultum dissensisse, quod exempla sexcenta docent: velut hoc, quod adduximus, ex quo Praesules Alexandrinum Hierosolymitanum in hac ipsa caussa fuisse a Constantinopolitano et Antiocheno disiunctos patet. *i*) Haec si ponamus, quae demonstratione minus egent, facile est probatu, Cerularium Romae infestissimum, data noua discordiae materia, nouo decreto, quod iam ante saepe constitutum fuerat, instaurasse, ne qua vmquam Pontificis Romani in sacris publicis fieret mentio. Qua ratione, vt nobis quidem videtur, nescio, an facilior et solutior esse possit, quippe quae et res omnes planissime expedit, et scriptores eiusdem praesertim aetatis dissentientes sibi conciliat. Neque caret coniectura nostra anti-

i) COTELERIVS et BARONIVS locis adlegatis.

quita-

quitatis ſuffragio. Eſt teſtis, cuius verba LEO ALLATIVS adducit, *k*) qui et a Sergio et ſucceſſoribus eius Cerulario, reliquisque patriarchis pontificis Romani nomen ex diptychis eiectum, idque a Cerulario confirmatum fuiſſe ſcribit. Cui, opinor, teſtimonio admodum concinit, quod CERVLARIVS datis ad Petrum Antiochenum litteris, Pontificem Romanum ſemel, iterum, tertio ac ſaepius omni communione et ſocietate ſacra apud Graecos fuiſſe extruſum exponit. *l*) Qua cum excluſione toties repetita coniunctam fuiſſe nominis Latini e diptychis deletionem quis eſt, qui neget, cum eodem loco de memoria Pontificis Romani in tabulis precum publicarum ſacris delenda verba fiant? *m*) Ac ſi bene conſiderentur omnia, vix impetrare a me poſſum, quin Photium, iuratiſſimum illum Praeſulum Romanorum obtrectatorem, aduer-

k) Μετὰ τὸν Σέργιον τὸν προῤῥηθέντα πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως τὸν ἀπὸ τῶν διπτύχων ἐκβαλόντα τὸν Χριστοφόρον γέγονε πατριάρχης ὁ Κηρουλάριος. - Καὶ ἐκ τότε, καὶ μέχρι τῆς δεῦρο οἱ μετ᾽ αὐτὸν γενόμενοι πατριάρχαι κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν ἔστερξάν τε, καὶ ἐβεβαίωσαν τὴν ἀπὸ τῶν διπτύχων ἱερῶν τοῦ Πάπα ἐξώθησιν. *de Conſenſ. lib. II. cap. VIII. §. V. p. 614 et pag. 615.* de tempore Cerularii ſcribitur: ἀπέκοψαν τελείως τὸ μνημόσυνον τοῦ Πάπα ἀπὸ τῶν διπτύχων.

l) COTELER. *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 139*: δι᾽ ὃ καὶ οὐχ ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ δὶς ἤδη, καὶ τρὶς, καὶ τετράκις τῆς θείας ἐξώρθη καὶ ἀπεβλήθη παρ᾽ ἡμῶν κοινωνίας καὶ μεταλήψεως.

m) Ibidem pag. 140.

ſario-

ſariorum ſuorum nomen honoris cauſſa, vt ſit in diptychis, publice recitaſſe dubitem. Neque enim credibile eſt, illius nomen in numero reliquorum Patriarcharum Photium poſuiſſe, quem publica exſecratione ad inferos amandauerat, quod referunt ſcriptores. Sed nec legem ea de re iſto iam tempore promulgatam, nec ab omnibus patriarchis eumdem morem obſeruatum, nec in ipſa eccleſia Conſtantinopolitana Photii ſucceſſores illud Praeſuli Romano dedecus aequali ſtudio inuſſiſſe, adfirmauerim. Quae cum ita eſſe videantur, nihil eſt, quod obſtet, quin tuto concludamus, neque nihil hac in re egiſſe Cerularium, neque principem fuiſſe huius facti auctorem. Sed quod aliquot ante annis ſemel iterumque molita erat, id eius demum aetate eccleſia Graca perfecit, et, eiecta praeſulis Latini e diptychis memoria, plene planeque, vt Nicetas Nicaenus *n)* vere adſtruit, eccleſiae Romanae ſocietatem effugit. Quo ſtabilito, expeditior eſt ad alterum caput quaeſtionis reſponſio, vel ipſum panis non fermentati vſum ad hoc perfaciendum prae reliquis Graecos impuliſſe. Nititur haec ſententia, praeter reliquas rationes, quas capite proximo explanabi-

n) τῆς κοινωνίας αὐτῶν τελείως ἀπεῤῥάγη ἡ ἐκκλησία Κωνςαντινυπόλεως, καὶ τῶν ἱερῶν διπτύχων αὐτῆς ἀπηλείφθη ὁ Πάπας. ALLAT. *de Conſ. lib. III. cap. XII. §. VII. p. 1128.*

mus,

mus, Cerularii apertis verbis *o*) aliorumque Graecorum concentu. In quibus est testis antiquus, *p*) qui Sergii memoria nomen praesulis Romani expunctum fuisse vel ea ratione motus negat, quod controversia de azymo pane ea tempestate nec dum nata fuerit.

§. VI. Litigium de azymo in caussis discessionis praecipuis est numerandum.

§. VI.

Vsque eo valuit detestatio panis sine fermento consecrati: sed maioris est momenti id, quod iam iam sum planum futurus. Defectionem a Latinis, quam Graeci permultis annis ante meditati fuerant, ex hoc potissimum tempore repetendam esse manifesto constat. Eius vero caussam singularem exstitisse hanc nostram quaestionem de azymo, non est, vt puto, quod dubitem. Nihil me mouet, vel NILI, *q*) Archiepiscopi Thessalonicensis, vel alius cuiusuis oratio, quae primatum pontificis Romani in Graecos adfectatum radicem discordiae, factaeque segregationis caussam vnam fuisse adseuerat. Neque enim is sum, qui ea aut in dubium

o) COTEL. *loc. cit. p. 139.*

p) *Auctor de haeresibus Latinorum:* Οὐ μέν τοι δὲ ἀπέκοψαν τὸ μνημόσυνον τοῦ Πάπα, διότι οὔπω ἐλαλήθη ἡ ὑπόθεσις ἡ τῶν ἀζύμων, καὶ ἡ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου καινοτομία. vid. L. ALLAT. *de Consens. lib. II. cap. I. p. 480.*

q) περὶ αἰτίων διαστάσεως ἐκκλησιαστικῆς. vid. IO. HOORNBEECK *Summa Controuers. Religion. lib. XI. p. 838 et 846. seq. in primis pag. 892.*

vocem

vocem, aut vllo modo ſententiae meae repugnare arbitrer. Fuit, haud inuitus fateor, animi elatio, quae pleraſque contentiones et parturit et alit, quae optimis quibusque ſaepe negotiis mortalium ſeſe admiſcet, fuit arrogantia, Graecorum ſumma, Latinorum autem longe maior, vt recte docet IOANNES HOORNBEECK r) et plane intolerabilis, vna eaque fecundiſſima rixarum turbarumque omnium mater. Ea ipſa tamen ſuperbia, qua Graecus ſuperiorem, s) Latinus parem ferre recuſabat, quaſi perſonata, aliis aliisque modis, contentionisque praefationibus ſe prodidit. t) Itaque cum aliis controuerſiis omnibus, quae tum ventilatae ſunt, tum huic quoque noſtrae de pane azymo ita adſperſa fuit, vti omnem controuerſiam e medio tollere, quam comitem hanc coniunctiſſimam auellere, minori negotio poſſis. In ipſa enim compoſitione, ſubductis rationibus, ſumma conditionum pacis eo ſemper rediit, vt Romae Graeci faſces ſubmitterent, ac nihil, quod a praeceptis inſtitutisque Latinorum vel tantulum differt, ſine praeſcitu atque permiſſu Patris Romani amplecterentur. Haec ſumma lex eſto, de

r) *Summa controuerſ. Rel. lib. XI. p. 913.*

s) ZONARAS *Tom. III. pag. 185. ſequent.*

t) vide GVSTAVI GEORGII ZELTNERI *V. Cel. Breuiarium Controuerſiarum cum eccleſia Graeca* edit. Norimb. a. 1737. pag. 50.

cetero:

cetero: *QVISQVIS ES, NOSTER ERIS.* At vero hoc loco, de radicibus ac fibris, vt ita dicam, controuerſiae noſtrae nihil diſputo: nihil de momento eius in libram atque examen voco, quod tamen, ſentio, quam ſit graue, ſi ex ingenio Graecorum diiudicetur: *v*) nihil de occultis factionis vtriusque ſtudiis diſſero; verum ex editis vtrimque ſcriptis, ex contentione partium earumque confesſione rem diiudico. Quo facto non poſſum non litem de pane haud fermentato in praecipuis ſeceſſionis cauſſis collocare. Quod ſi igitur diuortium cum Latinis factum, Cerularii aetate noua et perpetua diſceſſione roboratum eſt, quod nemo, niſi hiſtoriae rerum admodum rudis, negauerit; ſi porro ad ſegregationem id quam maxime valuiſſe exiſtimatur, quod quam acerrime inter partes contrarias controuerſum fuit, et quam plurimas turbas concitauit; nae ego neſcio, an dubitari poſſit, quin diſputatio de azymo, vt fuit eo tempore omnium vehementiſſima, ita cauſſa diſſidii exſtiterit paene maxima, certe non vltima. Itaque per mihi mirum accidit, eſſe bene multos, eosque nominis magni viros, qui, in recenſendis huius diſſidii cauſſis, quaeſtionem de azymo vel leuiter tangunt, vel omnino taciti praetergrediuntur: cum

v) quod facturi ſumus *Part. IIII. cap. I. §. I. ſequent.*

tamen

tamen iidem illi admodum verbosi sint in reliquis caussis vberrime pertractandis. Quasi vero id agatur, ecquae schismatis caussa dignitate ac momento suo reliquis sit grauior et illustrior? Et non in eo potius cardo rei hoc loco versetur, quid sit, quod Graecis ad discessionem Cerularii tempore redintegrandam viam patefecerit? quid sit, quod Graeci ipsi in caussis discessionis potissimum numerent, siue id sit natura sua leue, siue graue? Itaque vel ex superioribus emergere reor, quanti caussa haec a Graecis aestimata fuerit. Cuius eiusdem eos semper fuisse sententiae, ordine perpetuo per omnia saecula inde a Cerulario ad nostram aetatem demonstrabimus. *x*) Quod vno alteroue in partem contrariam adlato testimonio haud labefactatur. Quid enim? Si tanti sunt testimonia, quae primatum pontificis Romani, vel additam fidei Christianae ab apostolis denominato symbolo vocem *Filioque* pro sola discessionis caussa adferunt; valebunt, spero, etiam ea, quae disceptationem de azymo vnam, atque principem reliquarum dissidii caussam tradunt; valebunt illa, eaque permulta virorum doctissimorum consensu comprobata testimonia, quae multum ad defectionem illam momenti habuisse hanc panis consecrandi diuersitatem loquuntur. Vtique PETRVS, patriarcha Antiochiae, qui turbis ipsis interfuit, DOMINICO, Venetorum patriarchae de iniu-

x) *Part. II. cap. IIII. V. et VI.*

G ria

ria Graecorum in Latinos, quos propter panis azymi vſum ab eccleſiae communione diſiunctos eſſe cenſeant, admodum conqueſto *y*) reſponſum dedit, *z*) ritum illum azymum offerendi vnum omnino eſſe, cuius cauſſa offenſionem ac deteſtationem eccleſiae Dei Latini incurrant. At MICHAEL CERVLARIVS, ſummus ſacrorum Graecorum antiſtes, coeptis iam pridem concertationibus, et fulminibus exſecrationum iam aliquoties hac ipſa de cauſſa vtrimque vibratis, data ad Petrum, Antiochiae Patriarcham epiſtola, ingenue fatetur, *a*) vnicum hunc eſſe Latinorum errorem, quem in azymo conſecrando admittant, ſe ad id tempus exiſtimaſſe. Cuius mentem IOANNES, metropolita Ruſſiae, ſaeculis aliquot inferior tam plene exprimit, vt *errorem de azymis principium et radicem totius haereſeos eſſe* ipſi Pontifici Romano per litteras ſignificare nullus dubitaret. *b*) Neque vero nos vtemur his teſtibus, neque eo vſque pro-

y) DOMINICVS, *eccleſiae Gradenſis Patriarcha in epiſt. ad Petrum Antioch.* κρίνουσιν ἀφωρισμένους, (Latinos) ὅτι περ ἄνευ μίξεως ζύμης τὴν εὐχαριστίαν θύομεν. apud COTELERIVM *in Mon. Eccleſ. Graec. Tom. II. p. 108.*

z) *Epiſt.* PETRI ANTIOCHENI *ad Dominicum:* ἐν ἑνὶ τούτῳ (azymorum ritu) πρόσκομμα καὶ σκάνδαλον ταῖς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις γίνετε. *Ibidem pag. 122.*

a) vid. IO. BAPT. COTELERII *Monum. Eccl. Gr. Tom. II. pag. 144.*

b) vid. SIGISMVNDI ab HERBERSTEIN *Commentar. Rerum Moſcouit. Baſil. 1571. pag. 32.*

gredie-

grediemur, vt controuersiam nostram vel solam, vel principem omnium segregationis caussam constituamus; at manebit tamen fixum, in praecipuis eam habendam. Recte igitur et optimo iure BARLAAMVS, Episcopus Gyracensis, *c*) in commemoratione diuortii Graecorum a Latinis, duas praecipue caussas enarrat, vnam de Spiritu Sancto, alteram de azymo. Recte in eamdem it sententiam, IOANNES, *d*) Episcopus Citri. Quod aliarum religionum homines, qui controuersiam hanc attigerunt, FRIDERICVS SPANHEMIVS semel *e*) atque iterum, *f*) IO. HOORNBEECK, *g*) THOMAS SMITH, *h*) IO. MICHAEL HEINECCIVS, *i*) IO. FRANC.

c) *in epistola ad amicos in Graecia de vnione*, quam vide in *Biblioth. Patr. Max. Tom. XXVI. p. 6. sequ.*

d) *Respons. ad Constantinum Cabasilam.* vid. HOORNBEECK *Summa Controu. Rel. Lib. XI. p. 892.*

e) *Hist. Christ. ad Saec. XI. Op. Tom. I. p. 1544. sequ.*

f) *Differt. de perpetua dissens. eccl. orient. a Romana P. V. §. IIII. Op. Tom. II. p. 543.*

g) *Summa Controu. Relig. Lib. XI. p. 946.*

h) *Epistola de Graecae Ecclesiae hodierno statu Lond. 1678. pag. 121. Vsum panis fermentati dum intemperanti zelo, ne dicam* ἀλόγως *vrgent, schisma magis magisque ingrauescere superioribus saeculis coeperat. Quo praetextu ambitiosi antistites vtriusque sedis, quorum intererat dissidia foueri, ne alterutri cessisse viderentur, in se inuicem, tamquam siue Christi, siue ecclesiae institutorum praeuaricatores immodeste nimis debacchati sunt.*

i) Abbildung der Griechischen Kirche *P. I. Cap. III. §. 29. p. 168. sequ.*

BVDDEVS, *k*) GVSTAVVS GEORG. ZELTNERVS *l*) et alii *m*) calculis ſuis comprobarunt. Nec minus appoſite hoc loco, quam alioqui, iudicat Abbas Venerabilis, IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, *n*) qui acta Cerularii et Latinorum ita ſtylo proſequitur, vt ea tempeſtate et factum eſſe ſummum eccleſiae vtriusque diuortium, et diſceſſioni illi controuerſiam de azymo quam maxime fores aperuiſſe, planum fiat.

§. VII. Coniectura, cur Latinorum plerique controuerſiam de azymo in cauſſis diſſidii Graecorum primo loco ponant?

§. VII.

Principem alienationis Graecorum a Latinis fontem fuiſſe litem noſtram ſcriptores Latini omnium libentiſſime fatentur. *Hoc vnum certum eſt*, inquit GRAVESON, *o*) *praecipuam Graecos inter et Latinos diſcordiae cauſſam fuiſſe azymorum ritum in diuinorum myſteriorum celebratione.* CHRISTIANVS LVPVS *p*) *palmarem hanc*

k) *Diſſert. de Symb. Euch. in Parerg. Hiſtorico-Theol. pag. 15.*

l) *Flammam diſſidii erumpere coepiſſe ſaeculo XI. medio, vt in partes duas Graeci ac Latini dilacerarentur, p. 51. Breuiarii Controuerſ. cum eccl. Gr. et p. 52. annum 1053. quo lis de azymo praeter ceteras omnes viguit, celebrari ait, quo lugubris illa diſtractio contigit. Inde ſchiſma inſanabile fuit redditum.*

m) *Compend. Hiſt. Eccleſ. Goth. Lib. II. Cap. II. Sect. II. §. 41. p. 118.*

n) *Hiſt. Eccl. Noui Teſt. P. II. Saec. XI. §. VIII. p. 552.*

o) *Hiſt. Eccleſ. Tom. IIII. p. 58.*

p) *de S. Leonis actis aduerſus Cerul. Cap. V. Concil. edit. Venet. 1725. Tom. IIII. p. 312.*

et

et primam fuisse ecclesiae Graecae in Latinam calumniam diserte prodit. Neque aliam a LVDOVICO MAIMBVRGIO *q*) exspectabis sententiam. Sed latet hic, latet, opinor, in herba anguis. Id scilicet agunt, nisi animus parum prospicit, vt nitor, concinnitas, magnificentia, quam ab ecclesia sua nec absuisse vmquam, neque adeo abesse posse autumant, perpetuo quodam, illibato, et vbique gentium diffuso splendore effulsisse videatur, si constet e re tam leui, sine vlla Latinorum culpa, ortam esse Graecorum defectionem. Quae si vel de primatu pontificis Romani, vel de alia maioris momenti re facta esse diceretur, verentur, ne forte homines ab institutis sacrisque Romanorum alieni, vt sunt alioqui sollertes, ac felices macularum in ostentato hoc lumine obseruatores, in opinionem veniant, summum praesulis Romani principatum, cum aliis fidei Latinae capitibus, a dimidia, vel etiam maiore orbis terrarum parte, inde ab antiquissimis temporibus, fuisse in dubium vocatum. Huic suspicioni ne locus aperiatur,

q) *Histoire du Schisme des Grecs L. III. Tom. I. pag.* 282. *et* 283. vbi ait Cerularium scripsisse *contre les usages et les rits de l' eglise Romaine, principalement contre celui de consacrer et d' offrir le saint sacrifice de la messe avec du pain sans levain.* Et clarius etiam pag. 297. *Il fut le premier de tous, qui reprocha l' usage des azymes, sur lequel insista toujours avec une etrange opiniatreté dans ce renouvellement du schisme.*

 vulnus-

vulnusque accipiendum ſit, concurrunt et conueniunt vndique frequentes ſcriptorum cateruae, qui perpetuam Graecorum cum Latinis conſenſionem tot ſcriptis, dicam? an effictis voluminibus, gratiam pontificis aucupaturi, decantant, omnemque diſſidii anſam cauſſas admodum leues, quarum principem adferunt quaeſtionem de azymo, dediſſe perſuadent. Quos multos, et ad impudentiam ineptos non tantum in Latinis habent, ſed etiam ex Graecis, vt ſunt fere venales, qui difficultatibus ac rerum omnium anguſtia premuntur, viſcatis hamatisque muneribus inuitatos, vel conduxerunt Latini, vel in ſcholis ſuis ad adſentationem doceri iubent. Quid mirum? Fides curiae Romanae vendita, mens oppreſſa praemiis, lingua adſtricta mercedē auribus Latinorum ſeruit, veritate minus penſi habita. Hunc ego locum nequaquam praetermittendum duxi, propterea quod, vſque ad Cerularium vtramque eccleſiam conſpiraſſe, dicunt, *r*) et vel ipſius Cerularii aetate, Graecos Romae imperium exſpectaſſe ore impudentiſſimo adeo fingunt, vt non ego tam Gnathonum huius generis audaciam, quam Romanae curiae in ferendo iſto hominum genere patientiam mirer. Ne vero nihil ad hi-

r) EMANVEL CALECAS *aduerſus Graecos Lib. IIII.* apud LEONEM ALLATIVM *de Conſenſ. Lib. II. Cap. VIII. §. V. p. 614.*

ſtoriae

ſtoriae fidem ſcriptitaſſe videantur, ſi Graecis cum Latinis controuerſiam interceſſiſſe omnino negent, leuioris diſſidii cauſſas, et in illis primo loco quaeſtionem de pane azymo oratione longiore, et quaſi ore pleniore illuſtrant. Interim ſalua eſt ſententia, quam infra de momento controuerſiae diſſerturi *s*) ſubſidiis idoneis fulciemus, controuerſiam de panis ſacri genere in numerum cauſſarum divortii facti ita adſcribendam, vt molimine et contentione ſua reliquis aut ſuperior iudicetur, aut certe par omnibus ponatur.

CAPVT IIII.

DE CONTROVERSIAE DIVTVRNITATE AC PERTINACIA AD CONCILIVM FLORENTINVM.

§. I.

§. I. Cerulario viuo nec exſpirauit, nec remiſit diſſenſio.

Non ſolent eſſe diuturnae, quae ex leuibus cauſſis progignuntur, rixae: verum hic aliter cecidit. Neque enim, quod in tempeſtatibus ſubito coortis fieri ſolet, diſcuſſis nubibus ſudum rediit; ſed, vt eſt fere amantium ira amoris integratio, ita contra diſſentientium contentiones ad odium perpetuum faces praetulerunt. Haec adeo ſunt clara et perſpicua, vt mirari ſatis nequeam, eſſe in Latinis,

s) vid. *P. IIII. Cap. I. §. I.*

qui priusquam Cerularius moreretur, cauſſam illam mortuam fuiſſe, memoria prodant. Ex quibus, ne neminem producam, haud infimae caueae ſcriptor, HORATIVS TVRSELLINVS *t*) vel ea ratione a me aduocabitur, quod eius ſcripta in vulgus nota eſſe video. Arrigas, velim, aures, riſumque teneas, vt curiae Romanae adſentatoris mentem intelligas, qui de controuerſiae noſtrae expeditiſſima, et puncto temporis ad immortalem ſedis Romanae gloriam facta compoſitione, quin immo de Cerulario e veſtigio ad mentem meliorem redeunte ſplendidiſſime hunc fere in modum proloquitur: *v*) *Conſtantinus Monomachus Conſtantinopolitano patriarchae primas deferebat: legatos ſuper ea re a Pontifice miſſos reuerenter magis, quam obedienter audiebat. x*) *Igitur poſteaquam Patriarcha et Auguſtus ad concilium ex Pontificis auctoritate indictum venire y*)

t) *Epitome Hiſtoriarum Lib. VIII. Cap. III. §. XX. ſequ. pag. 399. et 400.*

v) loc. cit. *pag. 399.*

x) Neque haec omni numero veritati reſpondent. vid. *Part. II. Cap. I. §. III. ſequ.*

y) Si de concilio ſermo eſt, cum legati Latini Conſtantinopoli verſarentur; nec concilium illic indictum, neque Imperator, vel Patriarcha inuitatus fuit: ſin de colloquio, ad quod Graecos inuitaverint, loquitur; falſae ſunt voces, Auguſtum non comparuiſſe. Vtebantur enim legati Imperatore familiariſſime, quod ſupra, vel ipſis Latinis teſtibus ac praeconibus, demonſtrauimus, *Part. II. cap. II. §. II. p. 59.*

recu-

recuſabant, legati vrbe egreſſi, z) ſandalia ſua, vti Apoſtolis Chriſtus praeceperat, in eos a) cum caeleſtibus minis excutiunt. Ea res ciuitatem vniuerſam, ipſumque Caeſarem et Patriarcham tanta religione b) perfudit, vt cuncti poſtridie ſaccis induti et cinere conſperſi legatos adirent, c) pontificis faciem in eis venerantes d) et imperata facturi. e) Ita controuerſia haud magno eſt negotio ſublata, f) patriarcha diſcordiae auctore da-

z) Laborat et haec adfirmatio vitio. Dicendum erat, templo S. Sophiae egreſſi. vid. *P. II. cap. III. §. I.*

a) In Auguſtum etiam exſecrationem dictam eſſe, falſo adfirmat, reclamantibus ipſis legatis Latinis, qui in carmine illo diro exſecrationis Auguſtum Graecorum de ſingulari in Latinos voluntate ad caelum publice ferunt, vt apparet *P. II. cap. III. §. I.*

b) odio potius inflammauit. vide ſupra *P. II. cap. III. §. III. et IIII.*

c) Nemo vnus omnium illius aetatis teſtium hoc vel vidit, vel narrauit, neque adeo ipſi legati Romani adeo ſunt gloriae cupidi, vt iſtud adfirment; quin potius de ſumma Cerularii, patriarchae, ac ſociorum pertinacia palam queruntur. vid. *Decretum in exſecrationem Graecorum promulgatum P. II. cap. III. §. I.*

d) eos potius fraudem machinatos eſſe, neque vmquam adeo barbaros homines a Pontifice mitti potuiſſe Cerularius et ſynodus eo ipſo tempore ad omnem poſteritatem teſtatum reliquerunt. vid. *P. II. cap. III. §. III. et IIII. p. 81 et 86.*

e) Finxerit haec ſane; modo ne omnia antiquitatis monumenta, res ipſa, atque euentus aliter loquerentur.

f) Scilicet in ingenio Turſellini, nullo pacto in Graecia.

mnato. *g*) Sunt haec adeo ab omni fide aliena, vt facile appareat, cum hoc loco non orationem mendaciunculis adſperſiſſe, ſed continuatam mendaciorum ſeriem, intertextis rariſſimis veritatis notis conflaſſe, quamcumque etiam hederam vino ſuo ſuſpenderit. *h*) Saepe numero mendaciis admixtis cauſſa etiam optima corrumpitur, quid igitur, vix admiſſa veritate vno alteroue in loco, de cauſſa per ſe ſubleſta fiet? Conſtat ergo, concinentibus antiquiſſimis et Graecis et Latinis ſcriptoribus, controuerſiam, concertationibus mutuis, veluti ignis adfuſo gliſcit oleo, auctam non ſolum vixiſſe, dum Cerularius viueret: verum etiam eidem ſuperſtitem nunc acerbius nunc modeſtius fuiſſe agitatam. Tradunt annales temporum, vel hoc ipſo ſaeculo XI. exeunte, Anſelmum, Archiepiſcopum Cantuarienſem in concilio Barenſi, Vrbani II. Pontificis iuſſu, cum Graecis fortiſſime diſputaſſe: *i*) neque eſt, quod dubites, quin de

g) Si a Latinis damnatum eſſe praeſulem Conſtantinopolitanum autumat; ad veritatem accedit: ſin a Graecis, vt videtur exiſtimare; inſigniter aberrat, et ex ſuperioribus facile refellitur: quin immo ſecum ipſe pugnat. Neutrum enim ſine ſumma iniuria fieri potuiſſet, ſi Cerularius, patriarcha religione perfuſus, vt ante adſtruxit, ſpeciem ad frugem redeuntis prae ſe tuliſſet.

h) *Praefat. Epiſt. Hiſtor. praemiſſa.*

i) FRID. SPANHEMIVS *Hiſt. Chriſt. Saec. XII. Op. Tom. I. p. 1613.* CAESAR BARONIVS *Annal. ad*

pane

pane azymo ibidem disceptatum sit. Cui rei, cum concilii illius acta temporum iniuria interierint, *k*) indicio est, liber ANSELMI huius de fermentato et azymo, siue epistola illa, quam ad Waleranum, Episcopum Numbergensem dedit, *l*) quae controuersiam istam attingit. *m*) Quam DEMETRIVS CYDONIVS Byzantinus, sive, vt aliis videtur, Thessalonicensis e Latino in Graecum sermonem conuertit. *n*)

§. II.

§. II. Neque a Saeculo XII. abfuit.

Pergamus porro, ne, quam mordicitus vsum fermentati panis saeculis proximis retinuerint, defenderintque Graeci, non emineat. *o*) Miserat saeculo XII. Lotharius II. Imperator Romanus Anselmum, Episcopum Hauelbergensem ad Ioannem, Graecorum Imperatorem. Is cum diutius Constantinopoli ageret, idoneum tempus cum Graecis colloquendi nactus, disputationem de natis Graecos

a. 1097. Num. CXXXXVI. et CLII. Tom. XI. p. 739. et 741.

k) IO. HOORNBEECK *Summa Controuers. Rel. lib. XI. p. 902. et* BARONIVS *loc. cit. p. 739.*

l) IO. MABILLONII *Annal. Benedict. Tom. V. ad a. 1102. pag. 450.*

m) *Lib. III. Epist. CXXXIIII. Op. Tom. IIII. edit. Colon. 1612. p. 153. sequ.*

n) LEO ALLATIVS *de Consens. lib. II. cap. XVIII. p. 856. sequ.*

o) conf. FR. SPANHEMII *Hist. Eccl.* ad hoc saec. *Op. Tom. I. p. 1615.*

inter

inter et Latinos controuersiis instituit. Concione ab Imperatore et summo sacrorum Praesule conuocata, in aede Sophiae cum de reliquis capitibus, tum de pane fermentato vel azymo, in maxima Graecorum praesulum hominumque peregrinorum frequentia, per interpretes decertabatur. Stabat a partibus Latinorum ANSELMVS, qui disputationes illas Constantinopoli habitas ad Eugenium III. Romanorum Antistitem perscripsit, et in sempiternam congressuum illorum memoriam edidit. *p*) Graecorum caussam tutatus est NICETAS, seu NECHITES, Archiepiscopus Nicomediae, cuius et ingenii et eruditionis et sapientiae praedicator est ipse ANSELMVS. *q*) Tractatus est locus de pane vel azymo vel fermentato in vtramque partem vberrima, at modestissima tamen, si ad superiora animum referas, disputatione, *r*) quam descripsit ANSELMVS libro tertio dialogi ferme integro. *s*) Sed inanis fuit opera, neque vel

p) *Dialogus* ANSELMI HAVELBERGENSIS habetur in IO. LVCAE d' ACHERY *Spicilegio* edit. vet. Tom XIII at nouae Paris. Tom. I. p. 161. sequ. Argumenta et capita illarum disputationum CENTVRIATORES MAGDEBVRGENSES strictim recensent *Centur. XII. cap. VIIII. p. 1278. sequ.* Speciatim concertationem de azymo lustrant p. 1291.

q) Sub initium *Dialogi* cit.

r) vid. MAIMBVRGII *Histoire du Schisme lib. III. Tom. I. pag. 342.*

s) in D' ACHERY *Spicilegio loc. cit. pag. 193. sequ.*

hac

hac ex parte dissensio est sublata. Etenim ANSELMO statuenti, satius fore Graecos errorem hunc quantumuis antiquum deponere, quam in eo perseuerare, *t*) NECHITES respondet, eum se esse, qui panem azymum in regione, quam fermentatus panis deficiat, non sit omnino repudiaturus: *Si forte essem*, ait, *vbi nullatenus fermentatum habere possem, et azymus praesto, et paratus esset, et ego missam cantare, ac domino sacrificium altaris offerre vellem, ego profecto azyma non horrerem; sed fiducialiter ad offerendum sacrificium Deo immaculatum consecrarem, et fideliter communicarem.* Id vero ingenue negat, posse Graecos, sine concilii publici consensu atque auctoritate, ritum a maioribus acceptum migrare, et, consuetudine multorum annorum relicta, ad azymum Latinorum transire. *v*) Vere itaque saeculi huius scriptor GVIBERTVS, Abbas in dissensionum caussis et hanc ponit: *quod de panibus fermentatis sacramenta conficiunt. x*) Neque est, quod Graecos mitius

t) ANSELMI *Dial. libr. III. cap. IIII. p. 193.*

v) ibidem *cap. XVIII. p. 204.*

x) *Histor. Hierosl. lib. I. cap. II. in Gestis Dei per Franc. Tom. I. p. 472. Graecorum in Christiana professione nugacitas ad hoc vsque tempus in tantum viguit, vt neque in eucharistiae confectione, neque in apostolicae sedis subiectione paene quicquam illis commune nobiscum sit.* Paullo post sigillatim de panis fermentati vsu disserit.

de

de azymis ſtatuiſſe exiſtimes. Alta mente repoſita manſerunt odia priſtina, nimio Latinorum Graecos ſibi conciliandi ſtudio accenſa magis, quam ſedata. Erupit profecto occultus irarum ignis hoc ipſo ſaeculo vergente, et in magnum malum euaſit. Cum enim in perducendis Graecis ad inſtituta eccleſiae ſuae pontifex Romanus elaboraret, et eo conſilio Ioannem, principem eccleſiae purpuratum Conſtantinopolim ablegaſſet, adeo concitati ſunt Graeci, vt concurſu tumultuoſiſſimo facto, praecipiti furore in Latinos inuaderent, magnaque eorum caede facta, ipſum Pontificis Romani vicarium acerbiſſima morte perimerent, et caput caudae canis per compita ac plateas trahendum adligarent: quemadmodum illius temporis teſtis GVILIELMVS, Archiepiſcopus Tyrius, y) et alii annalium conditores z) obſeruarunt.

§. III. *Neque ſaeculo XIII. refrixit.*

§. III.

Manſerunt Graeci ſaeculo XIII. in ea alienatione, et crebris licet epiſtolis ab Innocentio III. Romanorum Pontifice inuitarentur, neque vſum panis azymi, neque aliud quicquam ex diſciplina Latinorum ſibi obtrudi paſſi ſunt. *a)* Docet ſane

y) *Hiſtoriae lib. XXII. cap. XII. in Geſtis Dei p. Fr. Tom. I. p. 1024.*

z) CAES. BARONII *Annal. ad a. 1183. N. XII. Tom. XII. p. 954.*

a) confer IO. FRANC. BVDDEI *Iſagogen Hiſto-*

ſynodus

ſynodus per id tempus ab Innocentio III. in aede S. Ioannis Lateranenſis conuocata, quam inflammati priſtina ſimultate, animoque a Latinis auerſiſſimo fuerint. Ad hunc enim modum in decreto concilii patres Latini loquuntur: *b*) *Poſtquam Graecorum eccleſia cum quibusdam complicibus ac fautoribus ſuis ab obedientia ſedis apoſtolicae ſe ſubtraxit, in tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, quod inter alia, quae in derogationem eorum impie committebant, ſi quando ſacerdotes Latini ſuper eorum celebraſſent altaria, non prius ipſi ſacrificare volebant in illis, quam ea, tamquam per hoc inquinata lauiſſent: - - et adhuc quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab eccleſia Dei ſcandalum amouere, ſacro ſuadente concilio, diſtricte praecipimus, vt talia de cetero non praeſumant, conformantes ſe tamquam obedientiae filii ſacroſanctae Romanae eccleſiae matri ſuae.* Somniis, niſi me fallunt omnia, tenentur, ludisque animum paſcunt, qui Graecos in concilio illo formulae Latino-

rico-Theol. lib. II. cap. VII. §. VII. p. 1147. 1150. ſequ. AD. RECHENBERGII *Summar. Hiſt. Eccleſ. Per. IIII. cap. III. §. II. p. 389.* Et, qui fuſius de diſſenſione per hoc ſaeculum egit, FRID. SPANHEMII *Hiſt. Chriſt. ad Saec. XIII. Op. Tom. I. p. 1689. ſequ.* Vide etiam, quae de incredibili Graecorum in azymum odio ſub initium ſaeculi huius a Latinis morte multato, infra ex teſte ei tempori aequali adferemus, *Part. IIII. Cap. I. §. III.*

b) *Concil. Tom. IIII. pag. 214.*

rum

rum factos, a diuturna controuersiae nostrae exercitatione conquieuisse censent. Neque enim inducor, vt credam, quod LAVRENTIVS SVRIVS *c*) aliique adfirmant, concilio huic Lateranensi patriarchas Graecos, Constantinopolitanum, et Hierosolymitanum adfuisse, minimeque omnium, quod BINIVS PETAVIVSque a SPANHEMIO ea de caussa notati, *d*) de pace inter vtramque ecclesiam isthic inita enarrant. Contra testatum est, eorum, qui interfuerunt, aliis accepta, aliis inuisa fuisse concilii decreta, et pleraque imprudente Synodo ab Innocentio conscripta. *e*) Id sane certum, Graecos, eodem saeculo, ne pilo quidem minus fermentum suum amasse, quam antea, ita vt ex omnibus nihil magis tenuerint. Gloriae enim sibi ducunt, quod, cum parati aliquando essent ad disputationem de panis sacri genere habendam, Latini nec in arenam descendere, nec vllo modo sacrificivm fermentato pane factum reprehendere ausi fuerint. Nam, si vera referunt, fuit hoc ipso saeculo, cum crebrae concertationes et colloquia Graecos inter et Benedictum, ecclesiae Romanae patrem purpuratum, Innocentii III. vicarium, Constantinopoli instituerentur. Quibus

c) *Praefat. in Concil. Lateran. Tom. IIII. p. 210.*
d) *Hist. Christ. ad Saec. XIII. Op. Tom. I. p. 1690.*
e) MATTHAEVS PARISIENSIS *Hist. Maior. Anglic. ad a. 1215. p. 228. sequent.*

varie

varie agitatis, cum peruentum esset ad quaestionem de azymo, Benedictus ille, quantumuis eloquentissimus sapientissimusque a Graecis haberetur, vel verbulo respondere recusauit. Procul enim, inquit, et quam longissime a me absit, vt vocem contra diuinum sacrificii ritum mittam. Cuius rei testis est non tantum GEORGIVS, Metropolita Corcyrensis, quo interprete in congressibus illis vsi erant, *f*) sed etiam NICOLAVS HIDRVNTINVS, qui eiusdem colloquii interpretem sese fuisse scribit *g*) omnemque disputationem ita persequitur, vt vel Georgium illum compilasse, vel ab isto descriptus esse videatur. Paucis annis interiectis, litteras de foedere feriendo vltro citroque miserunt Georgius VIIII. Pontifex et Germa-

f) Συνέβη περί τε ἐνζύμου καὶ ἀζύμου ἄρτου λόγον γενέσθαι, ὅπερ ἐγὼ ἑρμηνεὺς, ὡς ἔφθην εἰπὼν, ἐχρημάτιζον. Ἀλλ' ὁ ῥηθεὶς Καρδηνάριος οὐδὲ πρὸς βραχύ τι ἀποκρίνεσθαι, περὶ τοῦ τοιούτου ζητήματος ἐβουλήθη, καί τοι λόγιος ὢν, καὶ τῇ θείᾳ ἐντεθραμμένος γραφῇ, ἀλλ' οὐδὲ τῆς ἔξω σοφίας ἀμοιρος ἦν. – Πλὴν ἐν τούτῳ, μή μοι, ἔλεγε, γένοιτο κατὰ τῆς θείας μυσταγωγίας γλῶσσαν κινῆσαι, ὥστε τὸ μὲν ψέγειν τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, τὸ δὲ ἐπαινεῖν. In Tractatu περὶ θείας κοινωνίας, ex quo ALLATIVS *de Libr. Eccl. Graec. Dissert. II. p.* 220. conf. *de Consensione perpet. lib. II. cap. XI.* § *VI. p.* 663. *sequ.* Ceterum de scripto GEORGII CORCYRENSIS consulas, licet, LEONIS ALLATII *Diatrib. de Georgiis et eorum scriptis p.* 339.

g) *Dialogi contra Latinos lib. II.* apud LEON. ALLATIVM *de Conf. lib. II. cap. XIII.* §. *IIII. p.* 704.

H nus,

nus, Patriarcha. Manum vltimam operi admoturus Pontifex legatos Nicaeam ablegauit ex ordine Francisci duo, totidemque ex ordine Dominicano, qui voce ac scriptis in Graecorum conciliatione operam ponerent. Colligitur ergo synodus Nicaeae a Ioanne Batatze, seu Duca *b*) Graecorum Imperatore, et Germano Patriarcha. Legatis Latinorum sciscitantibus, quid sit, quod Graecos a communione Latinorum abstrahat? duo esse, Graeci respondent, vnum, quod de Spiritu Sancto male sentirent, alterum quod panem non fermentatum consecrarent. *i*) Agitur de concordia diu multumque, ac de Spiritu Sancto publice disputatur. Ad alteram quaestionem de azymo progressuris Latinis obstant Graeci, omnemque disputationis occasionem praecidunt, ea maxime ratione, quod tanti ritum illum haberent, vt, nisi in concilio sollemni, cuius spem aliquam iniiciebant, coniunctim coram reliquis patriarchis, ea de re agi posse, omnino negarent. *k*) Vbi se diu-

b) FRID. SPANHEMIVS *Hist. Christ. Saec. XIII. Op. Tom. I. p. 1691.*

i) ODORICI RAYNALDI *Continuat. Annal. Baronianorum edit. Colon. Agrip. 1693. Tom. XIII. ad a. 1232 et 1233.* LEO ALLATIVS *de Consens. lib. III. cap. XII. §. II. p. 1103.*

k) LVD. MAIMBVRGII *Histoire du Schisme des Grecs l. IIII. Tom. II. p. 17. Le Patriarche ne voulut pas, que l'on passat à la discussion du second point touchant l'Eucharistie, sous pretexte, qu'il n'en pou-*

tius

tius vana ſpe lactari, diemque ex die duci intellexerunt Latini, non tulerunt Graecorum tergiuerſationem, ſed grauiter indignati, et aſpere in eos inuecti vehementer queruntur, quod praeter alia, quae ſint multa, et haec obnixa diſputationis de pane azymo deprecatio, quantam in vituperationem ſacrificii Latini ritus apud Graecos venerit, eſſe poſſit documento. *Iam perpendimus;* inquiunt Pontificis Romani oratores, *l*) *quod male ſentitis de ſacramento noſtro in azymo. Primo per ſcripta veſtra, quae plena ſunt haereſis: ſecundo, quia ad quaeſtionem de ſacramento factam non audetis reſpondere, ne pateat haereſis veſtra: tertio, quia facta veſtra iſtud probant; abluitis enim altaria veſtra, poſtquam celebrauerit Latinus in iis: quarto, quia Latinos accedentes ad ſacramenta veſtra compellitis apoſtatare, et abiurare ſacramenta Romanae eccleſiae: quinto, quod dominum Papam eieciſtis de diptychis veſtris; ſed ſcimus, quia nullum eiicitis, niſi excommunicatum, et haereticum: ſexto, quia ſemel in anno excommunicatis eum.* Quibus dictis irritati exacerbatique

voit traiter, que conjointement avec les autres patriarches dans un concile. - Et paullo poſt: *Les Grecs au lieu de traiter fort ſerieuſement du point de l'Eucharistie, dont il s'agiſſoit, perdoient le tems en parlant de toute autre choſe, comme en badinant, et en tachant de mettre en colere des envoyez.*

l) ODORICVS RAYNALDVS *loc. cit. ad a.* 1233. *Num. X. pag.* 400.

Graecorum animi adeo fuerunt, vt ad conuicia vtrimque palam descenderent. Cui malo vt remedium daret Imperator, aliam viam ingressus et Latinos, et Graecos in regiam conuocat, ac ciues suos rationes scripto libello reddere iubet, quo minus azymo pane coena sacra celebrari possit? Animis etiam num diuisis atque concitatis medium quoddam iter Augustus delegit, atque oratione pro concione habita, duo esse, inquit, quae Graecos a Latinis diuellant: alterum de Spiritu Sancto, de azymo pane alterum. Si vtraque factio de iure suo paullulum remittat, non esse de compositione desperandum. Sibi quidem rationem compositionis videri commodissimam: mittant Latini formulam illam controuersam de Spiritu Sancto; Graeci vero faciles sint et profiteantur, posse etiam panem non fermentatum rite consecrari: *m*) Hoc in medium adlato consilio, *n*) Latini more suo, hoc est, grauissime respondent: neque esse rem eam consilii, neque ecclesiam Romanam eam fore, quae vel apicem litterae ex disciplina sua sibi eripi patiatur, digitumque Graecorum caussa porrigat: Graecorum esse, si salui esse pacisque studiosi

m) vid. ALLATIVS *de Consens. lib. III. cap. XII. §. II. p. 1104.*

n) Propterea de Imperatore ait MAIMBVRGIVS *loc. cit. p. 19. il etoit sans doute beaucoup plus politique, que Theologien.*

haberi

haberi velint, in vtroque vltro Romanis cedere: esse hanc vnam religiosi ratique foederis pactionem. Noli putare, responsione plus aequo acerba, neque ipsis Romanae curiae satellitibus admodum probata, *o)* Graecos in dumeta compulsos vincula subiisse, quod temere sibi persuasum habet LEO ALLATIVS. *p)* Tanta enim ferocia irritati Imperator, Patriarcha et Graecorum reliqui vix impetrare a se poterant, quin grauius in legatos statuerent, vt fatetur ipse MAIMBVRGIVS, vi magis quam studio veritatis coactus. *q)* Quid multa? A verbis ad contumelias, a conuiciis ad arma ventum est, Ioanne Duca, siue Batatze Latinos in hostium numerum referente. Latini spe in gratiam cum Graecis redeundi depulsi, conuasatis rebus omnibus, abitum parant, pacificatione, vt sollemnis ritus ne desideraretur, minis caelestibus infestissimisque exsecrationibus rescissa. Parem nacta sunt euentum, quaecumque Gregorius X. et antea, et in concilio Lugdunensi II. pro coniunctione Graecorum, quasi machinis adhibitis, est multifariam molitus. Non est nullius fateor, quod Michaël Palaeologus Imperator Graecorum Pontifici Romano velificaturus *r)* legatos cum ma-

o) MAIMBVRGIVS loc. adducto p. 21. id vocat: *vn peu brusque.*

p) *de Consens. occident. et orient. eccl. loc. cit.*

q) *cit. loco pag.* 20.

r) GEORGIVS PACHYMERES *in Historia re-*

gna Graecorum multitudine in concilium Lugdunenſe miſit: neque enim ipſe eidem interfuit, quod temere TRITHEMIVS, PLATINA, BLONDVS, aliique, quos refellit FRID. SPANHEMIVS, s) adſtruunt. Neque eſt de nihilo, quod per legatos cum ciuibus ſuis multis decretum concilii ſubſignauit, et dato ſacramento fidem antiſtiti Romano pollicitus eſt. Verum enim vero nihil hic vel ab ipſis cauſſae Graecorum proditoribus de vſu panis azymi transactum, tametſi hoc IGNATIVS HYACINTHVS DE GRAVESON t) pro certo habeat. Sed tria iſta, quae conceſſere, ad Pontificis imperium, auctoritatem, honoremque ſpectant, quae Scriptor huic aetati par GEORGIVS PACHYMERES v) τὸ πρωτεῖον, τὸ ἔγκλητον, καὶ τὸ μνημόσυνον x) appellat. Deinde quid haec pacificatio ad reliquos Graecos, ſi vel maxime pauci ex animo Latinis ſupplices facti ſunt? Eorumne fidei ceteri omnes ſeſe commiſerant? An arbitrio paucorum ſalus omnium ſtare et cadere potuit? an denique, quod pauciſſimi pepigerunt, reliqui ratum habuere? Res et euentus reſpondet, Grae-

rum geſt. a Palaeologo edit. Rom. 1666. lib. V. cap. XII. pag. 254. ſequ.

s) *Hiſt. Chriſt. Saec. XIII. Op. Tom. I. p. 1708.*

t) *Hiſt. Eccl. Tom. V. p. 189.*

v) in *Palaeologo loc. cit.*

x) hoc eſt, principatum, ius prouocandi ad Pontificem Romanum, et eiusdem commemorationem in precibus publicis Graecorum.

cos

cos plerosque omnes deditionem foedissimam, vtpote cum perpetua seruitute coniunctam, adeo respuisse, vix vt a vi Imperatori inferenda sibi temperauerint; id vero sibi permiserint, vt in Ioannem Veccum consiliorum Imperatoris participem ac reliquos caussae Latinae adstipulatores grauissime animaduerterent. Id, quod testium tempori huic proximorum PACHYMERIS *y*) et NICEPHORI GREGORAE *z*) suffragio constat.

§. IIII.

§. IIII. Perstitit etiam saeculo XIIII.

Fucum sibi factum esse intelligent, qui per imprudentiam dolis Latinorum illusi, Graecos saeculo XIIII. Latinis conciliatos fuisse crediderint. Vixit ac mansit cum in aliis, tum vero potissimum in quaestione de azymo tanta discordia, quanta esse, cum summa est, solet; consentientibus ea de re omnibus, qui in condendis temporum annalibus veritatem, magistram ac ducem sectantur. *a*) Conuenerunt fateor et hoc tempore in colloquium; sed haud conuenerunt pacis conditiones, de quibus cum per Barlaamum, legatum Bene-

y) *Histor. Constantinopol. seu Palaeologi lib. III. cap. XVIIII. et Libr. VI. passim.*

z) *Histor. Byzantinae lib. V. pag. 111.*

a) vid. HEINECCII Abbildung der A. und N. Griechischen Kirche *P. I. cap. III. §. XXXIII. p. 175.* et SPANHEMII *Dissert. de perpetua dissens. eccl. Graec. a Rom. P. I. §. XVI. sequ. Op. Tom. II. pag. 498. sequ.*

dictus XII. Pontifex Romanus ab Andronico iuniore Imperatore certior fieret; misit Romanus legatos in Graeciam: sed irrito successu, cum iidem illi ab orientalibus derediculo ac despicatui ducerentur, omnisque conciliationis spes extabesceret. *b*) Illustre praeterea est, neque praeteritis relinquendum, quod Latini narrant, factum Ioannis Palaeologi. Hunc auxilia contra Turcas efflagitatum in Italiam appulisse, atque Vrbano V, Pontifici supplicem factum esse ferunt. In colloquiis nihil de ferendis suppetiis actum fuisse, at vero Imperatorem, in conspectu patrum Romanae sedis purpuratorum et Paulli cuiusdam Graecorum, vt volunt, Patriarchae, doctrinae suae professionem edidisse. Quam ex codicibus Vaticanis descriptam in lucem protulit L. ALLATIVS. *c*) Ea quemadmodum in omnibus aliis ad Latinorum instituta est, ita conformata, vt a Latino potius, quam a Graeco homine profecta esse videatur; ita etiam azymo pane, eucharistiam posse celebrari fatetur. *d*) Ducant Ioannem hunc in

b) NICEPHORI GREGORAE *Histor. Byzant. lib. X. ad calcem.*

c) *de Consens. lib. II. cap. XVII. §. VI. pag. 843. sequ.* additque versionem Latinam pag. 848. sequ. Ex subscriptione patet, id factum a. 1369.

d) Πιστεύω καθὼς κρατεῖ καὶ διδάσκει ἡ ἁγία Ῥωμαϊκὴ ἐκκλησία ἑπτὰ εἶναι τὰ ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια. - - Τὸ μυστήριον τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου θυσιάζει ἡ προειρημένη Ῥωμαϊκὴ ἐκκλησία, κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα, ὅτι ἐν αὐτῷ

trium-

triumpho: oſtentent, quantum velint, Latini ſcriptum eius, tamquam ſimulacrum Graeciae victae ac ſub iugum Pontificis miſſae; inania ſunt, mihi crede, iſta omnia, et aut corrupta, aut omnino falſa, vt putat SPANHEMIVS, *e*) aut certe nullo plane triumpho digna. Vt enim omittam alia omnia, fac, Imperatorem iſtum, conditionis omnium miſerrimae hominem, qui obtinendum auxilium nihil non admiſiſſet, promulgaſſe hanc religionis doctrinaeque formulam; cuius tandem illam momenti fore putas? Longe alia mens erat Graecis omnibus, et odium Latinorum, quod in animis eorum iam pridem inſederat, diuturnitate temporis ſuccreuerat potius, quam euanuerat. Namque et hac aetate Graeciae ciues, *et calamo et lingua in Romanos debacchatos fuiſſe* prae ſe fert, et Ioannem hunc Palaeologum in ea voluntate erga Romanos ad extremum vitae halitum manſiſſe, vel ALLATIVS negat. Cui rei indicio ſunt tot edita per id tempus in Latinos volumina, quorum conditores in refellendis Latinorum erroribus ſtrenuam poſuerunt operam. Velut hi: NILVS CABASILAS, Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, GREGORIVS ACINDYNVS, DEMETRIVS CHRY-

τῷ μυστηρίῳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μεταβάλλεται εἰς σῶμα. Ibid. pag. 846. et 847. Ταύτην πίστιν ἀποδέχομαι καὶ καρδίᾳ καὶ στόματι ὁμολογῶ, et quae ſequuntur.

e) *Hiſt. Chriſt. Saec. XIIII. Op. Tom. I. pag. 1786.*

SOLORAS, MACARIVS ANCYRANVS, MAXIMVS PLANVDES, IOANNES, metropolita Russiae, GREGORIVS PALAMAS, aliique. *f*) Cognita est in primis virtus contra Latinos BARLAAMI cuiusdam ex ordine S. Basilii, longe diuersi ab alio eiusdem nominis Episcopo Gyracensi, Latinarum partium scriptore, si a SPANHEMIO standum; sin IACOBI BASNAGII et aliorum, qui vnum tantum exstitisse Barlaamum docent, *g*) verisimilior sententia deligatur, scriptoris nunc Latinis addicti, nunc multo infestissimi. Ne vero latius hic excurram, id solum adseuero, esse de nostra controuersia a saeculo XII. ad hoc XIIII. tantum scriptorum Graecorum numerum, vt fidem superare videatur, *h*) qui plerique nondum editi in bibliothecis latent, vt truncus sit, atque stipes, ne quid grauius dicam, qui cum Ce-

f) vid. SPANHEMIVS add. loc. et LEO ALLAT. *de Consens. lib. II. cap. XVIII. pag. 862. 870. 872. sequent.*

g) vid. *adnotat. ad* CANISII *Lect. Antiqu. Tom. IIII. p. 363. seq.* De scriptis eius aliorumque huic aequalium consulatur IO. ALBERTI FABRICII *Biblioth. Graec. lib. V. cap. XXXXIII. pag. 428. et sequ.*

h) Scriptores, qui de azymo et fermentato pane a Cerulario vsque ad concilium Florentinum siue saec. XV. disseruerunt, nominatim recenset IO. CIAMPINVS in *Coniect. de perpetuo azymorum vsu in eccl. Lat. cap. I. p. 31. sequ.* cum quo coniungi meretur ALLATIVS *de Consens. lib. II. cap. XVIII. p. 856. 869. 870. et sequ.*

rulario

rulario controuerſiam pariter vixiſſe, pariterque cum eodem ſepultam fuiſſe ſomniauerit; cum controuerſiae pertinaciam vel ipſi librorum indices loquantur. Cum tantum prouentum panis fermentati vindicum aetas illa ferret, caue putes anguſtam eſſe coronam Latinorum, qui ab azymo ſtarent, ac pro aris ſuis decertarent fortiſſime. *i*) Eos ſane quicumque de eccleſiae orientalis cum occidentali concordia ad hoc tempus ducta cantilenam illam ſuam inſuſurrant, vt auribus Pontificum ſeruiant, adulationis turpiſſimae conuincit, et elingues reddit vel ipſe Romanorum Antiſtes, EVGENIVS IIII.

i) Neque tamen in hunc coetum transferendus eſt LVDIGERVS, ſaeculi XIII. ſcriptor, ordinis Ciſtercienſis, veteris Cellae in Miſnia Abbas, cuius meminit CHRISTIANVS SCHLEGELIVS *de cella vet. Miſn. §. XXX. p. 40.* et GEORG. FABRICIVS *annal. vrbis Miſn. lib. I. pag. 36.* Scripſit is quidem *Librum Azymorum* in bibliotheca Paullina Lipſienſi ſuperſtitem, et in IOACHIMI FELLERI *Catal. codic. manuſcriptorum biblioth. Paull. Num. XXXI. pag. 180.* memoratum; verum nihil hic ad controuerſiam de azymo. Cum enim, Magnifici Boerneri beneficio, illum Ludigeri librum in membrana ſcriptum a capite ad calcem curatius perluſtrandi locus eſſet, ne vmbram quidem quaeſtionis noſtrae vidimus, ſed ſermonem de dictis ſcripturae, ad coenam Domini, atque dies feſtos accommodatis inſtitui, ac volumen ſenſu myſtico azymorum nomine inſcribi animaduertimus. Id quod ipſum libri exordium prodit, vbi pag. 2. *Librum hunc ſermonum, quos in honorem ſanctiſſimae reſurrectionis compilauimus, librum azymorum nuncupandum elegimus,*

qui

qui in decreto concilii Florentini saeculo XV. promulgato, magna libertate verborum, quam homines diuturna seruitute et quasi fide data ad nimiam adsentationem eruditi sibi haud permisissent, *fuisse longam*, inquit k) *moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingratamque caliginem inter vtramque ecclesiam*, neque dissimulatione tegit, *exstitisse longissimum dissensionis atque discordiae tempus, vsque ad concilium Florentinum:* Quod vtrum controuersiae nostrae finem imposuerit, non iam per transennam praetereuntes, sed, quoniam et instituti ratio, et annalium ordo nos huc deduxit, propius intueamur.

CAPVT V.

DE CONIVNCTIONE SAECVLO XV. DILIGENTISSIME, AT NEQVICQVAM TENTATA.

§. I.

§. I. *In concilio Florentino de azymo disputare Graeci detrectarunt, vtcumque instaret Praesul Romanus.*

Distractos, vt demonstratum est, a Latinis Graecos ex multorum annorum dissensione ad societatem suam vt pertraherent, vinculisque constringerent, si vmquam, saeculo certe decimo quinto omnibus neruis, opibus, animis, industriaque Latini contenderunt. In discrimen extremum venerant Graecorum Imperato-

k) *Concil. Tom. IIII. pag.* 892.

peratores, fluctibusque variis iactati vix aliquod reipublicae simulacrum, tamquam vnam ex infelici naufragio tabulam, collegerant. In tam adflicta perditaque fortuna, quemadmodum qui mediis in vadis tempestatibus expositi ad saxum nudum adhaerescunt, aliud ex alio malum non iam impendere, sed irruere videbant. Constantinopolis Turcarum impetum aegre sustinebat, hostibus mox praedae atque direptioni futura. *l*) Latini tempus hoc commodissimum rati, ad coniungendos Graecos cum ecclesia Romana, oblatam occasionem hoc auidius arripiunt, quo erant Graecorum multi in tanta rerum difficultate et ad deditionem procliuiores, et ad renitendum tot casibus iactati infirmiores. Inuitatus ergo cum a concilio Basileensi, tum etiam multo magis, ab Eugenio IIII. Rom. Pontifice, interposita fide publica, datisque et de sumtibus itineris, et de auxiliis contra hostes largis pollicitationibus, Imperator Graecorum, Ioannes Palaeologus cum Patriarcha et magno ciuium Graecorum numero, ad quingentos, in Italiam venit. *m*) Coepta sunt colloquia Ferrarae et, cum pestilentiae terrore inde expellerentur, Florentiae trans-

l) *Auctor Historiae Politicae* in MARTINI CRVSII *Turco-Graecia lib. I. pag. 4. sequ.* conf. *lib. II. p. 186.*

m) vid. MART. CRVSII *Turco-Graec.* loc. cit. et *Acta concilii Florentini Concil. Tom. IIII. pag. 831.*

acta.

acta. In sollemni ac publica synodo multum ac diu de Spiritus Sancti processione *ex Patre Filioque* declamatum; at quaestionis de azymo, vel alius cuiusquam mentio iniecta est nulla. Neque hoc fortuito, vel controuersiae nostrae contemtu accidisse, existimes, quod consulto potius, et de industria Graeci defugitarunt. Pontifici enim omnibus precibus intra priuatos parietes roganti, obtestantique, vt controuersiam de pane azymo et fermentato tacitam ne relinquerent; sed de hac pariter, atque de reliquis disceptationem ingrederentur, Praesules Graeci qui in priuatum congressum venerant, repulsam dedere, et declinatione quadam petitiones eius effugerunt, ea potissimum praefatione vsi: neque id sui iudicii, neque suarum esse partium, quippe quibus nulla data sit ad haec respondendi facultas. Ita se sine totius ecclesiae orientalis praescitu atque consensu publico ad aliam controuersiam, praeter hanc de Spiritu Sancto, quae vna sit concilii conuocati caussa, transire posse negant: se tamen cum Imperatore ea de re communicaturos. *n*) Vereor itaque, ne verba sibi dari patiantur, qui de quaestionibus aliis, extra illam de Spiritu Sancto speciatimque de pane azymo in Graecorum cum Latinis congressu in vtramque partem verba

n) vid. *Concil. Tom. IIII. p.* 890. MAIMBVRGIVS *Histoire du Schisme lib. VI. Tom. II. pag.* 254. *seq.*

facta

facta esse tradunt, quod Latinarum partium homines multos facere video. *o*) Et est quidam IOANNES, Archipresbyter Pluscadenus, cuius dialogum de controversiis Graecorum cum Latinis et synodo Florentina *p*) ex bibliotheca Ambrosiana LEO ALLATIVS descripsit, *q*) qui sigillatim controuersiam de azymo in illis numeratam exponit, illustratque ita, vt hanc etiam a patribus in synodo attactam fuisse ostendere voluerit. Sed vel ex superioribus refelli potest haec opinio, atque infra oratione nostra configetur.

§. II.

§. II. In publico concilii decreto, relicta sua cuique ecclesiae consuetudine, certamen de panis consecrandi genere est sublatum.

Incerta haec missa facimus, id vero adseueramus, quod in scena est positum, Graecos siue imprudentia lapsos, siue minis ac vi compulsos, siue praemiis et pollicitationibus ductos, et spe auxilii obtinendi illectos, vt in reliquis, ita etiam in controuersia de pane azymo in sententiam Latinorum ad speciem palam discessisse, et non fermentato tantum, sed et azymo pane eucharistiam rite institui publico documento approbasse. Est in medio famosissima illa pacificationis inter

o) HORATII IVSTINIANI *Acta concilii Florentini Part. II. Coll. XXII. Num. V. edit. Rom. 1638. pag. 893.* GRAVESON *Hist. Eccl. Tom. VI. p. 121.*

p) inscribitur, διάλεξις περὶ τῆς διαφορᾶς τῆς οὔσης μέσον τῶν Γραικῶν, καὶ Λατίνων, καὶ περὶ τῆς ἱερᾶς καὶ ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ γενομένης.

q) *Graeciae Orthodox. Tom. I. pag. 583. sequ.*

vtram-

vtramque ecclesiam formula, multorum et Graecorum, et Latinorum munita nominibus. Delibemus aliquam eius partem eamque potissimum, quae huc facit: r)

Eugenius episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, consentiente ad infra scripta carissimo filio nostro, Ioanne Palaeologo, Romeorum Imperatore illustri, et loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, et ceteris orientalem ecclesiam repraesentantibus. Laetentur coeli et exsultet terra. Sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque diuidebat ecclesiam, et pax atque concordia rediit. - - - - - - *In nomine igitur Sanctae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, hoc sacro vniuersali approbante Florentino concilio, definimus, vt haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, et suscipiatur, sicque omnes profiteantur: quia Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est* - - - - - *Item definimus in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suae ecclesiae, siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem.* - - - - - *Datum Florentiae in sessione publica Synodali sollemniter in ecclesia*

r) vide *Acta Concilii Florent. ab* HORAT. IVSTINIANO *edita P. II. Coll. XXII. N. X. p. 315. sequ. et Concilior. Tom. IIII. p. 891.*

maiori

maiori celebrata: anno cIↄcDxxxVIII. *Incarnationis Domini, pridie Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno nono.*

Ego Ioannes Palaeologus, fidelis in Christo rex et imperator Romeorum subscripsi.

Imperatorem sequuntur plures Praesulum Graecorum, qui nominatim scriptum pacificationis subsignarunt, in quibus sunt patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani, quos Florentiam miserant, legati ac vicarii. Forsitan mireris, quid sit, quod Iosephi patriarchae Constantinopolitani nomen in eo numero desideretur. Is vero senio confectus, ex ipsa concilii disputantis arena, ad exitum vitae fuit subito vocatus. *s*) Ac, ne forte etiam hoc quaeras, an in eamdem ille sententiam discesserit; circumfertur a Latinis confessio, quam Iosephum morti proximum, manu sua scriptam, et in mensa, ad quam occubuerat, positam reliquisse tradunt. Cuius exemplum, ne quid omnino praetermisisse videar, adiiciam: *t*) *Ioseph, miseratione diuina Constantinopolis et nouae Romae Archiepiscopus, ac oecumenicus patriarcha. Quoniam ad extremum vitae meae perueni, idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam his litteris palam facio. Nam, quae Domini Iesu Christi catholica et apostolica*

s) MART. CRVSII *Turco-Graec. lib. II. pag. 186.*
t) *Concil. Tom. IIII. p. 890.*

ecclesia Romae veteris sentiat, ac celebret, omnia me quoque sentire credereque profiteor, ac ipsis plurimum adquiesco. Beatissimum autem patrum patrem, ac summum pontificem, Romaeque veteris papam, Domini nostri Iesu Christi vicarium esse concedere, atque animarum purgatorium esse non infitior. Datum Florentiae, die octaua mensis Iunii, anno millesimo quadringentesimo tricesimo nono. Qui fetus, nisi est suppositius, et hunc summum sacrorum in Graecia antistitem, quemadmodum in reliquis omnibus, sic in controuersia de azymo Latinis cessisse, publico ac manifesto indicio declarat.

§. *III.* *Ea omnia vt mala fide acta, itaque fuere nulla.*

§. III.

Omnibus iam tandem finibus ea, quae disceptata fuerant, expulsa esse, nostraeque etiam controuersiae sepulchrum, illiusque titulum in monumentis modo adlatis videre te, existimabis, credo; sed desistas, velim, vel gaudio, si aequis pacis conditionibus Graecos adstrictos putaueris; vel lessu, si Graecos dolo malo in vincula compedesque iniquius tractos existimaueris. Celeriter, tamquam flosculi decidunt, quaecumque vel vis expressit, vel fraudes, simulationum inuolucris texerunt, vt tum vsu venit. Nihil enim hic, nihil est, quod in congressibus publicis iure ac legibus actum dicas. Agedum prodeat testis, qui synodo Florentinae et interfuit, et eiusdem consensionis decreto

nomen

nomen suum dedit: audiatur vnus ex omnibus SILVESTER SYROPVLVS *v*) *diaconus magnus*, *ecclesiarcha*, *et dicaeophylax*, vt se ipse vocat. *x*) Condidit is historiam concilii *y*) dignam, quae omnibus Latinorum ea de re scriptis voluminibus longe anteferatur; quicquid in contrarium auctoritatis infringendae caussa Latini *z*) congerant. Praeter enim quam,

v) Sunt, qui scribant *Sauropulus*, non infimi ordinis eruditi; sunt, qui praeter omnem rationem ponunt *Signtopulus;* sunt bene multi, et illi doctissimi viri, quibus *Sguropulus* vel etiam *Sgyropulus* appellatur, quorum vel vnum summi nominis adducam, qui mendo librariorum excusari nequit, FRIDERICVM SPANHEMIVM, qui *Oper. Tom. II. pag.* 494. scribit: *Syropulus vel* Συγεοπῦλος, *s. Sguropulus.* Sed decepti sunt multi, vt mihi quidem videtur, exemplo Historiae Concilii Florentini Hagae Comit a. 1660. emissae, in cuius indice ac fronte per errorem exprimitur *Sguropulus.* Verum *Syropulus* scribendum esse, non solum idem illud volumen ostendit, sed etiam subscriptio, qua concilium Florentinum subsignauit, demonstrat. Vide de errore illo AYMONII *Monumens authentiques de la religion des Grecs pag.* 41.

x) *in litteris consensionis Florentinae*, quas subsignauit *Concil. loc. cit. pag.* 893.

y) *Historia concilii Florentini Graece scripta per* SILVESTRVM SGVROPVLVM (*Syropulum*) *vnum ex intimis consiliariis Patriarchae Constantinopolitani, qui concilio interfuit, cum versione et notis* ROBERTI CREYGTHON *S. Theol. D. Hagae Comit. a.* 1660.

z) MAIMBOVRG *Histoire du Schisme L. V. et VI. Tom. II. p.* 191. *et* 267. *L'auteur*, (Syropulus) *et le traducteur*, (Creygthon) *s' accordent assez bien en ce, que les mensonges ne leurs coutent gueres. pag.* 225.

 quod

quod rebus omnibus ipſe interfuit, ac de Graecorum ciuium ſuorum mente omnivm optime docere poteſt, accedit et hoc, non minus ad fidem faciendam, quod ſuos ipſe populariumque ſuorum errores ac leuitatem nec praeteriit, nec colorem illis induxit, neque auribus cuiusquam quicquam dedit. Hunc igitur ſummae auctoritatis fideique virum audias, de ſummis Graecorum anguſtiis, de Auguſti ipſius, eiusque amicorum, omniumque adeo Graecorum mendicitate diſſerentem, vt magna inopia neceſſariarum rerum conflictati ſtipendium a Latinis receperint, *a*) et veſtimenta vendiderint: *b*) hunc de inteſtinis patrum Graecorum diſcidiis *c*) de variis fraudum machinis, de adhibitis minarum tormentis, de miro ac nouo Latinorum aucupio perorantem audias; nae ego te non iam conſenſionis eo tempore factae admiratorem fore, ſed multo magis obſtupefactum iri puto, fuiſſe omnem hunc concentum vix vnius diei. Sed nec id mirum. Pleraque ad praeſcriptum, atque adeo nutum Eugenii, repulſis a colloquio iis, qui futuri erant haud paullo ad contra veniendum paratiores, et ad reſpondendum etiam in-

a) SILVESTRI SYROPVLI *Hiſt. concil. Florent. Sect. V. cap. XI. p. 127.*

b) SYROPVLVS *loc. cit. Sect. VI. cap. XVIIII. p. 191.*

c) Idem *Sect. IIII. cap. XXXII. p. 110.*

ſtructio-

ſtructiores, Imperator, eiusque optimates magnam a Latinis gratiam inituri dederunt. Ea perinde, quaſi de communi omnium ſententia ſtatuta eſſent, in tabula pacificationis publice inſcripta, iisque ſubtexta fuerunt nonnulla, Graecis omnibus quam maxime aduerſa, quae nec in diſputationem intra priuatos parietes venerant. *d*) Qua de cauſſa plerosque, non ſine lacrimis et gemitu, infelicem illam pactionem ſubſignaſſe adfirmat idem ille SYROPVLVS, *e*) teſtemque narrationis, ipſum Deum rerum omnium conſcium adhibet, tantum, vt loquitur, ſcelus, cuius partem ſeſe attigiſſe ipſe fatetur, ſcelerisque et auctores et adminiſtros graviſſime deteſtatus. *f*) Quae cum ita ſint,

d) SYROPVLVS ibidem *Sect. X. cap. I. p. 278.* Μετὰ πολλὰς ἐνστάσεις καὶ λύσεις καὶ ἀντιθέσεις συνηφώνησαν εἰς τὰ τέσσαρα κεφαλαῖα, ἃ διαλαμβάνονται ἐν τῷ ὅρῳ μετὰ τὴν περὶ τῆς δόξης ἀπόφασιν. - - Τὸ δὲ περὶ τοῦ ἐνζύμου καὶ ἀζύμου, ἵνα ἑκάστη δηλαδὴ τῶν ἀνατολικῶν καὶ δυτικῶν ἐκκλησιῶν κατὰ τὴν ἰδίαν συνήθειαν ἡ μὲν ἱερουργῇ τὸ ἄζυμον, ἡ δὲ τὸ ἔνζυμον. - Ταῦτα οὖν ἐζητήθησαν καὶ ἐστέρχθησαν παρὰ τοῦ βασιλέως, μηδέν τι περὶ τούτων εἰδέιχς τῆς ἡμετέρας συνόδου, ἀλλὰ μόνον τῶν προειρημένων συμβόλων. Exclamat ad hunc locum ROB. CREYGTHON: *Bone Deus, quam pauca in ipſa generali ſynodo legitime ſunt ventilata et diremta, et quantum haec a Binianis diſtant!* in *not. pag. 35.* conf. IO. HOORNBEECK *Summa Controu. lib. XI. p. 910.*

e) Ibidem *Sect. X. cap. VIII. p. 292.* Ἐν μυχοῖς καρδίας στένοντες καὶ δακρύοντες οἱ πλείους ὑπεγράφομεν.

f) οἶδε ταῦτα ὁ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροὺς, ὃς καὶ τὴν ἀξίαν ἀποδώσει δίκην τοῖς διαβάλλουσι τοὺς ὑπογράφοντας,

 equi-

equidem haud miror, ab illo vno die, quo Graeciae pars quantulacumque ſui ipſa diſſimilis Praeſuli Romano ſeſe venditarat, reliquum omne tempus tam valde diſſenſiſſe, vt auctam dicas, non ſublatam mutuam animorum auerſionem. Eadem enim tempeſtate tantopere a Latinis Graeci diſceſſerunt, quantopere iisdem videntur acceſſiſſe, foedusque minore animi contentione ad ſpeciem conflatum, quam disruptum eſt, vt inſigni argumento appareat, quae male coierunt, vulnera, vt facillime recrudeſcunt, ita coaleſcere aegerrime. Etenim a pace inauſpicato facta reduces Graeci male a ſuis accepti ſunt, reclamante huius generis conſenſioni non tantum Marco Epheſio, qui Florentiae etiam acerrime contra Latinos ſtetit, nullisque precibus minisque adigi potuit, vt cum Latinis faceret, vel ipſis Latinis *g)* fatentibus; ſed etiam Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, et Hieroſolymitano, *h*) atque omni paene Graecia. *i*) Ita exiguus conſenſionis male

ὡς ἐπὶ ἀπαιτήσει καὶ δόσει φλωρίων ὑπέγραψαν. Ibidem pag. 202.

g) *Concil. Tom. IIII. p. 896.* MAIMBVRGIVS *loc. cit. Tom. II. p. 244.* ALLATIVS *de Conſ. lib. III. cap. I. §. I. p. 876.*

h) quod nec LEO ALLATIVS negat *de Conſenſ. lib. III. cap. IIII. §. I. p. 938.*

i) *Auctor Hiſtor. Polit.* de conſenſione haec ait: *τέλος δὲ χρηστὸν οὐδέν.* vid. MART. CRVSII *Turco-Graec. lib. I. pag. 4.* conf. ALLATIVS *lib. cit. cap. I. §. I. p. 877.*

conglu-

conglutinatae globus omnis Graeciae dissensione disiectus est, plerisque, vt Latini loquuntur, ad vomitum redeuntibus, *k*) reliquis omnibus, qui Latinis paullum fauere et in sententia concilii permanere viderentur, partim finibus Graeciae expulsis, partim miserrime multatis, ac despicatui habitis. *l*)

§. IIII.

§. IIII. Inanis est consensionis huius apud Latinos ostentatio.

Vmbram consectantur, qui elatius ecclesiam suam hac orientis accessione iactant; quod vbi vere obtrudunt, cum re ipsa pugnant, et contra stimulum calces. Quod enim attinet ad nostram controuersiam de azymo, non est, quod dictis magnificis ac phaleratis homines credulos ducant, tantaque praedicatione efferant, Pontifici Graecos in coitionibus priuatis, consilio separatim a reliquis capto, declarasse, eodem se loco panem azymum atque fermentatum habere. Id quod paucos Graecorum praesules Eugenio precibus multis obtundenti suo nomine respondisse, historia concilii Florentini a Latinis edita testatur. Respondisse enim dicuntur: *m*) *de pane siue azymus,*

k) GILBERTI GENEBRARDI *Chronograph. lib. IIII. p.* 694.

l) vid. *Auctor Hist. Polit. loc. cit.* et IO: PLVSIADENVS *supra cit.* et alii.

m) *Concil. Tom. IIII. pag.* 890. Sed coniungas cum hac narratione, velim, quae SYROPVLVS refert *Hist. Concil. Flor. Sect. X. cap. I. p.* 278.

siue fermentatus fuerit, Graeci non curant, dummodo ex tritico constet, et sacerdos, qui Christi sacratissimum corpus conficit, legitimis sit sacris initiatus, et vbi missa celebretur, sacer locus sit. Sed demus hoc; qui vero fuerunt illi Praesules Graeci in ea caussa adeo faciles, qui consensum hunc secreto ab aliis coxerunt? Vix quatuor, si vel ipsi Latini respondeant *n*) erant, et in his praecipui, Isidorus Ruthenus atque Bessarion Nicaenus, quorum vel nomen suspicionis odorem aliquem adfert. Sunt illi ipsi, qui a ciuibus suis in exsilium eiecti, non ita multo post in numero principum ecclesiae Romanae purpuratorum eminuerunt. *o*) Deinde, quid, quaeso, est, quod Latinis concessere? Quicquid id fuit, nihil est: cum non Graecorum, sed suo tantum nomine Pontifici responderint, vt in iisdem concilii commentariis Latini fatentur. Etenim respondent, quos dixi, paucissimi e Graecis: *p*) *Nos, Pater sanctissime, nullam ad haec respondendi facultatem habemus; tamen ex nobis ipsis proferimus* - et quae sequuntur. Quod merito IOANNES HOORNBEECK *q*) obseruauit. Eiusdem est farinae, quod ostentant porro, Graecos, Latinis omnibus

n) vid. HORAT. IVSTINIANI *Acta concil. Flor. supra cit. loc.*

o) CRVSII *Turco-Graecia lib. I. pag. 4.* LEO ALLATIVS *de Consens. lib. III. cap. I. §. I. pag. 876.*

p) *Concil. loc. cit.*

q) *Summa Controuers. Relig. lib. XI. pag. 908.*

absen-

absentibus, priuatim coniunctis sententiis statuisse, ac Latinis aperuisse, azymone an fermentato pane consecretur, ipsorum nihil interesse. *r*) Quo quid alienius? quid ab omni fide remotius? Vt enim ipsi se impediant, vt pugnantia loquantur, omnibus vel haec ipsa concilii acta Latina leuiter strictimque perlustrantibus patet. Sed age, sit ita factum; quae vero caussa, cur tam repente immutati ad ingenium suum redirent, si tanta fuit ac tam vera omnium conspiratio cum Latinis? At steterunt, inquies, optimi quique Graecorum in sententia et Latinis adhaeserunt. Fabulae! Si enim ab Isidoro et Bessarione discesseris, quos honores a Latinis turpi adulationis obsequio ac leuitate, qui quaestus est longe vberrimus, sibi redemisse modo dixi, vix erit, quem Latini de tanto numero producant. Enim vero adferunt, video, GENNADIVM quemdam, siue GEORGIVM SCHOLARIVM, quem et concilio Florentino interfuisse, et a reditu tandem ad gradum patriarchae adscendisse, fingunt. Hunc defensionem Synodi Florentinae scriptam reliquisse putant, eamque maximi aestimant, *s*) quae

r) *Concil. loc. cit. pag. 891.*

s) GEORG. SCHOLARII *Expositio pro Concil. Florent.* habetur in *Biblioth. Patrum edit. Paris. 1589. Tom. IIII. pag. 1351. sequ.* et in *Biblioth. Patrum Max. Tom. XXVI. p. 560.* Hunc GENNADII librum pro quinque capitibus synodi Flor. scriptum e Latino

de azymo pane longe mitissime sentit. *t*) Fumum et emere et vendere omnes, qui eiusmodi vel sibi, vel aliis persuasuri sunt, docuit SPANHEMIVS *v*) contra Leonem Allatium. Qui fateatur licet, duo eidem aetati aequales, et eiusdem eruditionis, fuisse Georgios Scholarios, ambo dictos Gennadios, tamen hunc Synodi Florentinae defensorem, et partium Latinarum fautorem fuisse statuit patriarcham. *x*) Contra SPANHEMIVS, quem citauimus, demonstrare contendit, defensionis illius auctorem, quo se adeo Latini iactant, hominem sacris Romanis initiatum, et disciplina eorum imbutum, longe alium fuisse, atque alterum illum Graecorum patriarcham eiusdem nominis, qui et honoribus, et animo, et voluntate in Latinos, ab isto altero tam distinctus fuerit, quam qui maxime. Quod si vero, quae est aliorum *y*)

in Graecum vertit, ac Romae euulgauit IO. MATTHAEVS CARYOPHILVS, Archiepiscopus Iconiensis, strenuus ecclesiae Latinae defensor. vid. LEO ALLAT. *de Conf. lib. III. cap. VII. p. 1000.*

t) *Exposit. cit. pag. 573-578. in Bibl. Patr. Max. adleg. loco.*

v) *Hist. Christ. Saec. XV. Op. Tom. I. pag. 1875.* itemque non paullo fusius in *Dissert. de dissens. eccl. Gr. a Rom. P. I. §. VIIII. Op. Tom. II. p. 491.* Quem sequitur OVDINVS *Comment. de Scr. eccl. Saec. XV. Tom. III. p. 2472.*

x) *de Consens. lib. III. cap. V. pag. 959. sequ. et cap. VI. p. 966. sequ.* conf. MAIMBVRGIVS *Histoire du Schisme L. VI. Tom. II. p. 268.*

y) quos IO. FRANC. BVDDEVS *Isagoge Historico-*

proba-

probatior sententia, non nisi vnus Georgius Scholarius floruit, de quo diuersa haec narrantur; id certe liquet, eum quantumuis antea Latinorum caussa voluerit, tamen a reditu ex Italia animum cum aëre ac caelo mutasse, mentemque Latinis infestissimam induisse.

§. V.

§. V. An Graecis hic azymi vsus permissus, vel adeo obtrusus fuerit? Locus PLATINAE explicatur.

Insolentius, vt plerumque solet, HORATIVS TVRSELLINVS sese effert, quod cum aliis ritibus, de quibus ne verbo quidem memoratum est a patribus congregatis, et hunc fermentato pane in coena Christiana vtendi Graecis in concilio Florentino permissum fuisse ait. z) Damus hoc ipsi perlibenter, si id, quod ab omni vetustate acceperant, quod pressis manibus adhuc tenuerant, quod, nec vllo Pontifice Romano antea refragato, obseruaverant, ab eo, a cuius arbitrio res Graecorum nequaquam pendebat, Graecis permissum fuisse censet. Neque tamen eo vsque Latini progrediuntur, vt vsum panis non fermentati de concilii sententia Graecis etiam iniunctum fuisse scribant; cum satis habeant, Graecos Florentiae concessisse, more Latino etiam rite consecrari posse. Fuere autem Graecorum bene multi, viri primarii, qui libertatem

Theol. lib. II. cap. VII. §. VII. pag. 1180. laudat. vid. FR. SPANHEMIVS *loc. cit.*

z) *Epit. Histor. lib. X. cap. III. §. VIIII. p. 533.*

pane

pane non fermentato epulas caeleſtes inſtruendi Graecis quoque permiſſu ſynodi factam fuiſſe exiſtimarent, quam ſententiam ſuam multiGraecorum praeſules publico ſcripto mandarunt. *a*) Quae cum publicis litteris teſtata videam, neque ſit, quod illos, aut ad concitandos animos haec conſulto effinxiſſe, aut concilii Florentini decretum omnino non vidiſſe, ſuſpicer; veri videtur ſimillimum, Graecos verba de azymo pane concilii litteris inſerta ita interpretatos fuiſſe, poſſe et Graecos, ſi velint, recte panem ſine fermento in celebrando myſterio adhibere. Atque haec ipſa eſt, vt mea quidem opinio fert, decreti ſententia. Scilicet nihil intereſſe, vtrum panem fermento imbutum, an eum, qui ſine fermenti commixtione coquitur, conſecrent: in vtroque corpus Chriſti veſcentibus tradi: neque vero eſſe ſacerdotum, in hoc ritu quicquam ex ſe immutare, quippe quos eccleſiae ſuae conſuetudinem ſequi oporteat. Quodſi ergo viſum fuiſſet eccleſiae Graecae azymum, Latinae fermentatum conſecrare; nihil obſtitiſſet, quo minus, ſalua concilii huius ſententia, ſuum ſibi quaeque panis genus deligeret. Ea autem libertas non ſane eſt ſacerdotum, qui ſunt tam ex hoc decreto, quam ex aliis antiquioribus praeceptis,

a) vide *Synodi litteras contra Metrophanem Patriarcham* apud LEON. ALLATIVM *de Conſenſ. lib. III. cap. IIII.* §. *I. pag. 939.*

ſuae

ſuae quisque eccleſiae inſtitutis adſtricti. Ad hunc modum vere recteque dici poteſt Graecis, ſiue eccleſiae Graecae, nec vero ſacerdotibus Graecis, vtriusque panis vſum, atque adeo azymum etiam integrum fuiſſe relictum. Sed longe aliud et omnino falſum eſt dicere, Graecis Latinos panis fermento deſtituti vſum iniunxiſſe vel obtruſiſſe. Quod cum PLATINAM tradere putet IOANNES MICHAEL HEINECCIVS, *b*) cuius magna alioqui eſt in re Graecorum ſacra deſcribenda et induſtria, et auctoritas; non incommodum erit, verba PLATINAE *c*) ſubtexere: *Habito ſaepius conuentu diſcuſſaque Graecorum et Latinorum contentione, tandem eo ventum eſt, vt Graeci rationibus victi faterentur: et Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere, homuſionque eſſe, non a patre tantum, vt ipſi credebant prouenire, vtque in azymo ſine fermento, triticeo pane corpus Chriſti conſecraretur, ac purgatorii locum eſſe crederent.* Sed ſi verba PLATINAE recta nobiscum reputemus via; circumſpectis rebus omnibus, fateamur, neceſſe eſt, ne verbulo quidem PLATINAM de ritu azymi etiam Graecis impacto dicere. Id enim ſolum adfirmat, Graecos rationibus victos et adactos fuiſſe, *vt faterentur crederentque:*

b) Abbildung der A. und N. Griechiſchen Kirche *P. I. cap. III. §. XXXVII. p. 181.*

c) *in vita Eugenii IIII.* vid. *Vit. Pontif. edit. Colon. 1600. pag. 301.*

quid

quid igitur faterentur et crederent? primo, *Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere*: quid porro? *vtque*, hoc est, quomodo etiam, seu quod etiam *in azymo sine fermento corpus Christi consecraretur.* Constat autem quam praecise ad hoc tempus pernegauerint Graeci, corpus Christi pane azymo confici; hic vero, vtrum libentes, an inuiti, nihil attinet, publice Latinis dabant, *corpus Christi etiam azymo consecrari.* Quam maculam PLATINAE aliis iisque turpioribus sordibus inquinato temere adspersam vel ideo abstergendam duximus, quod in facto temporis sui tam illustri, tamque peruulgato adeo alucinatum fuisse, vix est credibile.

§. VI. Caussa azymi ad rescindendam pactionem Florentinam nimium quantum valuit.

§. VI.

Quo quo modo se res habet, et quicquid est, quod Florentina congregatio de azymo pane constituit, hoc equidem, quasi detectis velis, patere reor, hanc ipsam controuersiam nostram plurimum momenti ad disrumpendam, quam vix dum cum Latinis inierant, societatem attulisse, sibique maximam partem iteratae discessionis vindicare. Etenim cumprimum ex Italia Constantinopolim Graeci remigrassent, rogati a suis, ecquid in concilio transegerint? subtristes ac moerore adflicti responderunt, religionem ac sacra Graeciae vendita; impietatem cum pietate commutatam, et, ne nihil ad summum luctum deesset, incorruptissimum sacri-

ſacrificandi ritum male proditum, Graecosque factos eſſe azymitas, vt DVCAS, huic aetati aequalis ſcriptor refert. *d*) Ex quo, quam eximia fuerit poenitendi cauſſa, lata in concilio Florentino de azymo ſententia, aperte conſtat, nec ipſis Latinis *e*) illud diffitentibus. Acceſſit huc, quod confeſtim, vbi redierant, ſynodo Conſtantinopoli in templo S. Sophiae coacta *f*) controuerſias, quae ipſis adhuc fuerant cum Latinis, in diſceptationem traxerunt, et nominatim conſecrationem azymo pane factam, in congreſſu quarto vehementiſſima oratione impugnatam omni honore, quem Florentiae adepta erat, exuerunt. Quin immo eodem tempore, vel propter vſum panis azymi, a Graecis Latinos ex Chriſtianorum communitate diro exſecrationis carmine exterminatos fuiſſe, quicquid etiam in contrarium adferat LEO ALLATIVS, *g*) ſi reliqua ab eodem data in ſubſidium vocentur,

d) *Hiſtor. Byzant. cap. XXXI. pag.* 120. Ἐρωτῶντες· πῶς τὰ ὑμέτερα; πῶς τὰ τῆς συνόδου; εἰ ἄρα ἐτύχομεν τὴν νικῶσαν; οἱ δὲ ἀπεκρίνοντο· πεπράκαμεν τὴν πίστιν ἡμῶν. Ἀντηλλάξαμεν τῇ ἀσεβείᾳ τὴν εὐσέβειαν, προδόντες τὴν καθαρὰν θυσίαν Ἀζυμῖται γεγόναμεν. Vide quae ibidem ſequuntur.

e) MAIMBVRGIVS *loc. cit. pag.* 272. *ſequ. et pag.* 295.

f) Synodi huius Acta deſcripta vide ab ALLATIO *in Addend. ad Libr. de Conſenſ.* §. *IIII. ſequ. p.* 1380.

g) Ibidem in *Addendis* §. *VIII. et VIIII. pag.* 1385. *et* 1389. *ſequ.*

tur, adfirmemus, licet. Relatum legimus in his ipſis ſynodi actis, quam triſtes ac queribundae Graecorum poenitentium voces vel eo nomine publice exauditae fuerint. *h*) Quibus cum congruit IOANNIS PLVSIADENI oratio, a reditu ex Italia, conuolante vrbe tota multitudine, a populo tumultuante ciues reduces indignis acceptos modis, et in contumeliam azymitas, quod nimis ſacrificio Latinorum fermenti experti fuiſſe videbantur, fuiſſe appellatos. Itaque ne tantus furor non compeſceretur, alium alio grauius in magna ciuium celebritate exclamaſſe: Eheu concepi ſcelus! ecce vobis manum, quae foederis litteras ſubſignauit: praeſecate eam, quae infelici ſcriptione vſa eſt: euellite linguam, quae impia confeſſione ſe contaminauit. *i*) Quod vero, an ficto vultu Graeci ſub reditum dixerint, nihil eſt, quod cum IOANNE PLVSIADENO anquiras, tum quod ſerio haec acta eſſe teſtis grauiſſimus, DVCAS *k*) exponit, tum

h) Κακῶς ἐποίησα· ἡ χεὶρ μου ἐστὶν ἡ ὑπογράψασα, ἐκκόψατε αὐτὴν, ὅτι κακῶς ὑπέγραψε. LEO ALLATIVS in *Add. ad L. de Conſ. §. VI. p. 1383.*

i) Οἱ λοιποὶ ἐλθόντες καὶ ἰδόντες τὸν κοινὸν λαὸν οὕτω τεταραγμένον κατὰ Λατίνων καὶ Λατινόφρονας αὐτοὺς καὶ Ἀζυμίτας ἀναιδῶς ἀποκαλουμένους - εἰρωνευόμενοι τοῖς συμπολίταις ἔλεγον· τί πρὸς ἡμᾶς μαίνεσθε οὕτως, ὅτι ὑπογράψαμεν; κακῶς ἐποιήσαμεν, ἰδοὺ αἱ χεῖρες ἡμῶν αἱ ἐκεῖ ὑπογράψασαι, ἐκκόψατε αὐτάς. apud LEON. ALLAT. *de Conſenſ. lib. III. cap. II. §. I. pag. 905.* conf. DVCAM *loc. cit.*

k) *loc. cit. p. 120. et cap. XXXVI. pag. 143.*

quod

quod eo tantum consilio a nobis arcessitur, vti summum Graecorum in hanc conventionem odium, indignationemque in azymum doceat; cuius caussa, dici non potest, quantopere animos irritatos accenderit. Interim ipse PLVSIADENVS, certus Latinarum partium sectator, nihil mirum esse, fatetur, *l*) si in tanta populi rabie serio haec prolocuti fuerint. Nec vero id non patet, si AVCTOR *Historiae Politicae m*) consulatur, qui a Graecorum ex Italia redeuntium societate reliquos abstinuisse, eorumque praesentiam etiam in sacris deuitasse narrat: si Philothei, Dorothei, et Ioachimi, patriarcharum Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani factum consideretur. Hi cum Metrophanem, Patriarcham Constantinopolitanum Latinorum caussa velle, Imperatoremque vacillare animaduerterent, synodo Hierosolymis coacta, tabulas publicas minis caelestibus armatas, tamquam fluctibus aggerem, opposuere *n*) datis eadem de caussa ad Imperatorem litteris. *o*) Scripta

l) Εἰ δὲ καὶ ἀληθῶς ἔλεγον, ὅπερ οὐκ οἶμαι, θαυμαστὸν οὐδέν. ibidem pag. 905.

m) CRVSII *Turco-Graec. lib. I. pag. 4.* οἱ δὲ ἐν τῇ πόλει Κληρικοὶ, ἱερομόναχοι, ἱερεῖς, ἡγούμενοι, πνευματικοὶ, καὶ οἱ λοιποὶ οὐκ ἤθελον συλλειτουργῆσαι τοῖς ἐλθοῦσιν, ἢ μνημονεῦσαι αὐτοὺς, ἀλλ' ἐχωρίζοντο αὐτῶν, ὡς ἀσεβῶν εἰπεῖν.

n) quas vide in LEONE ALLATIO *de Consens. lib. III. cap. IIII. §. I. p. 939-941.*

o) vide et has ibidem *pag. 942. sequ.* conf. LV-

illa delibantibus facile apparebit, quantum momenti habuerit azymi contemtus in dirimenda Florentiae conglutinatione: quam vel eo nomine exſecrandam ac deteſtabilem vocant, quod panem iſtiusmodi in ſacra coena conceſſerit. *p*) Ita vix quicquam Graeci tulerunt aegrius, quam nimium, vt rebantur, in quaeſtione noſtra Latinis obſequendi ſtudium. Ita controuerſia noſtra, quae antea ſemen ac materia alienationis a Latinis faciendae exſtiterat; a ſynodo Florentina, ſi qua vel maxime illic facta fuit coniunctio, inter initia coëuntis gratiae cicatricem ad ſpeciem obductam reſcidit, animisque vix dum colligatis ſeceſſionis iterandae viam aperuit.

CAPVT VI.

DE CONTROVERSIA A CONCILIO FLORENTINO AD NOSTRAM AETATEM PERDVCTA.

§. I. Simultatem perdurasse etiam a concilio Florentino per saec. XV.

§. I.

Concertationis noſtrae vim tot annorum ſpatio nequaquam conſenuiſſe, ſed, quaſi reddita iuuentute, reuiruiſſe, ſatis, opinor, intellexiſti, lector. Ex quibus nullo negotio colliges, quae ex-

DOV. MAIMBVRGIVS *Hiſt. du Schiſme lib. VI. Tom. II. p. 273.*

p) DVCAS *Hiſt. Byzant. loc. cit.* et LEO ALLATIVS *de Conſenſ. lib. III. cap. IIII. §. I. pag. 939.*

ſpectan-

ſpectanda ſit animorum ex eo tempore coniunctio in hac eadem cauſſa tot altercationibus luctisque nobilitata. Neque enim bidui fuit aut tridui indignatio Graecorum in ciues, qui Latinis Florentiae acceſſerant, neque panis azymi deteſtatio ad tempus ſtetit, ſed diuturnitate temporis robur cepit. Hinc tot Latinorum etiam, vix finito concilio Florentino, de fide Pelasga fractoque foedere repetitae querelae. Quo in numero video eſſe HILARIONEM quemdam, monachum Latinarum partium, qui eadem aetate de vtroque panis genere librum ſcripſit, *q*) a IOANNE MEVRSIO primum emiſſum, *r*) in quo extremo, cauſſa panis azymi perorata, Graecos peramice orat, deſinant contumelias et conuicia, homine Chriſtiano indigna, in vſum panis fermento carentis iacere. *s*) Et erat, quod Graecos ea de re moneret, qui non tantum, vt demonſtratum eſt, habitis cum Conſtantinopoli, tum Hieroſolymis congreſſibus

q) inſcriptus eſt, *λόγος διαλεκτικὸς περὶ ἄρτου ἐνζύμου τῶν Ἑλλήνων, καὶ ἀζύμου τῶν Λατίνων.*

r) in *Variis Diuinis Lugd. Bat. 1619. p. 133. ſequ.* Eumdem HILARIONIS libellum edidit ALLATIVS, ac Latine fecit *Graeciae orthod. Tom. I. pag. 655.*

s) MEVRSII *Var. Diu. pag. 143.* *ταῦτα δὲ ἔγραψα „ὑμῖν, ἕλληνες φίλτατοι, οὐ διαβάλλων ἄρτον τὸν ὑμέτερον, „τοῦτον γὰρ προσκυνῶ ὥσπερ καὶ τὰ ἡμῶν ἄζυμα, ἀλλὰ λέγων „ὑμᾶς οὐκ εὐποιεῖν, οὐδὲ χριστιανῶς, ὑβρίζοντας καὶ ἀτιμάζοντας τὰ τῶν Λατίνων ἄζυμα. Νενουθετημένοι οὖν ἀγαπητῶς ἐξῆς παύσασθε αὐθαδείας καὶ κακολογίας.*

 azy-

azymum denuo in exilium ire iusserant; sed etiam, Marco Ephesio duce, in suos ipsi ciues, quos per ludibrium azymitas vocabant, intestino odio adeo exarserant, vt illis sacrificio suo interdicerent, aditumque eorum sermonemque defugerent, ne quid ex contagione vitii contraherent. *t*) Frustra operam sumsit et acta egit Pontifex Nicolaus V. Graecos a tanto furore lenioribus litteris reuocaturus. Neque enim vel precibus, vel minis tot animorum sauciorum vulnera sanari poterant: ne commemorem, quod Graeci manum medici Romani eo magis formidauerint, quo minus desiderauerant. Itaque Isidoro, ex purpuratis eius vno Constantinopolin petente, cum mandatis, ne Imperator, neue ciues Graeciae concilii Florentini decreto parere recusarent, tantus repente tumultus coortus est, vt omnibus resarciendae pacis conatibus dicto citius discussis, non modo oleum et opera perierit, sed maior etiam et grauior inde euaserit scissura. *v*) Populum sane crebris vsurpasse sermonibus, valeant Latini, valeant quorum auxiliis felicius carebimus, valeat et absit longissime a nobis azymitarum ritus, testis est DVCAS, scriptor illius temporis celeberrimus. *x*) Quid?

t) vide, quae modo ex *Auctore Hist. Polit.* attulimus. conf. MAIMBOVRG. *loc. cit. pag. 270. sequ.*
v) MAIMBOVRG. *cit. loc. pag. 295.*
x) *Hist. Byzant. cap. XXXVI. pag. 143.* Τῶν γὰρ

quod

quod Graeci, Conſtantinopoli paullo poſt miſerrime expugnata, victi et in perpetuam ſeruitutem abſtracti, animo tamen aduerſus Latinos inuicto manſere, conſtanterque a ſacris ritibusque eorum ſeſe abſtinuerunt?

§. II.

§. II. Nequ deferbuiſſe ſaeculo XVI.

Neque eſt, quod faſtidium panis azymi priſtinum, quaſi innatum, ſenſibusque penitus adfixum ſaeculo XVI. a Graecis abfuiſſe, et ſententiam iuſto duriorem vel caſus triſtiſſimos, vel diem mitigaſſe autumes. Quam alieno auerſoque animo in panem huius generis hoc ipſo tempore fuerint, IEREMIAS, Patriarcha Conſtantinopolitanus adeo planum fecit, vt recte vel hoc ipſo teſte vtatur BELLARMINVS ad docendam perpetuam vſque ad memoriam ſuam hac de cauſſa diſſenſionem. *y)* confeſſionem Auguſtanam, quam Graece redditam acceperat, datis ad Tubingenſes litteris, partim calculo adiecto comprobauerat, partim cenſoria virgula dignam iudicauerat: z) quod *Acta et ſcripta*

Λατίνων οὔτε βοήθειαν, οὔτε τὴν ἕνωσιν χρήζομεν. Ἀπέστω ἀφ' ἡμῶν ἡ τῶν Ἀζυμιτῶν λατρεία.

y) *de Sacram. Euchariſt. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. pag. 607. Graeci azymitas nos vocari auſi ſunt, in qua ſententia ad hunc vsque diem perſeuerant.*

z) de quo litterarum commercio conſulatur CHRISTIANI KORTHOLTI *Hiſt. Eccleſ. Saec. XVI. cap. I. p. 833.* GVST. GEORGII ZELTNERI *Breviarium Controu. cum Graec. pag. 56.*

Theo-

Theologorum Wurtembergensium et Patriarchae Constantinopolitani, *Ieremiae* declarant. *a*) In quo publico scripto magnae in Graecia auctoritatis peracerbam de azymo fert sententiam, qua illum e re sacra proscribit, atque adeo panem esse negat, nec, nisi fermentato eucharistiam celebrandam esse docet. *b*) Quae adsertio ne minima quidem ex parte ab antiquissima illa Cerularii in azymum dicta sententia discrepat. Ita, si vsquam, certe hic antiquum obtinuere, suique fuerunt similes Graeci. Quemadmodum igitur verbis verba, quod ad nostram quaestionem spectat, hoc etiam saeculo responderunt: ita etiam facta factis fuisse simillima ANTONIVS CAVCVS, *c*) Archiepiscopus Corcyrensis testatur. Qui eo maxime fidem nobis facit, quod LEONI ALLATIO *d*) suspectus esse videtur. Is vero hac ipsa aetate de haeresibus Graecorum sui temporis singulare perscripsit volumen ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, in conciliandis Romanae ecclesiae Graecis multo occupatissimum. In

a) Prodierunt *Acta et Scripta Theologorum Wurtembergensium et patriarchae Constantinopolitani Ieremiae, quae vtrique a. 1576. vsque ad 1581. de Augustana confessione inter se miserunt*, *Graece et Latine ab iisdem Theologis edita a. 1584.*

b) *Respons. I. cap. X. p. 86. et Resp. II. p. 241.*

c) *de Graecorum recentiorum haeresibus, haeresi VI. sequent.*

d) *de Consens. lib. III. cap. X. §. II. pag. 1056.*

quo

quo cum reliquis erroribus hos quoque notat, quod panem ſine fermento a Latinis conſecratum adorare detrectent: quod aras, in quibus azymus a Latinis conſecratus fuerit, expiandas, lauandasque cenſeant: quod denique ſacerdotes Latinorum inſtituta ſecutos ab altaribus ſuis omnino arceant. Harum rerum vnam eſſe ſtirpem, quod panem ſacro epulo deſtinatum praefermentandum eſſe praecipiant. *e*) Neque tamen vel ALLATIVS diſſimulat, ſed prae ſe fert, *f*) *Graecorum recentiorum mentibus ita firmiter inhaeſiſſe, corpus Chriſti in azymo non confici, vt vix quacumque machina auelli poſſit.* Qua de cauſſa orientalibus in fidem ac poteſtatem Antiſtitis Romani venientibus et hoc ſaeculo, priusquam reciperentur, erat ſacramento dicto confirmandum, velle ſe ad praeſcriptum ſynodi Florentinae azymo iuxta atque fermentato pani in ſacra coena parem eamdemque dignitatem ſtatuere. Verba quibus haec promitterent,

e) vid. *Hiſtoire Critique des dogmes, des controverſes, des coutumes et des ceremonies des Chretiens Orientaux par Richard Simon, a Trevoux 1711.* Vbi *capite I.* ex eo ſcriptore ſubtexit: *ils refuſent d' adorer le ſaint ſacrement en la meſſe des pretres Latins, qui conſacrent avec du pain ſans levain. - Ils lavent même les autels, où les Latins ont celebré, et ils ne veulent point, que les pretres Latins celebrent ſur leurs autels, parcequ' ils pretendent, que le ſacrifice ſe doit faire avec du pain levé. pag. 6.*

f) *loc. cit. pag. 1055.*

Gregorius XIII. praeiuit, promulgata publica ac sollemni confessionis formula. *g*) Equidem non sum nescius, accidisse hac aetate, quod Latini vereor, ne nimis ostentent. Ruthenos, inquiunt, reliquis Graecis in errore perseuerantibus atque arcto somno sepultis, feliciter experrectos, mutato tandem consilio, de sententia omnium legatos ad Clementem VIII. Pontificem misisse, veniam diuturnae alienationis a vicario Christi petitum. Qua haud aegre impetrata, Pontificis auctoritatem secutos placitis Latinorum sese submisisse, fidemque et iusiurandum dedisse. *h*) Circumferunt doctrinae professionem ab iisdem sollemni ritu editam, atque a CAESARE BARONIO ad sempiternam rei memoriam annalibus *i*) suffixam, qua concilio Florentino morem gesturi sigillatim promittunt, se non secus panem fermenti expertem, ac fermentatum in eucharistia in sanctissimis habituros. *Credo*, ait confessio Ruthenorum, *k*) *suscipio, atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica synodus Florentina super vnione occi-*

g) ὁμολογία τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὑπὸ Γραικῶν ποιηθηζομένη, προστάγματι τοῦ ἁγιωτάτου Κυρίου Γρεγορίου, Πάπα ιγ' ἐκδοθεῖσα. conf. HEINECCII Abbildung der A. und N. Griechischen Kirche *P. II. in Append. pag.* 50.

h) vid. *Scriptum de Ruthenis ad communionem sedis apostolicae receptis* apud BARONIVM in fine *Tom. VII. Annal. pag. 814. sequ.*

i) ibidem *Num. XXVIIII. p. 821.*

k) *loc. cit. Num. XXXI. sequ. p. 822.*

dentalis

dentalis et orientalis ecclesiae definiuit, et declarauit: - - In azymo siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altario ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suae ecclesiae siue occidentalis siue orientalis consuetudinem. Verum enim vero phaleratis nos verbis neutiquam duci patimur, sed pedem propius conferentes, rem, vt est, sine fuco contemplati, tantam videmus fuisse hominum illorum paucitatem, vt eorum neque accessione ecclesia Latina aucta, neque decessione a reliquis Romanae sedis aduersariis numerus dissentientium imminutus fuerit. Denique nec hoc indignum est, quod obseruemus, eosdem illos in stipulatione modo commemorata summam adhibuisse cautionem, ne vel instituta vel caerimoniae, quibus ad id tempus conuiuium salutare celebrauerant, vlla vmquam mutatione vel minima ex parte polluerentur. *l*) Tantae pertinaciae fuerunt in retinendo pane fermentato homines etiam illi, qui fasces Romae submiserunt: amici, vt ita dicam, vsque ad aram; quid igitur est, quod ab iis exspectes, qui et hoc saeculo, et perpetuo ab ecclesia Latina fuerunt disiunctissimi: eiusque imperium cane et angue peius oderunt? *m*)

l) ibidem *pag. 822.*

m) conf. IO. HOORNBEECK *Summa controuers. relig. lib. XI. pag. 954.* et ELIAE VEIELII *Exercit.*

§. III. *Neque mortuam esse saeculo XVII.*

§. III.

Relicta hac perexigua Graecorum manu, quos sententiam de pane azymo ad speciem temperasse diximus, reuertimur nunc, vnde deflexímus, ad maximam illam classem, quam vt proximis superioribus, ita quoque decimo septimo saeculo fuisse veteri illa ac familiari inuidia in panem azymum armatam nullo negotio discitur. In vulgus nota est, quam METROPHANES CRITOPVLVS per id tempus in publicum dedit, confessio doctrinae ecclesiae orientalis *n*) quae tanta acerbitate ritum azymo consecrandi explodit atque eiicit, vt cum maxime. Istius enim farinae panem hominum pestiferis ac perversis opinionibus infectorum opera inauspicato surrepsisse, atque vt sit panis nomine quam minime dignus, ita quam maxime fugiendum esse atque respuendum docet. *o*) Quod volumen cum tanti a Graecis paene omnibus aestimetur, vt in confessionis publicae loco illud habeant, *p*)

Historico-Theol. de ecclesia Graecanica hodierna. Argentorati a. 1666.

n) METROPHANIS CRITOPVLI, *Hieromonachi et Patriarchalis Constantinopolitani Protosyncelli Confessio Catholicae et Apostolicae in oriente ecclesiae Graece et Latine edita a* IO. HORNEIO. *Helmstadii a. 1661.*

o) *Confess. cit. cap. VIIII. pag. 90-96.*

p) vid. CASPAR CALVOER *Fiss. Sionis lib. XVIII. cap. IIII. §. 12. p. 1014.* IO. MICHAEL HEINECCIVS Abbildung der Alt. und Neuen Griechischen Kir-

suo

ſuo ſibi iure locum hic vindicat, atque ad diſtractionem de cauſſa, quam exponimus, inter Graecos ac Latinos ad hanc aetatem vſque producendam a viris doctis *q*) adlegatur. Critopulo quam proxime accedit CAECILIVS METROPHANES in profeſſione fidei Graecae eadem fere aetate peruulgata. *r*) Propius ergo fidem eſt, quod WHELERVS *s*) commemorat, legatum regis Galliae nullis precibus impetrare potuiſſe, vt vel ſemel in aede Graeca ritu Latino ſine fermento res diuina fieret. Nihil mirum, quod ADAMVS OLEARIVS *t*) narrat, nec in Ruſſia eo tempore nationi Gallicae locum datum fuiſſe, vbi ſacra more Romano inſtituerentur. Adeo vtrimque viguit antiqua animorum diuiſio, cum Graeci panis fermento temperati vſum, quam poterant, conſtantiſſime tuerentur, at Latinis azymi conſecrandi ritu nihil prius eſſet, nihil antiquius. Qui

che *Part. I. cap. IIII.* §. *16. pag. 234.* conf. IO. ALBERTI FABRICII *Biblioth. Graec. Vol. X. lib. V. cap. XXXXV. pag. 498.* AYMONII *Monumens Authentiques de la Rel. des Grecs, pag. 327.*

q) IO. CASP. SVICERI *Theſaur. Eccleſ. in voce* ἄζυμος *pag. 105.*

r) vide Nothwendige Glaubens-Articel der Orientaliſchen Kirche apud CHRISTIANVM THOMASIVM Hiſtorie der Weisheit und Thorheit. *Part. II. pag. 175.*

s) *Voyage de Dalmatie de Grece et du Levant Tom. II. p. 364.*

t) Reiſebeſchreibung, *lib. III. cap. XXXIII. pag. 168.*

nimius Latinorum siue fermento sacrificandi amor vel hoc ipso saeculo manibus tenetur, si in memoriam reuocemus, quod Hieronymo Vecchietto, celebri philologo sub initium saeculi huius accidit. Is Augustae Vindelicorum edito in vulgus libro, quem *de anno primitiuo* inscripsit, v) inter alia etiam demonstrauerat, Christum anno supplicio ac morte sua insigni, nullum omnino pascha celebrasse, sed eius loco, data coena extrema, eucharistiam pridie eius diei, quo in crucem agebatur, pane cibario ac domestico siue fermentato instruxisse. x) Nouam hanc, si ad Latinos animum referas, y) sententiam quasi fidei Christianae aduersam supremi religionis quaesitores adeo male exceperunt, vt auctorem eius, carcere multandum, librumque flammis tradendum esse iudicarent: quod IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, z) et alii scriptores Latini, DVPIN a) SERRY, b) ac GRAVESONIVS c) con-

v) prodiit a. 1621.

x) VECCHIETTVS *volum. cit. libr. IIII. cap. XXXV. et seq. p. 43.*

y) De Graecis antiquioribus eiusdem sententiae auctoribus aliquanto post dicemus *Part. II. cap. VIII. §. I.*

z) *Pinacoth. Vir. Illustr. Part. I. p. 196.*

a) *Biblioth. Eccles. Tom. XVII. pag. 8.*

b) *de Christo eiusque Virgine Matre Exercit. LI. §. VI. pag. 356.*

c) *Tractatu de Vita, Mysteriis, et Annis Iesu Christi. Venet. 1733. Dissert. XVIIII. Tom. II. pag. 44.*

firmant;

firmant, vt alia, quae huc commode arcessi possent, in tacitis ac praeteritis relinquamus. *d*)

§. IIII.

§. IIII. Neque saeculo hoc nostro XVIII. esse sepultam.

Noli dubitare, lector, quin hoc ipso saeculo duodeuicesimo documenta exstent, quae Graecos a Latinis etiam num eadem de caussa per mueteratam discordiam disiunctissimos esse loquantur. Haud sane ita pridem in scenam denuo prodiit Theologus Graecus, quem SOSIMVM PERASTIANVM vocant, *e*) qui Christum pascha vltimum praemature, atque adeo pane fermentato egisse, peruulgata eam in rem singulari dissertatione iuit demonstratum. Cuius argumentis occurrit ex Latinis Theologis vir celeberrimus, IACOBVS HYACINTHVS SERRY, quem responsionis auctorem esse et prologus dissertationi, quam diximus, praefixus, et argumenta varia manifesto produnt. Emissa est abhinc annos ferme sex haec eadem *Graeci Theologi de Christo pascha suum praemature atque in pane fermentato celebrante dissertatio a Theologo Latino censoriis notis dispuncta et confutata.* *f*) In qua

d) conf. ALPHONSI BOVOSI, *Canon. Regul. Disput. II. de ritu Romanae ecclesiae consecrandi in azymo, edit. 1609.*

e) *Bibliotheque Italique Tom. VII. pag. 273.* Gelehrte Zeitungen a. 1731. *Num. XXXXIII. pag. 379.*

f) *Pataui 1730. ex typographia Seminarii.*

belli

belli antiquiſſimi palaeſtra, redintegrato proelio, quam ſollertes ſe dederint noui bellatores, eſſet hic commonſtrandi locus, niſi ipſam diſſertationem dignam iudicaſſemus, quam in fine voluminis noſtri animaduerſionibus quibusdam illuſtratam adiiceremus. Interim, cum homo Graecus ibidem g) adfirmet, per ἄρτον in ſcriptura diuina non niſi panem fermentatum eſſe intelligendum, itemque h) *azymum eſſe imperfectum panem, eſſe panem adflictionis, neque bonam fore analogiam corporis Chriſti cum pane azymo:* quae ſunt argumenta ex ſaeculis ſuperioris petita; ſcripti huius commemorationem quodammodo transuolare eo maxime conſilio dubitauimus, vt in azymo impugnando Graecos ad hoc tempus antiquum obtinere nouiſſimo monumento liquido doceremus.

CAPVT VII.

DE SECTIS ORIENTALIBVS PLERISQVE FERMENTATVM, QVIBVSDAM AZYMVM CONSECRANTIBVS.

§. I. *De iis, quibus fermentati panis vſus placet.*

§. I.

Habes igitur diuturnum illud de panis conſecrandi genere Graecorum a Latinis diuortium ad noſtram vsque aetatem

g) *Diſſert. cit. §. X. p. 26.*
h) ibidem §. *XI. p. 27.*

ordine

ordine enarratum; nunc quibus armis Graecia pugnauerit, quibus munitionibus se defenderit Roma, exponere et animus est, et ordo iubet. Ad quod negotium accincti ante, quam manum operi admoueamus, lustrabimus, quasi stantes pede vno, magnum Christianorum orientalium exercitum, quem in ritu hoc controuerso summa sane distractio a Romanis disiungit. Qui multum inter se ceteroqui discordant, Graeci, seu germani sint et puriores, seu spurii et impuriores, *i*) vsum panis non fermentati in mirifico ecclesiae conuiuio singulari quodam concentu, vnoque quasi ore paene omnes exsibilant et explodunt. *k*) Non exiguam igitur eam esse manum, neque modicis regionibus circumscriptam; sed omnibus orbis terrarum partibus contineri primo, opinor, adspectu cognoscitur. Fermentum enim pani sacro admiscent Graeci germani omnes, qui Praesulem Constantinopolitanum sequuntur, quippe qui, vt per multa saecula euntes docuimus, omnivm disceptationum architecti et machinatores, ac, si ita dicere conuenit, veterani milites contra azymum Latinorum exstiterunt. Ad illorum signa confluunt innumerabiles hominum copiae, qui par-

i) vid. FRID. SPANHEMII *Dissertatio de perpetua dissensione Graec. a Latin. Op. Tom. II. pag. 486. sequ.* itemque *p. 517.*
k) inibi *pag. 555.*

tim

tim ad ecclesiae Constantinopolitanae instituta sese efformarunt, partim disiuncti vt regionum interuallis, ita institutione et animis aliquando a ceteris deflectunt; at in hac tamen caussa eamdem viam ingrediuntur, *l*) quos praecipuos strictim attingere erit operae pretium. *Syros* siue *Melchitas* omnes, si paucissimos remoueris, non alio, nisi fermentato pane coenam Domini instruere, alterumue panis genus a mensa sacra non amouere modo, sed etiam consecratum ab aliis detestari, et a Latinis vel eo nomine suo iam tempore abhorruisse, testibus antiquis spectatur. *Suriani*, inquit IACOBVS DE VITRIACO, *m*) *altaria, supra quae Latini celebrauerunt, diuina, priusquam in illis celebrent, abluere consueuerunt. Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reuerentiam, nec adsurgere volunt, quando corpus Domini ad visitandos infirmos nostri deferunt sacerdotes. - Ipsi, contra mysterium, ex fermentato pane conficiunt sacramenta.* Neque aliud ab iis exspectandum, *qui*, vt paullo post scripsit, *consuetudines et institutiones Graecorum in diuinis officiis et in*

l) Testis est *epistola* CYRILLI *Alexandrini Patr. Hyberos, Cholcos, Arabes, Chaldaeos, Aethiopes, Aegyptios, Moscouitas, Ruthenos, Bulgaros, Seruos, Sclauos, Albanenses et alios ecclesiae Graecae eiusque ritui obtemperare.* vid. IOANNIS AYMONII *Monumens Authentiques pag. 148.*

m) *Histor. Hierosol. lib. I. cap. LXXIIII.* in *Gestis Dei per Franc. Tom. I. pag. 1091.*

aliis

aliis ſpiritualibus penitus obſeruant, et iis tamquam ſuperioribus ſuis obediunt. Cui MARINVS SANVTVS TORSELLVS *n*) iisdem ferme verbis ſuffragatur. Neue noſtro tempore eos immutatos eſſe exiſtimes, obſtant teſtimonia recentiorum, RICHARDI SIMONII, *o*) EVSEBII RENAVDOTII, *p*) et BERNARDI PICARTI. *q*) *Iacobitae* per Syriam, Meſopotamiam ac Babyloniam ſparſi, multum inter ſe diuerſi et in ſectas varias diuiſi admodum a reliquis Graecis declinant, *r*) neque tamen omnes, vt quorumdam *s*) videtur eſſe opinio, panem fermenti expertem epulis ſacratiſſimis ad deſignandam vnam in Chriſto naturam deſtinant, ſed fermen-

n) *Secret. Fidelium Crucis lib. III. Part. VIII. cap. I. in Geſtis Dei per Fr. Tom. II. pag. 179. et pag. 181.* ſubiicit: *Ipſi Latinorum altaria renuunt, et niſi prius quaſi profanata diligenter abluant, poſt eos ibi non celebrant: nec adſurgere volunt, quando Latini presbyteri corpus dominicum portant ad communicandum infirmos, nec in azymo pane conſecrant, - dicentes, quia Chriſtus in comeſtione agni paſchalis tempus praeuenit vna die.*

o) *Hiſtoire Critique des dogmes des controverſes des Chretiens Orientaux cap. VI. pag. 160.*

p) *Collect. Liturg. Oriental. Tom. II. p. 64.*

q) vid. *Diſſertat. III. de la religion des Grecs in Tomo III. des Ceremonies et coutumes religieuſes de tous les peuples du monde pag. 147. ſequ.*

r) IAC. DE VITRIACO *Hiſt. Hieroſ. lib. I. cap. LXXV. Geſt. Dei per Fr. Tom. I. pag. 1091. et Tom. II. pag. 184.* conf RICHARD SIMON *loc. cit. pag. 122.*

s) vid. LEON. ALLATII *de Conſenſ. lib. III. cap. XVII. §. XV. pag. 1331.*

tatum libant, vt praeter IACOBVM DE VITRIACO *t*) RICHARDVS SIMON *v*) obseruat. At vero Iacobitas Chatzitzarios, qui sunt Armeni, azymo rem diuinam facere auctor est non contemnendus DEMETRIVS CYZICENVS, *x*) cuius adsertioni facile adstipulamur. *y*) *Nestorianos* non minori numero iisdem in regionibus et latius etiam diffusos panem fermento imbutum in mysterio Domini adhibere magna et veterum *z*) et recentiorum *a*) auctoritate figitur. Nec vero non eumdem morem *Georgiani*, Persis, Medis et Scythis confines obtinent: *b*) Neque

t) *loc. cit.*

v) *in notis ad Apolog.* GABRIELIS SEVERI *pag.* 87. *et Histoire Critique cit. pag.* 121, vbi addit: *il n'est pas vrai, qui consacrent en pain sans levain.*

x) *Tract. de haeresi Iacobitarum Chatzitzariorum* apud BONAM *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. pag.* 356.

y) Bene enim ac vere RICHARDVS SIMON: *L'on doit mettre grande difference entre les Jacobites, quand on comprend sous ce noms les Cophtes, les Abyssins, et les Armeniens, et entre ceux, qu'on nomme proprement Jacobites. Car quoique qu'ils suivent tous le sentiment de ce Jacques, dont ils ont pris le nom, ils ne laisse pas pour cela de differer en quelques ceremonies. Libro cit. cap. VIIII. p.* 122.

z) vid. *Gesta Dei per Francos Tom. I. pag.* 1093. et *Tom. II. pag.* 186.

a) IO. MABILLO[illegible] *de pane eucharistico azymo cap. II*[illegible] *Posthumes Tom. I. pag.* 122. RIC[illegible] *Histoire Critique cit.* [illegible] *VII.*

[illegible] *Hierof. cap. LXXVIIII.*

alius

alius, atque fermentatus panis, vt praeter CYRILLVM, *c*) praesulem Alexandrinum docet IOBVS LVDOLFVS *d*) *Aethiopibus*, et *Coptis* per Aegyptum et alias Africae partes disseminatis placet. Cui refragari videtur LEO, *e*) Bulgariae Archiepiscopus, qui Aegyptios Latinis in azymo consecrando accedere scribit. De Aethiopibus certe legatus Dauidis Aethiopum Imperatoris adseuerat: *f*) *quoties confitemur, adsumimus corpus Domini, et id quidem sub vtraque specie in pane azymo triticeo.* Quorsum spectant, quae de Abyssinis ritu Romano sacrificantibus LVCAS HOLSTENIVS *g*) edisserit. Verum, vt haud inuiti admittimus, esse in iisdem regionibus quasdam Christianae professionis sectas, quae panem a fermento purum consecrent: ita obuiis vlnis LVDOLFI sententiam amplectimur, Christianos in Africa generatim sumtos fermentato pane mysterium apparare: quod IO. MI-

Gest. Dei per Franc. Tom. I. p. 1095. et MARINVS SANVTVS in *Secret. Fid. Crucis lib. III. Part. VIII. cap. IIII.* ibidem *Tom. II. pag. 186.*

c) *epist.* apud AYMONIVM *loc. cit.*

d) *Histor. Aethiop. lib. III. cap. VI. §. 80.*

e) *epist. III. de azymis* apud L. ALLATIVM *de Consens. lib. III. cap. XIIII. §. I. p. 1163.*

Confess. fidei Aethiopum ad Ioannem III. Regem [illegible]*lliae*, cuius capita praecipua DAVIDES [illegible]AEVS edidit *Francof. 1580.* vid. *pag. 113.*

[illegible] *ad Nibusium* in ALLATII *Symmictis pag.*

CHAELIS VANSLEBII, *h*) RICHARDI SIMONII, *i*) aliorumque *k*) auctoritas suffulcit. Eiusdem panis vsus, *Indis* seu *Christianis S. Thomae*, RICHARDO SIMONIO teste, *l*) comprobatur. Qui tamen ritus nescio, an sit omnibus Christianis Thomanis communis, cum magna sit inter homines illos rerum omnium discrepantia, aliis ad patriarcham Antiochiae, aliis ad pontificem Romanum rerum sacrarum summam deferentibus: id, quod rerum illarum nuntius ac testis recentissimus, VALERIVS NICOLAI, qui sacerdotio iisdem in finibus fungitur, haud ita pridem adstruxit. *m*) Eorum sane aliquos azymo aliquamdiu vsos, nuper ad fermentatum rediisse, sacerdos S. Thomae, sacris Latinorum initiatus, religionis caussa isthuc profectus aperuit, vt anno proximo su-

h) *Relazione dello stato presente dell' Egitto.* Vnde RICHARDVS SIMON in *Histoire Critique des Orientaux cap. X. pag. 126.* pauca delibat: *il ajoute, qu' ils se servent pour la consecration de pain levé, lequels ils nomment avant la consecration Baraca, c' est à dire, benediction; et Corban, ou communion et eucharistie après qu' il est consacré.*

i) *Histoire Critique loc. cit.* et in *adnotat. ad Fidem ecclesiae orientalis pag. 89.*

k) vid. IO. HOORNBEECK *Summa Controu. Rel. Lib. XI. pag. 957.* FRID. SPANHEMII *Op. Tom. II. p. 555.*

l) *Libri cit. cap. VIII. p. 105.* in primis *pag. 115.*

m) Antwort an die *Missionarien.* vid. Bericht der *Missionarien* aus Ost-Indien *Contin. XXXVII. a. 1735. pag. 19. sequ.*

periore

periore eorum litterae ad nos pertulerunt, qui, Regis Daniae auspiciis, iisdem in finibus coetum Deo colligunt. *n*) Vbi tamen fateor, me quidem ab adnotatione illic subnexa, nouam esse panis fermentati apud Christianos S. Thomae institutionem, aliquantum dissentire. Cum enim, vt inibi ex nuntio, quem diximus, nouissimo disci potest, *o*) plerique patriarchae Antiocheno pareant, vel Iacobitarum vel Nestorianorum institutis addicti; illi vero omnes, quemadmodum ante demonstratum est, inde vsque ab antiquissimis temporibus fermentato in re sacra delectati, nimio semper opere caerimoniam illam adamauerint; propensius mihi videtur esse ad veri similitudinem, fermentati panis vsum iam eos antiquitus a Syris et reliquis in vicinia Graecis accepisse. Azymi igitur potius, quam fermentati consecrationem recens illatam esse equidem autumauerim, si quibusdam in locis Romae nutu et consilio stantibus panis fermenti expers est in more positus. Quam meam sententiam ea, quae illic subtexuntur, tantum abesse puto, vt infringant, vt contra neruosius etiam stabiliant. Sed relictis illis, in Europam redimus, vbi amplissimum Russiae imperium ingressi mysterii panes fermento mixtos in summo honore esse animaduertimus. *Muscoui-*

n) Bericht der *Mission.* ibidem *pag. 96.*
o) ibidem *pag. 19.*

tae enim pertinaciſſime eius modi panem in coena ſacra vſurpari iubent, vt IOANNES, *p*) Ruſſiae metropolita, auctor antiquior, et recentiores, ADAMVS OLEARIVS, *q*) IO. ERNESTVS GERHARDVS *r*) ac IO. MABILLONIVS *s*) aperit, nequaquam azymum, vt alicubi PAVLLVS ODERBORNIVS, *t*) prodidit. Neque vero Graecorum illi tranſierunt ad ſacrificium non fermentatum, qui Latinis conciliati ſubiectique in Italiam vel etiam Romam ſe contulerunt. Cum enim omnia citius, quam acceptum a maioribus ritum dimitterent; noluerunt Pontifices, ſi duriores ea in re eſſent, reliquos a iugo ſubeundo deterrere. Itaque et olim ante concilium

p) in *epiſt. ad Pontif. Roman.* apud HERBERSTEIN *Comment. Rer. Moſcouit. p.* 32.

q) Moſcowitiſche und Perſ. Reiſebeſchreibung *Lib. III. cap. XXXI. pag.* 162. Das Brodt, ſo ſie zum heil. Abendmahl gebrauchen, muß geſäuret, und von eines Prieſters Wittwe gebacken ſeyn. Und das iſt auch eine Urſache, ſo die Ruſſen vorwenden, warum ſie es nicht mit der Lateiniſchen Kirche halten können, weil dieſe im hochwürdigen Abendmahle ungeſäuert Brodt gebrauchen. Confer, quae ex codice manuſcripto ZEIDLERI exhibent *Collectores* der Alten und Neuen Theolog. Sachen. Beytrag II. *in a.* 1735. *p.* 163.

r) *Diſſert. de religione ritibusque eccl. Moſcouit. Ien.* 1665.

s) *Diſſ. de pane eucharistico azymo et ferm. cap. IIII. Ouvrages Poſth. Tom. I. p.* 122.

t) in *vita Ioannis Baſilidis et epiſtola ad Chytraeum*, obſeruante atque emendante errorem hunc tralatitium GERHARDO *Diſſ. cit. cap. XVII.* §. 3.

Floren-

Florentiae celebratum, et ab eo tempore ritum fermentati consecrandi desiderantibus facile indulserunt: v) cuius caerimoniae ad patriae disciplinae formam compositae diligentior semper mansit custodia.

§. II.

§. II. De illis, quae Latinorum morem secutae azymo gaudent.

Sunt tamen pro numero suo multi, sed pro multitudine reliquorum pauci inter Graecos, qui azymo eucharisticum epulum ornant. Primo loco ponendi sunt *Armeni*, etiam extra Armeniam in Tartaria quaerendi, de quibus IACOBVS DE VITRIACO, x) *inter hos*, inquit, *et Graecos inexorabiles sunt discordiae et dissensiones implacabiles, et inuicem alii aliorum ritus et instituta detestantur.* Cum igitur in omnibus a Graecis mentem quam maxime auerterunt, mutuasque inimicitias iam diu susceptas continenter alunt, tum ab antiquissimo tempore panes sine admixtione fermenti coctos in magnifica Domini coena adhibuerunt, eamque rationem se a Gregorio Magno accepisse iactarunt, vt NICEPHORVS CALLISTVS y) ac vetustus sine auctore libellus z) testificatur. Qua

v) vid. infra *Part. IIII. cap. II. §. II.*

x) *Cap. LXXVIII. loc. cit. pag. 1094.*

y) *Hist. Eccl. lib. XVIII. cap. LIII.* ἄζυμον, οὐκ ἄρτον ἐν ταῖς ἱεραῖς ἁγιστείαις προσφέρουσι. Iam a saeculo septimo ritum hunc nonnulli repetunt: vide supra *Part. I. cap. II. §. IIII.*

z) in COTELERII *Monum. Eccl. Gr. Tom. III. pag. 508.*

de caussa redeuntibus ad ecclesiam Graecam non modo mores Graecorum induendos, sed etiam, dato sacramento, hanc azymi in sacrificio offerendi caerimoniam abiiciendam, atque in certa verba iurandum fuisse, manifesto liquet. *a*) At nostra memoria eo minus dubitemus, licet, de illo Armenorum instituto, quod plerosque eorum Latinis prae reliquis manus publice dedisse, omnium suffragiis sustinetur. Docet ABRAHAMVS ECHELLENSIS *b*) Maronita, vel ob hunc ritum mori Graecorum tamquam e regione contrarium Armenos olim azymitarum nomen per ludibrium esse sortitos, eosque, etiam num a reliquis orientis Christianis paene omnibus eadem de caussa culpari EVSEBIVS RENAVDOTIVS *c*) commemorat. Eamdem azymi apud Armenos consecrationem sollertes rerum illarum cognitores, RICHARDVS SIMON, *d*) IO. BONA, *e*) CHRISTIANVS LVPVS, *f*) IOANNES MABILLONIVS, *g*) IO. HEN-

a) vide infra *Part. IIII. cap. I. §. II.*

b) *epist. ad Morinum §. XI. in Fide Eccl. Orient. a* RICH. SIMONIO *edita pag. 285.*

c) *Liturg. Orient. Collect. Tom. I. pag. 190.*

d) *Histoire Critique des Orientaux cap. XII. pag. 140.* et in *not. ad Fid. Eccl. Orient. pag. 88.*

e) *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. pag. 355.*

f) *Diss. de Leonis VIIII. Actis Concil. a* LVPO *edit. Tom. IIII. Venet. 1725. pag. 333.*

g) *Ouvrages Posthumes pag. cit.*

RICVS

RICVS HOTTINGERVS, *h*) ADAMVS OLEARIVS, *i*) FRIDERICVS SPANHEMIVS, *k*) et IO. ERNESTVS GERHARDVS *l*) loquuntur. *Maronitae* in radicibus Libani in Phoenicia passim degentes olim fermentato pane vescebantur; sed ex quo ad Latinos se receperunt, quod saeculo XII. accidit, ritus Latinos et in illis azymum in eius locum surrogarunt. Auctor est GVILIELMVS, Archiepiscopus Tyrensis: *m*) *cum per annos paene quingentos cuiusdam Maronis, haeresiarchae errorem fuissent secuti, ita vt ab eo dicerentur Maronitae, et ab ecclesia fidelium sequestrati seorsum sacramenta conficerent sua, diuina inspiratione ad cor redeuntes ad vnitatem ecclesiae Catholicae reuersi sunt, fidem Orthodoxam suscipientes, parati Romanae ecclesiae traditiones cum omni veneratione amplecti et obseruare.* Neque vero ipsis tantum illud facere deliberatum fuit, ac constitutum; sed vere id perfecerunt. Namque vt IACOBVS DE VITRIACO *n*) narrat, *consuetudines et ritus Latinorum ob-*

h) *Hist. Eccles. Tom. V. cap. XVI. Sect. II. pag.* 45.
i) Reisebeschreibung *lib. IIII. cap. XXXXI. pag.* 519.
k) *Op. Tom. II. pag.* 521.
l) *Differt. de statu Armeniae, cap. V. §. VII. Ien.* 1665.
m) *Hist. Lib. XXII. cap. VIII. Gest. Dei per Fr. Tom. I. pag.* 1022.
n) *Hist. Hieros. lib. I. cap. LXXVII. cit. loc. pag.* 1094.

tim ad ecclesiae Constantinopolitanae instituta sese efformarunt, partim disiuncti vt regionum interuallis, ita institutione et animis aliquando a ceteris deflectunt; at in hac tamen caussa eamdem viam ingrediuntur, *l*) quos praecipuos strictim attingere erit operae pretium. *Syros* siue *Melchitas* omnes, si paucissimos remoueris, non alio, nisi fermentato pane coenam Domini instruere, alterumue panis genus a mensa sacra non amouere modo, sed etiam consecratum ab aliis detestari, et a Latinis vel eo nomine suo iam tempore abhorruisse, testibus antiquis spectatur. *Suriani*, inquit IACOBVS DE VITRIACO, *m*) *altaria, supra quae Latini celebrauerunt, diuina, priusquam in illis celebrent, abluere consueuerunt. Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reuerentiam, nec adsurgere volunt, quando corpus Domini ad visitandos infirmos nostri deferunt sacerdotes. - Ipsi, contra mysterium, ex fermentato pane conficiunt sacramenta.* Neque aliud ab iis exspectandum, *qui*, vt paullo post scripsit, *consuetudines et institutiones Graecorum in diuinis officiis et in*

l) Testis est *epistola* CYRILLI *Alexandrini Patr. Hyberos, Cholcos, Arabes, Chaldaeos, Aethiopes, Aegyptios, Moscouitas, Ruthenos, Bulgaros, Seruos, Sclavos, Albanenses et alios ecclesiae Graecae eiusque ritui obtemperare.* vid. IOANNIS AYMONII *Monumens Authentiques pag. 148.*

m) *Histor. Hierosol. lib. I. cap. LXXIIII.* in *Gestis Dei per Franc. Tom. I. pag. 1091.*

aliis

aliis spiritualibus penitus obseruant, et iis tamquam superioribus suis obediunt. Cui MARINVS SANVTVS TORSELLVS *n*) iisdem ferme verbis suffragatur. Neue nostro tempore eos immutatos esse existimes, obstant testimonia recentiorum, RICHARDI SIMONII, *o*) EVSEBII RENAVDOTII, *p*) et BERNARDI PICARTI. *q*) *Iacobitae* per Syriam, Mesopotamiam ac Babyloniam sparsi, multum inter se diuersi et in sectas varias diuisi admodum a reliquis Graecis declinant, *r*) neque tamen omnes, vt quorumdam *s*) videtur esse opinio, panem fermenti expertem epulis sacratissimis ad designandam vnam in Christo naturam destinant, sed fermentatum

n) *Secret. Fidelium Crucis lib. III. Part. VIII. cap. I. in Gestis Dei per Fr. Tom. II. pag. 179. et pag. 181.* subiicit: *Ipsi Latinorum altaria renuunt, et nisi prius quasi profanata diligenter abluant, post eos ibi non celebrant: nec adsurgere volunt, quando Latini presbyteri corpus dominicum portant ad communicandum infirmos, nec in azymo pane consecrant, - dicentes, quia Christus in comestione agni paschalis tempus praeuenit vna die.*

o) *Histoire Critique des dogmes des controverses des Chretiens Orientaux cap. VI. pag. 160.*

p) *Collect. Liturg. Oriental. Tom. II. p. 64.*

q) vid. *Dissertat. III. de la religion des Grecs in Tomo III. des Ceremonies et coutumes religieuses de tous les peuples du monde pag. 147. sequ.*

r) IAC. DE VITRIACO *Hist. Hierosl. lib. I. cap. LXXV. Gest. Dei per Fr. Tom. I. pag. 1091. et Tom. II. pag. 184.* conf RICHARD SIMON *loc. cit. pag. 122.*

s) vid. LEON. ALLATII *de Consens. lib. III. cap. XVII. §. XV. pag. 1331.*

tatum libant, vt praeter IACOBVM DE VITRIACO *t*) RICHARDVS SIMON *v*) obſeruat. At vero Iacobitas Chatzitzarios, qui ſunt Armeni, azymo rem diuinam facere auctor eſt non contemnendus DEMETRIVS CYZICENVS, *x*) cuius adſertioni facile adſtipulamur. *y*) *Neſtorianos* non minori numero iisdem in regionibus et latius etiam diffuſos panem fermento imbutum in myſterio Domini adhibere magna et veterum *z*) et recentiorum *a*) auctoritate figitur. Nec vero non eumdem morem *Georgiani*, Perſis, Medis et Scythis confines obtinent: *b*) Neque

t) *loc. cit.*

v) *in notis ad Apolog.* GABRIELIS SEVERI *pag.* 87. *et Hiſtoire Critique cit. pag. 121*, vbi addit: *il n'eſt pas vrai, qui conſacrent en pain ſans levain.*

x) *Tract. de haereſi Iacobitarum Chatzitzariorum* apud BONAM *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. pag.* 356.

y) **Bene enim ac vere** RICHARDVS SIMON: *L'on doit mettre grande difference entre les Jacobites, quand on comprend ſous ce noms les Cophtes, les Abyſſins, et les Armeniens, et entre ceux, qu'on nomme proprement Jacobites. Car quoique qu'ils ſuivent tous le ſentiment de ce Jacques, dont ils ont pris le nom, ils ne laiſſe pas pour cela de differer en quelques ceremonies. Libro cit. cap. VIIII. p. 122.*

z) vid. *Geſta Dei per Francos Tom. I. pag. 1093.* et *Tom. II. pag. 186.*

a) IO. MABILLONII *Differt. de pane eucharistico azymo cap. IIII. in Ouvrages Poſthumes Tom. I. pag. 122.* RICHARDVS SIMON *Hiſtoire Critique cit. cap. VII. p. 97.*

b) IAC. DE VITRIACO *Hiſt. Hieroſ. cap. LXXVIIII.*

alius

alius, atque fermentatus panis, vt praeter CYRILLVM, c) praesulem Alexandrinum docet IOBVS LVDOLFVS d) *Aethiopibus*, et *Coptis* per Aegyptum et alias Africae partes disseminatis placet. Cui refragari videtur LEO, e) Bulgariae Archiepiscopus, qui Aegyptios Latinis in azymo consecrando accedere scribit. De Aethiopibus certe legatus Dauidis Aethiopum Imperatoris adseuerat: f) *quoties confitemur, adsumimus corpus Domini, et id quidem sub vtraque specie in pane azymo triticeo.* Quorsum spectant, quae de Abyssinis ritu Romano sacrificantibus LVCAS HOLSTENIVS g) edisserit. Verum, vt haud inuiti admittimus, esse in iisdem regionibus quasdam Christianae professionis sectas, quae panem a fermento purum consecrent: ita obuiis vlnis LVDOLFI sententiam amplectimur, Christianos in Africa generatim sumtos fermentato pane mysterium apparare: quod IO. MI-

Gest. Dei per Franc. Tom. I. p. 1095. et MARINVS SANVTVS in *Secret. Fid. Crucis lib. III. Part. VIII. cap. IIII.* ibidem *Tom. II. pag. 186.*

c) *epist.* apud AYMONIVM *loc. cit.*

d) *Histor. Aethiop. lib. III. cap. VI. §. 80.*

e) *epist. III. de azymis* apud L. ALLATIVM *de Consens. lib. III. cap. XIIII. §. I. p. 1163.*

f) *Confess. fidei Aethiopum ad Ioannem III. Regem Portugalliae*, cuius capita praecipua DAVIDES CHYTRAEVS edidit *Francof. 1580.* vid. *pag. 113.*

g) *epist. ad Nibusium* in ALLATII *Symmictis pag. 436.*

CHAELIS VANSLEBII, *h*) RICHARDI SIMONII, *i*) aliorumque *k*) auctoritas suffulcit. Eiusdem panis vsus, *Indis* seu *Christianis S. Thomae*, RICHARDO SIMONIO teste, *l*) comprobatur. Qui tamen ritus nescio, an sit omnibus Christianis Thomanis communis, cum magna sit inter homines illos rerum omnium discrepantia, aliis ad patriarcham Antiochiae, aliis ad pontificem Romanum rerum sacrarum summam deferentibus: id, quod rerum illarum nuntius ac testis recentissimus, VALERIVS NICOLAI, qui sacerdotio iisdem in finibus fungitur, haud ita pridem adstruxit. *m*) Eorum sane aliquos azymo aliquamdiu vsos, nuper ad fermentatum rediisse, sacerdos S. Thomae, sacris Latinorum initiatus, religionis caussa isthuc profectus aperuit, vt anno proximo su-

h) *Relazione dello stato presente dell' Egitto.* Vnde RICHARDVS SIMON in *Histoire Critique des Orientaux cap. X. pag. 126.* pauca delibat: *il ajoute, qu'ils se servent pour la consecration de pain levé, lequels ils nomment avant la consécration Baraca, c'est à dire, benediction; et Corban, ou communion et eucharistie après qu'il est consacré.*

i) *Histoire Critique loc. cit.* et in *adnotat. ad Fidem ecclesiae orientalis pag. 89.*

k) vid. IO. HOORNBEECK *Summa Controu. Rel. Lib. XI. pag. 957.* FRID. SPANHEMII *Op. Tom. II. p. 555.*

l) *Libri cit. cap. VIII. p. 105.* in primis *pag. 115.*

m) Antwort an die *Missionarien.* vid. Bericht der *Missionarien* aus Ost-Indien *Contin. XXXVII. a. 1735. pag. 19. sequ.*

periore

periore eorum litterae ad nos pertulerunt, qui, Regis Daniae auſpiciis, iisdem in finibus coetum Deo colligunt. *n*) Vbi tamen fateor, me quidem ab adnotatione illic ſubnexa, nouam eſſe panis fermentati apud Chriſtianos S. Thomae inſtitutionem, aliquantum diſſentire. Cum enim, vt inibi ex nuntio, quem diximus, nouiſſimo diſci poteſt, *o*) plerique patriarchae Antiocheno pareant, vel Iacobitarum vel Neſtorianorum inſtitutis addicti; illi vero omnes, quemadmodum ante demonſtratum eſt, inde vſque ab antiquiſſimis temporibus fermentato in re ſacra delectati, nimio ſemper opere caerimoniam illam adamauerint; propenſius mihi videtur eſſe ad veri ſimilitudinem, fermentati panis vſum iam eos antiquitus a Syris et reliquis in vicinia Graecis accepiſſe. Azymi igitur potius, quam fermentati conſecrationem recens illatam eſſe equidem autumauerim, ſi quibusdam in locis Romae nutu et conſilio ſtantibus panis fermenti expers eſt in more poſitus. Quam meam ſententiam ea, quae illic ſubtexuntur, tantum abeſſe puto, vt infringant, vt contra neruoſius etiam ſtabiliant. Sed relictis illis, in Europam redimus, vbi ampliſſimum Ruſſiae imperium ingreſſi myſterii panes fermento mixtos in ſummo honore eſſe animaduertimus. *Muſcoui-*

n) Bericht der *Miſſion.* ibidem *pag. 96.*
o) ibidem *pag. 19.*

tae enim pertinacissime eius modi panem in coena sacra vsurpari iubent, vt IOANNES, *p*) Russiae metropolita, auctor antiquior, et recentiores, ADAMVS OLEARIVS, *q*) IO. ERNESTVS GERHARDVS *r*) ac IO. MABILLONIVS *s*) aperit, nequaquam azymum, vt alicubi PAVLLVS ODERBORNIVS, *t*) prodidit. Neque vero Graecorum illi transierunt ad sacrificium non fermentatum, qui Latinis conciliati subiectique in Italiam vel etiam Romam se contulerunt. Cum enim omnia citius, quam acceptum a maioribus ritum dimitterent; noluerunt Pontifices, si duriores ea in re essent, reliquos a iugo subeundo deterrere. Itaque et olim ante concilium

p) in *epist. ad Pontif. Roman.* apud HERBERSTEIN *Comment. Rer. Moscouit. p.* 32.

q) Moscowitische und Pers. Reisebeschreibung *Lib. III. cap. XXXI. pag.* 162. Das Brodt, so sie zum heil. Abendmahl gebrauchen, muß gesäuret, und von eines Priesters Wittwe gebacken seyn. Und das ist auch eine Ursache, so die Russen vorwenden, warum sie es nicht mit der Lateinischen Kirche halten können, weil diese im hochwürdigen Abendmahle ungesäuert Brodt gebrauchen. Confer, quae ex codice manuscripto ZEIDLERI exhibent *Collectores* der Alten und Neuen Theolog. Sachen. Beytrag II. *in a.* 1735. *p.* 163.

r) *Dissert. de religione ritibusque eccl. Moscouit. Ien.* 1665.

s) *Diss. de pane eucharistico azymo et ferm. cap. IIII. Ouvrages Posth. Tom. I. p.* 122.

t) in *vita Ioannis Basilidis et epistola ad Chytraeum*, obseruante atque emendante errorem hunc tralatitium GERHARDO *Diss. cit. cap. XVII.* §. 3.

Floren-

Florentiae celebratum, et ab eo tempore ritum fermentati consecrandi desiderantibus facile indulserunt: v) cuius caerimoniae ad patriae disciplinae formam compositae diligentior semper mansit custodia.

§. II.

§. II. De illis, quae Latinorum morem secutae azymo gaudent.

Sunt tamen pro numero suo multi, sed pro multitudine reliquorum pauci inter Graecos, qui azymo eucharisticum epulum ornant. Primo loco ponendi sunt *Armeni*, etiam extra Armeniam in Tartaria quaerendi, de quibus IACOBVS DE VITRIACO, x) *inter hos*, inquit, *et Graecos inexorabiles sunt discordiae et dissensiones implacabiles, et inuicem alii aliorum ritus et instituta detestantur.* Cum igitur in omnibus a Graecis mentem quam maxime auerterunt, mutuasque inimicitias iam diu susceptas continenter alunt, tum ab antiquissimo tempore panes sine admixtione fermenti coctos in magnifica Domini coena adhibuerunt, eamque rationem se a Gregorio Magno accepisse iactarunt, vt NICEPHORVS CALLISTVS y) ac vetustus sine auctore libellus z) testificatur. Qua

v) vid. infra *Part. IIII. cap. II. §. II.*

x) *Cap. LXXVIII. loc. cit. pag. 1094.*

y) *Hist. Eccl. lib. XVIII. cap. LIII.* ἄζυμον, οὐκ ἄρτον ἐν ταῖς ἱεραῖς ἁγιστείαις προσφέρουσι. Iam a saeculo septimo ritum hunc nonnulli repetunt: vide supra *Part. I. cap. II. §. IIII.*

z) in COTELERII *Monum. Eccl. Gr. Tom. III. pag. 508.*

de caussa redeuntibus ad ecclesiam Graecam non modo mores Graecorum induendos, sed etiam, dato sacramento, hanc azymi in sacrificio offerendi caerimoniam abiiciendam, atque in certa verba iurandum fuisse, manifesto liquet. *a*) At nostra memoria eo minus dubitemus, licet, de illo Armenorum instituto, quod plerosque eorum Latinis prae reliquis manus publice dedisse, omnium suffragiis sustinetur. Docet ABRAHAMVS ECHELLENSIS *b*) Maronita, vel ob hunc ritum mori Graecorum tamquam e regione contrarium Armenos olim azymitarum nomen per ludibrium esse sortitos, eosque, etiam num a reliquis orientis Christianis paene omnibus eadem de caussa culpari EVSEBIVS RENAVDOTIVS *c*) commemorat. Eamdem azymi apud Armenos consecrationem sollertes rerum illarum cognitores, RICHARDVS SIMON, *d*) IO. BONA, *e*) CHRISTIANVS LVPVS, *f*) IOANNES MABILLONIVS, *g*) IO. HEN-

a) vide infra *Part. IIII. cap. I. §. II.*

b) *epist. ad Morinum §. XI. in Fide Eccl. Orient. a* RICH. SIMONIO *edita pag. 285.*

c) *Liturg. Orient. Collect. Tom. I. pag. 190.*

d) *Histoire Critique des Orientaux cap. XII. pag. 140.* et in *not. ad Fid. Eccl. Orient. pag. 88.*

e) *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. pag. 355.*

f) *Diss. de Leonis VIIII. Actis Concil. a* LVPO *edit. Tom. IIII. Venet. 1725. pag. 333.*

g) *Ouvrages Posthumes pag. cit.*

RICVS HOTTINGERVS, *b*) ADAMVS OLEARIVS, *i*) FRIDERICVS SPANHEMIVS, *k*) et IO. ERNESTVS GERHARDVS *l*) loquuntur. *Maronitae* in radicibus Libani in Phoenicia passim degentes olim fermentato pane vescebantur; sed ex quo ad Latinos se receperunt, quod saeculo XII. accidit, ritus Latinos et in illis azymum in eius locum surrogarunt. Auctor est GVILIELMVS, Archiepiscopus Tyrensis: *m*) *cum per annos paene quingentos cuiusdam Maronis, haeresiarchae errorem fuissent secuti, ita vt ab eo dicerentur Maronitae, et ab ecclesia fidelium sequestrati seorsum sacramenta conficerent sua, diuina inspiratione ad cor redeuntes ad vnitatem ecclesiae Catholicae reuersi sunt, fidem Orthodoxam suscipientes, parati Romanae ecclesiae traditiones cum omni veneratione amplecti et obseruare.* Neque vero ipsis tantum illud facere deliberatum fuit ac constitutum; sed vere id perfecerunt. Namque vt IACOBVS DE VITRIACO *n*) narrat, *consuetudines et ritus Latinorum ob-*

b) *Hist. Eccles. Tom. V. cap. XVI. Sect. II. pag.* 45.
i) Reisebeschreibung *lib. IIII. cap. XXXXI. pag.* 519.
k) *Op. Tom. II. pag.* 521.
l) *Differt. de statu Armeniae, cap. V. §. VII. Ien.* 1665.
m) *Hist. Lib. XXII. cap. VIII. Gest. Dei per Fr. Tom. I. pag.* 1022.
n) *Hist. Hieros. lib. I. cap. LXXVII. cit. loc. pag.* 1094.

seruant. Ac ne cui sit dubium, vtrum azymi etiam vsum eo tempore in mysterium vocauerint, conceptis verbis MARINVS SANVTVS TORSELLVS *o*) adiicit: *ritus omnes Latinorum obseruant.* Neque est ambiguum eamdem hanc consuetudinem hodie quoque ab illis coli. Tenetur igitur, vt ego quidem arbitror, FRIDERICVS SPANHEMIVS, aliqua erroris culpa, qui Graecos omnes, praeter Armenos solos, pane fermentato consecrare tradit. *p*) Haberet, credo, aliquid excusationis, et caussae suae, defensorem, actoremque adoptare posset, *q*) nisi alio loco sigillatim Maronitas fermentatum in sacra coena adhibere perscripsisset. *r*) Maronitas enim praeter morem omnium in Syria Graecorum, sine fermento sacrificii panem offerre, non modo antiquiores, quos attulimus, monstrant, sed etiam recentiores miro consensu cantant. *s*) Vnus instar

o) *Secret. Fid. Cruc. lib. III. cap. II.* ibidem *Tom. II. pag. 183.*

p) *Op. Tom. II. pag. 534.*

q) Ipse quidem BONA *Rer. Lit. lib. I. cap. VIIII. pag. 111.* scriptum reliquit: *praeter omnium orientalium morem eucharistiam Armeni in azymis conficiunt;* sed *pag. 112.* Maronitas etiam azymo vti probe monet.

r) *Op. Tom. II. pag. 521.*

s) MAIMBVRGII *Histoire du Schisme des Grecs lib. III. Tom. I. pag. 301.* RICHARD SIMON *locis cit.* MABILLONII *Ouvrages Posth. Tom. I. lib. II. pag. 122.* IO. BONA *epist. ad Mabillonium* ibidem *pag. 94.*

omnium

omnium in hac cauſſa eſſe poteſt ABRAHAMVS ECHELLENSIS, t) et is Maronita rerumque patriarum apprime gnarus, qui in epiſtola ad Io. Morinum data Maronitas azymo in euchariſtia ad formam diſciplinae Latinae veſci perſpicue exponit. *Moſarabes* in finibus Africae ad occidentem olim haerentes inſtituta Romana ſecutos azymum etiam ad epulas ſanctiſſimas delegiſſe IACOBVS DE VITRIACO v) memorat: *Sanctae Romanae eccleſiae, ſicut alii Latini cum omni humilitate et deuotione obediunt, ab articulis fidei vel ſacramentis in nullo deuiantes: conſtituunt autem ſacramentum altaris de pane azymo, quemadmodum alii Latini.* Quod iisdem paene verbis, vt fere ſolet, MARINVS SANVTVS x) repetit. Quae de *Abyſſinis* et *Aegyptiis* eodem ritu gaudentibus narrantur, magnam habent dubitationem, neque eſt, quod eorum, quae ſupra y) in eam ſententiam diximus, iteratione vtamur.

t) *epiſt. ad Io. Morinum loc. cit.*

v) *loc. cit. cap. LXXX. pag. 1096.*

x) *Secret. Fidel. Cruc. loc. cit. Hiſt. Orient. Tom. II. pag. 186.*

y) vide §. proximum ſuperiorem.

CAPVT

CAPVT VIII.

ARGVMENTA GRAECORVM PRO PANE FERMENTATO CONTRA LATINOS, QVORVM RESPONSIONES INTERSERVNTVR.

§. I.

Institutio et exemplum Christi: vbi de paschatis vltimi die Graecorum sententiae exponuntur.

§. I.

Venio nunc ad arma, quibus inter se digladiati sunt Graeci ac Latini, postquam satis de factionibus disceptantibus, earum acerrimo concursu, ac pertinacia dictum est. Nec vero aliam hic capio prouinciam, quam vt ex scriptoribus tum Graecis tum Latinis vndique dispersas rationes, quibus illi quidem pro fermentato, hi contra pro azymo pugnarunt, colligam, atque in vnum cogam. Principio igitur argumenta Graecorum contra Latinos producta exquirere iuuabit. Illorum omnium palmarium esse arbitrantur, quod ab institutione atque exemplo Christi desumunt, quem alio, quam fermentato pane eucharistiam instruxisse toto, quod aiunt, capite abnuunt. Reclamat vobis, inquiunt Latini, tempus, quo coenam sacratissimam dedit, repugnat consuetudo a Deo per Mosen statuta, vt agni sollemni ritu comedendi tempore azymus solus per omnes Iudaeorum regiones regnaret, et ne mica quidem fermenti vsquam superesset. Quibus compedibus vt se exsoluant Graeci, varia, quibus nodos illos dissuant, ac sententiam

contra-

riam tueantur, conquirunt. Plerique, Christum pascha suum extremum alio tempore, atque Iudaei comedisse perhibent. Quod vt nulla ratione nulloque consilio adfirmare ne videantur, alii aliam viam ineunt, et hoc loco inter ipsos Graecos varia opinionum diuortia oriuntur, quibus tamen student eamdem omnes metam contingere. Haud pauci sunt, qui constituant, Iudaeos die XIIII. mensis Nisan, vt par erat, pascha celebraturos Christum die vno anteuertisse, et pascha vltimum pridie illius diei, qui lege constitutus erat, cum discipulis egisse, proximo autem die, Christo iam in crucem sublato, sollemne agno comedendo sacrum Iudaeos demum instituisse. In quibus eminent PETRVS, patriarcha Antiochiae, z) NICETAS PECTORATVS, a) NICEPHORVS CALLISTVS, b) MANVEL, c) magnus ecclesiae rhetor, et plures antiquiores, qui, controuersia nec dum nata, floruerunt, d) quos ab eodem curri-

z) *epist. ad Dominic.* in COTELERII *Mon. Eccl. Graec. Tom. II. pag. 122. sequ.*

a) BARONII *Annal. Tom. XI. pag. 792.*

b) in *Synaxariis ad Triod. pag. 207.* et *Hist. Eccl. lib. I. cap. XXVIII. pag. 70.*

c) *Respons. ad Franciscum in* STEPHANI LE MOYNE *Var. Sacr. Tom. I. pag. 283.*

d) quos citatos vide in *Harmonia Euangel. Chemnitio-Lysero-Gerhard. cap. CLXV. Tom. II. pag. 931.* et apud BELLARMINVM *de Sacram. Euch. lib. IIII. cap. VIIII. Op. Tom. III. p. 614.*

culo

culo minus abfuisse patet. Quod ne labascat, his fere rationibus sustinere nituntur. Praecipuum ex litteris caelesti oraculo editis firmamentum petituri adstruunt, in conciliabulo, quod Iudaei de Iesu ad vincula et supplicium rapiendo collegerant, consiliorum omnium summam atque vnam prouisionem fuisse, ne quid forte sub dies festos contra eum, a cuius ore populus penderet, quisquam vnus moliretur. *e)* Idcirco Christum ipsa paschatis die prima, multo religiosissima cruci suffixum adfirmare, difficile ipsis ad fidem videtur. Latini contra, id fuisse de communi omnium sententia latum infitiantur; et si fuerit senatus consultum, illud, oblato loco atque ostentata praeter spem opportuna Christi opprimendi occasione, facile potuisse immutari, neque a moribus Iudaeorum furore percitorum et sanguinis sitientissimorum caedem die sanctissima ex imaginaria religione perpetrare alienum putant. *f)* At enim, contra obtrudunt Graeci, IOANNES *g)* narrat, a Christo epulum extremum πρὸ τῆς ἑορτῆς ante diem festum paschatis fuisse actum,

e) Matth. XXVI. 5. conf. de hoc et similibus locis ISAACI CASAVBONI *Exerc. in Baron. XVI. cap. XX. pag. 424. sequent.*

f) BARONIVS ANNAL. *ad a. 34. N. XXVI. Tom. I. pag. 171. sequ.* BELLARMINVS *c. l.* SAM. BOCHARTVS *Hierozoic. Part. I. lib. II. cap. L. p. 569.*

g) Cap. XIII. 1. et XVIII. 28.

siue,

ſiue, vt explicant, pridie illius diei, qui paſchati edendo ſacer erat. Deinde eodem teſte demonſtrant, Chriſto ad tribunal tracto, noluiſſe Iudaeos pedem in praetorium inferre, veritos, ne congreſſione illa profanatis paſchate veſcendi facultas eriperetur. Vnde CHRYSOSTOMVS, *h*) eiusque ſectator, THEOPHYLACTVS ad hunc locum coniecturam capit, Chriſto iam ſublato, Iudaeos demum coenulam paſchalem comediſſe. Tandem, vt omittam alia his ſimilia, *i*) diem ſupplicio Chriſti inſignem a IOANNE *k*) paraſceuen, ſeu peruigilium paſchatis dilucide appellari docent. Haec documento eſſe volunt, lucem, qua filius Dei exſpirauit, fuiſſe profeſtam, et ſub veſperam denique paſcha ſuum Iſraëlitas inchoaſſe. Ioannis teſtimonia in aliam partem Latini accipiunt, atque Graeci: et capite decimo tertio, etiamſi epulum vltimum intelligatur, quod ipſum tamen eruditorum nonnulli in dubium vocant, *l*) tamen Grae-

h) *Homil. in Matth. LXXXV. ſ. LXXXIIII. edit. Commel. a. 1603. pag. 714.* itemque *in Ioannem Homil. LXXXII. ſ. LXXXI. p. 424.*

i) vid. *Diſſert. Graeci Theologi* ſubiunctam, *§. II. III. VII. ſequ.*

k) ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα *cap. XVIIII. 14. coll. Marc. XV. 42.*

l) vid. IO. LIGHTFOOTI *Hor. Hebr. et Talm. in Matth. XXVI. 6. et Io. XIII. 1. ſequ.* ANTONII BYNAEI *Chriſt. Crucif. cap. V. §. III. ſequ.* IO. LVNDII Jüdiſche Heiligth. *lib. V. cap. XI. p. 980.* conf. *Diſſert.* adnexae *§. VIIII.*

eorum ſententiam inde manare negant CORNELIVS A LAPIDE, *m*) et BELLARMINVS. *n*) Deinde capite duodeuiceſimo paſcha, quod Chriſto in crucem acto Iudaei abſumere voluiſſe dicuntur, pro ſacrificiis ac victimis paſchatis diebus offerendis, neutiquam pro agno paſchali habent: *o*) cui tamen opinioni e transverſo contraria multa optimo iure adferuntur, quae, ne in campo hoc nimis libere, inſtitutoque latius diuager, oratio transſilit, eiusque argumenti ſtudioſos, ad Galli celeberrimi AVGVSTINI CALMETI Diſſertationem de paſchate Chriſti vltimo, et Commentarium in Euangeliſtas, *p*) itemque ad Venerabilis DEYLINGII Obſeruationes Sacras, *q*) atque ex antiquioribus ad MARCVM ANTONIVM DE DOMINIS, qui ſollicite rem variis nodis ſolutam expediuit, *r*) delego.

m) *Comment. in Ioann. XIII. pag. 444.*

n) *de Sacram. Euch. loc. cit. p. 615.* conf. BARONII *Annal. loco adducto.*

o) BELLARMINVS ibidem. BARONIVS *l. c. §. XXVIIII. p. 172.* CORNELIVS A LAPIDE *Comment. in Io. XVIII. p. 518. et Matth. XXVI. p. 475. ſequ.* BOCHARTVS *Hieroz. P. I. lib. II. cap. L. p. 565.*

p) vid. *Commentaire Litteral ſur la Bible Tomo VII. Pariſ. 1726. pag. 776.* Cui Tomo praefixa eſt *Diſſertation ſur la derniere Paque de notre Seigneur Jeſus Chriſt*, quam vide *pag. 62.*

q) *Obſeruat. L. II. §. VI. Tom. I. p. 236.* conf. *Diſſert.* ſuffixam *§. VI.*

r) *de Republ. Eccleſiaſt. lib. V. cap. VI. §. 276. Tom. II. p. 208. ſequ.*

Ad extremum capite vndeuicesimo Latini parasceuen paschatis ideo vocari arbitrantur, quod sequeretur paschatis dies festus secundus, qui eodem anno in feriam VII. siue diem sabbati inciderit. Qua de caussa MARCVM, capitis XV. commate XXXXII. eum ipsum diem, quem vocat παρασκευὴν etiam προσάββατον, hoc est, peruigilium sabbati appellare. Neque enim dies festos, sed sabbata tantum parasceuas habuisse: *s*) quod tamen ex ipsis Hebraeorum doctorum scitis ac placitis falsi satis liquido conuincitur. *t*) Manentibus Graecis in sententia et diem morte Christi celebrem in profestis numerantibus eo maxime, quod Iosephus ille Arimathiensis sindonem, mulierculae aromata et vnguenta, *v*) Christo iam in crucem sublato, coëmisse dicantur, a quibus et aliis huius generis negotiis die festo paschatis quam maxime Iudaei abstinebant; respondent Latini, non fuisse eius modi pietatis officia atque opera ab vllo tempore exclusa. *x*) Graeci necdum ma-

s) BARONIVS et BELLARMINVS *loc. cit.* conf. BYNAEI *Christus crucifixus cap. III. p. 177.* IO. LVNDIVS *loco adlegato pag. 981.*

t) vid. DEYLINGIVS *c. l. §. III. et IIII. p. 234.* ISAAC. CASAVBONVS *Exercit. in Baron. XVI. cap. XVII. pag. 421.*

v) *Marc. XV. 46. Luc. XXIII. 56.*

x) BARONIVS *§. XXXIII. p. 174.* BELLARMINVS *pag. 614. Harmonia Chemnitio-Lysero-Gerbardiana cap. CLXVI. Tom. II. p. 937.*

nus tendere, ſed in doctorum eccleſiae et Graecae et Latinae auctoritate praeſidium ſibi quaerere, et ex iis CHRYSOSTOMVM, *y*) EPIPHANIVM, *z*) qui tamen de tempore aliquantum diſſentit, et IOANNEM DAMASCENVM *a*) patronos ac defenſores ſibi parare. Quibus iisdem tamen partim nihil certi probari, Latini regerunt, partim CHRYSOSTOMI, EPIPHANII, IRENAEI, TERTVLLIANI, AVGVSTINI, ANSELMI, aliorumque teſtimonia in ſententiam ſuam explicant. *b*) Aliud ad ſupra adlata Graeci addunt argumentum, quod ad rem illuſtrandam, quam demonſtrandam videtur eſſe accommodatius. Chriſtum, quem agnus paſchalis die decimo quarto Niſan mactandus antiquitus repraeſentauerit, eodem etiam die fuiſſe infelici arbore ſuſpendendum ac trucidandum: eaque ratione eodem die illum cum Iudaeis agno ſollemni veſci haud potuiſſe. Etenim, vt PETRO ALEXANDRINO, vel certe antiquo Graecorum doctori videtur, *c*) atque ex VICTORE, Antiocheno praeſule NICOLAVS TOINARDVS *d*) adfert, eodem die

y) *loc. cit.*
z) *Haer. LI.*
a) in libro περὶ τῶν ἀζύμων, qui eius nomine inſcriptus habetur *Op. Tom. I. p. 647. ſequ.*
b) BELLARMINVS *adducto loco.*
c) *Praef. in Chronicon Paſchale edit. Pariſ. 1688. pag. 5.*
d) *Harmon. Euangel. in adnot. p. 151.*

atque

atque hora et typicum et verum pascha conficeretur, erat necesse: quod fundamentum sententiae suae substernere alios etiam Graecorum deprehendo. *e*) Haec et alia eiusmodi in promtu habent, vt Christum pridie illius diei, quo pane azymo ex lege vtendum erat, coenam nouissimam dedisse, atque adeo nec in epulo eucharistico alium panem, quam eum, qui illo tempore in vsu erat, hoc est, fermentatum fregisse peruincant. Enim vero cum parata est Latinis ad haec omnia responsio, vt sub initium capitis insequentis, vbi Latinorum sententiae ob oculos ponentur, enitebit clarius, tum sane id fidem facere putant nullam, quod Graeci Christum pane fermentato coenam hanc paschalem polluxisse iactant, id quod cum lege diuina e transuerso ac manifesto pugnet. Itaque si Latinorum multi facile dant, Christum alio, atque gens Iudaica, die pascha nouissimum obiisse, vt capite proximo discemus, attamen sollemne hoc epulum alio, quam azymo pane eum fecisse diffitentur. Cui conclusioni vt occurrerent Graeci nonnulli, in opinionem descenderunt, Seruatorem azymis,

e) vid. NICETAS PECTORATVS *libro de azymis loc. cit.* CORESSIVS *lib. VIII. de Eucharist.* et SEVERVS *Differ. V. cap. II.* apud NICOLAVM COMNENVM *Praenot. Mystag. Resp. III. Sect. IIII. §. IIII. p. 162.* conf. CHRYSOSTOMVS *in Ioannem*, et EPIPHANIVS *loc. cit.* vid. *Dissertatio Graeci Theologi* ad calcem adiecta §. XXI.

vt legibus sancitur, pascha eodem illo XIII. die Nisan agitasse, sed finita coenula paschali ad panem fermento mixtum, cuius vsus die demum proximo abrogandus esset, saluis Iudaeorum scitis, rediisse, et coenam mysticam pane cibario, domestico ac fermentato instituisse. *f*) Cum vero et hic in dumeta compelli videantur, sunt etiam in Graecis, quod BELLARMINVM *g*) aliosque *h*) aut ignorare, aut dissimulare miror, qui via regia tutissimos sese ire censent, si Christum pridie mortis suae scilicet die XIIII. Nisan ad praescriptum Mosis agni paschalis epulum dedisse, Iudaeos autem distulisse et postridie eius diei, videlicet XV. Nisan confecisse adstruant: quam sententiam permultis Latinis virisque aliis longe doctissimis arridere erit alius dicendi locus. *i*) Iudaeos enim vel ex antiqua consuetudine, vel ex decreto senatus sanctioris, ne duo dies festi continui sequerentur, pascha in diem proximum augurantur transtulisse. Hoc autem anno diem azymis sacrum, siue XIIII. Nisan in feriam VI. seu diem Veneris incidisse, quod haud infirmis argumentis eruditi fulciunt:

f) NICEPHORI CALLISTI *Hist. Eccles. Lib. I. cap. XXVIII. p. 70.*

g) *de Sacr. Euch. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. pag. 608.*

h) in quibus esse videtur GRAVESON *Hist. Eccl. Tom. IIII. p. 59.*

i) *Cap. sequentis §. I.*

ciunt:

ciunt; *k*) quae si sollemnis habita fuisset, duo dies festi eo anno sese excepissent, nimirum feria VI. azymo sacra, et feria VII. quae est sabbatum. Quod ne vsu veniret, Iudaeos, ferunt, diem azymorum feria VI. inchoandum in septimam, siue ipsum sabbatum reiecisse, atque hac ratione non illos quidem die XIIII. vt lege diuina facere iussi erant, sed XV. agnum epulatos esse: at Christum, cui mandatum Dei nouis Iudaeorum commentis ac somniis fuerit longe antiquius, die XIIII. eo scilicet tempore, quo, vt non temere LVCAS addit, *l*) agnum mactare par erat, sollemne sacrum peregisse. Quam arcem a numerosa Latinorum turba occupatam Graecos quoque subire video in primis METROPHANEM CRITOPVLVM. *m*) Ex antiquis CHRYSOSTOMVM *n*) et THEO-

k) vid. FRID. SPANHEMII *Chronolog. Sacr. Part. I. cap. XV. Op. Tom. I. pag.* 80. IO. MOLTHERI *Dissert. de diuerso esu agni paschalis.* conf. IGNATII HYACINTHI AMAT. DE GRAVESON *Tractat. de Vita, Mysteriis, et Annis Iesu Christi. Venet.* 1733. *Tom. II. Dissert. XVIIII. p.* 39. *sequ.*

l) *Cap. XXII.* 7. ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα.

m) *Confess. Catholic. in oriente eccl. cap. VIIII. p.* 93.

n) *in Matth. Homil. LXXXV. vel LXXXIIII. p.* 714. ἐν ἑτέρᾳ ἡμέρᾳ ἔφαγον καὶ τὸν νόμον ἔλυσαν διὰ τὴν ἐπιθυμίαν τὴν περὶ τὴν σφαγὴν ταύτην. Οὐδὲ γὰρ ἂν ὁ Χριστὸς παρέβη τὸν καιρὸν τοῦ πάσχα, ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι οἱ πάντα τολμῶντες καὶ μυρίους καταπατοῦντες νόμους. Ἐπειδὴ σφόδρα ἔζεον τῷ θυμῷ καὶ πολλάκις ἐπιχειρήσαντες ἀνελεῖν, οὐκ

PHYLACTVM *o*) ab eadem propius abfuiſſe animaduerto, qui Iudaeos paſcha Chriſti trucidandi cauſſa procraſtinaſſe, et ſerius, quam aequum erat, auſpicatos eſſe coniiciunt. Neque vero excludendi ſunt ab hoc loco ſcriptores Graeci veteres, quibus viam ſingularem ingredi placuit, quam non pauci, iique non in vulgi faece, nec in triuio quaerendi homines ex Latinis, atque aliis occidentalibus, vt patebit, *p*) amplexantur: Chriſtum pridie illius diei, quo ſupplicium vltimum ſubibat, Moſaicum paſcha, cuius dies diuinitus dictus nondum apparuerat, omnino celebraſſe nullum, ſed tantummodo nouum illud ac ſalutare Chriſtianorum conuiuium in eius locum ſuffeciſſe. Id ipſum PETRO ALEXANDRINO, doctori celebratiſſimo inſediſſe ex praefatione *Chronici Paſchalis q*) planum fit. Vbi ſe-

ἴσχυσαν, τότε δὲ λαβόντες αὐτὸν ἀπροσδοκήτως, εἵλοντο καὶ τὸ πάσχα ἀφεῖναι. A quibus haud aliena ſunt, quae *Homil. LXXXII. in Ioann. pag. 424.* prodit.

o) *loc. cit.*

p) *Cap. ſequ. §. I.*

q) edit. a CAROLO DV FRESNE et DV CANGE *pag. 5.* Ἐν αὐτῇ οὖν τῇ ἡμέρᾳ, ἐν ῇ ἔμελλον οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς ἑσπέραν ἐσθίειν τὸ πάσχα, ἐσταυρώθη ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ σωτὴρ Ἰησοῦς Χριστὸς, θῦμα γενόμενος τοῖς μέλλουσι μεταλήψεσθαι τῆς πίστεως τοῦ κατ' αὐτὸν μυστηρίου. - καὶ οὐχ, ὥς τινες ἀμαθείᾳ φερόμενοι διαβεβαιοῦνται, ὡς φαγὼν τὸ πάσχα παρεδόθη, ὅπερ οὔ τε παρὰ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων μεμαθήκαμεν, οὔτε τις τῶν μακαρίων ἡμῖν ἀποστόλων παραδέδωκεν. Ἐν ᾧ οὖν καιρῷ ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν κατὰ σάρκα ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς, Ἰησοῦς Χριστὸς, τὸ κατὰ νόμον οὐκ ἔφα-

mel

mel iterumque dilucide exponit, Christum paschatis vmbratici die occidendum omnem agni esum praetermisisse, eamdemque esse aliorum quoque doctorum opinionem significat. Non sane diffitemur, esse praefationem, quam diximus, manibus scriptorum Petro illo minorum quadam ex parte interpolatam, corruptamque *r*) at vero hunc etiam locum in spuriorum numero collocare, vel eo nomine dubitamus, quoniam cum fragmento illo Casauboniano, quod illius eiusdem Petri nomine inscribitur, ad verbum concordat. *s*) Neque diuersam secuti sunt regionem scriptores antiqui, quorum mentem Excerpta Photiana declarant, *t*) neque aliam rationem GEOR-

γε πάσχα, ἀλλ' ὡς ἔφην, αὐτὸς ὡς ἀληθὴς ἀμνὸς ἐτύθη ὑπὲρ ἡμῶν ἐν τῇ τῦ σκιώδυς πάσχα ἑορτῇ, ἐν ἡμέρᾳ παρασκευῆς, τῇ ιδ τῦ πρώτυ μηνὸς τῆς σελήνης. et paullo ante: ἐπεὶ δὲ ἐκήρυξεν (in coena nouissima) ὐκ ἔφαγε τὸν ἀμνὸν, ἀλλ' αὐτὸς ἔπαθεν ὡς ἀληθινὸς ἀμνὸς ἐν τῇ τῦ πάσχα ἑορτῇ. ibidem.

r) vid. *Dissertatio Graeci a Theol. Lat. dispuncta*, in fine §. *XXI.* vbi alios etiam orientis doctores ab hac opinione stare obseruabimus.

s) ISAACI CASAVBONI *Exercit. ad Annal. Bar. XVI. cap. XII. pag. 410.*

t) CASAVBONVS *loc. cit.* Vbi ex *Cod. CXVI.* adducit: κατὰ μὲν τὺς ἄλλυς τῆς πχρυσίας αὐτῦ ἐνιαυτὺς ὁ Κύριος καὶ Χριςὸς ἡμῶν, ὁ Χριςὸς τὸ νομικὸν ἐπετέλει πάσχα· καθ' ὃν δὲ παρεδόθη, ὐκέτι. conf. IO. ALB. FABRICII *Bibl. Gr. Lib. V. cap. XXXVII. §. IIII. pag. 362.*

GIVS CEDRENVS, *v*) vel IOANNES, *x*) Russiae metropolita init. Quae dum moliuntur Graeci, veluti illi qui per diuerticula varia ad eumdem locum properant, id vnice agunt, vt quocumque etiam pane pascha Christus manducauerit, tamen eucharistiam fermentato fuisse adornatam obtineant. Ne proinde, quam sibi praefixerunt, metam cursu non contingerent, aditum sibi nonnulli aliis etiam ratiunculis muniuerunt. Fuerunt, qui simulacris animum pascerent, Deumque, vt est summae nullisque regionibus definiendae potestatis, panem fermento destitutum, sine vllo negotio, nisi aliunde eius copia facta fuisset in fermentatum potuisse transmutare, adsererent. In quo grege MICHAELEM CERVLARIVM et LEONEM, patriarchas Graecorum famosissimos esse ob-

v) *Compend. Hist. p. 144.* Οὐ κατὰ τὴν ιδ' ἐπετέλεσε τὸ πάσχα, ἀλλὰ πρὸ τούτου τὸ μυστικὸν ἐτέλεσε δεῖπνον· ὅτε καὶ ὁ ἁγιασμὸς τῶν ἀζύμων καὶ ἡ προετοιμασία ἑορτῆς ἐγένετο εὑρίσκεται τοῖς μαθηταῖς οὐ θύματος οὐδ' ἀζύμων μεταδιδοὺς, ἀλλ' ἄρτου καὶ ποτηρίου.

x) in *epistola ad Archiepiscopum Romanum*, quam SIGISMVNDVS L. B. AB HERBERSTEIN *Commentar. Rerum Moscouit.* in conspectum profert. Is *considera*, ait, *quid dico: non dixit Dominus accipiens azyma, sed panem. Quod illo tempore nec azymi erant, nec pascha fiebat, nec Dominus tunc comedebat pascha Iudaeorum, vt daret azyma apostolis, probabile est per hoc, quod Iudaeorum pascha stando fit et comeditur: quod in Christi coena non fiebat, vt scriptura dicit: recumbentibus* et *sequ. pag. 32.*

seruo.

ſeruo. *y*) At vero illud Latinarum partium adſenſores, HVMBERTVS, *z*) ALBERTVS, *a*) IO. PLVSIADENVS, *b*) GEORGIVS SCHOLARIVS *c*) et eius generis plures *d*) neque neceſſe fuiſſe, neque conſtanti ac perpetuae Seruatoris voluntati legem perficiendi reſpondere, neque etiam, ſi quid accidiſſet, eius rei miraculum euangeliſtas ſilentio praeteriiſſe ducunt. Contra MAXIMVS MARGVNIVS vſque adeo eſt impudens, vt finita coena paſchali ad inſtituendum myſterium ſanctiſſimum in panario floribus cooperto panes fermentatos, ne a Iuda proditore cernerentur, furtim adlatos eſſe fingat, *e*) egregie ideo a NICOLAO COMNENO *f*) depexus. Alii Graecorum, pane fermentato euchariſtiam a Chriſto confectam, tam certum eſſe putant, quam quod

y) *epiſt. ad Io. Tranenſem, quam* CANISIVS aliique *loc. ſupra cit.* deſcripſerunt.

z) *Dialog. ad calcem Tom. XI. Annal. Baron. p. 768. ſequ.*

a) *de Sacrament. lib. II. cap. X. in Bibl. Patr. edit. Pariſ. 1589. Tom. VI. pag. 527.*

b) Διαλέξει περὶ τῆς συνόδου ἐν Φλωρεντίᾳ in L. ALLATII *Graecia Orthodoxa Tom. I. pag. 638.*

c) *Expoſit. pro Syn. Florent. cap. II. Sect. VIII. in Bibl. Patr. Max. Tom. XXVI. p. 578.*

d) *Tractat. contra errores Graec. Diſtinct. III. in Bibl. Patr. Magna edit. Colon. 1622. Tom. XV. pag. 1054.*

e) *ad Synod. Trull. not. 95.*

f) *Praenot. Myſtag. Reſp. III. Sect. IIII. §. X. pag. 166. ſequ.*

certiſſimum, eiusque rei monumentum per longum ſaeculorum tractum exſtitiſſe tradunt. Refert GEORGIVS CORCYRENSIS, g) deuicta a Francis Conſtantinopoli, hoſtes impetu facto in aedem ſacram, vt nihil eſt a milite concitato tutum, irruiſſe et effractis ſacrarii intimi foribus in res quasdam religioſas et ipſa vetuſtate ſanctas incidiſſe. h) In his, non ſine immortalis Dei numine, in vaſe aureo gemmisque diſtincto fruſtulum panis, quod manibus ſuis Chriſtus in epulo myſtico tractauerit, et diſcipulis comedendum dederit, fuiſſe adſeruatum: i) id ipſum inſculptas litterarum Graecarum notas dilucide ſignificaſſe. k) Cum vero idem illud panis genus fermento admixto ſubactum eſſet, Epiſcopum Albetanenſem et alios apertiſſimum hoc antiquitatis monumentum occultare voluiſſe, ſed inuito Deo, quippe qui hoc veritatis documentum in tenebris latere diutius abditumque

g) *Tract. de Communione* apud L. ALLATIVM *de Libr. Eccl. Gr. Diſſert. II. p. 220.*

h) ἤγουν τὰ τίμια ξύλα, τὸν ἀκάνθινον στέφανον, τὰ τοῦ Σωτῆρος σανδάλια, τὸν ἧλον, καὶ σπάργανα - ἄλλα δὲ πλεῖστα illic recondita fuiſſe narrat GEORGIVS CORCYRENSIS inibi *p. 221.*

i) ὢ τῆς εὐσπλαγχνίας σου, δέσποτα! κἀκεῖνον τὸν ἄρτον, ὃν ταῖς ἀχράντοις χερσὶν ὁ Χριστός μου τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ δείπνῳ διένειμε, cet. ibidem.

k) Hae vero ſunt: Ἐνθάδε κεῖται ὁ θεῖος ἄρτος ὃν ὁ Χριστὸς τοῖς μαθηταῖς ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου διένειμεν, εἰπών· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. *loc. cit.*

esse

esse noluerit. Ita in illustri propositum fuisse, non alio, nisi fermentato pane, Christum coenam apparatissimam instruxisse, ita obscuritatem omnemque dubitationem euanuisse. *l*) Neque vero sunt ita creduli Latini in fabulis peregrinis, vt sunt in propriis ac veluti patriis vetustatis monumentis de veritate parum solliciti. Aliena homines saepe pro fucatis habent et fastidiunt, domestica non opinione dubia sed perpetua existimationis fide ac religione amplectuntur. Itaque istud Graecorum commentum ad ostentationem scenae miraculo gaudentis, quam ad fidem aptius, dici non potest, quantum Latinis risum moueat. LEO ALLATIVS sane, vt in sanctis reliquiarum Latinarum thesauris spectandis talpa est caecior, ita in examinanda hac fabella oculis lynceis et ratione, tamquam Lydio lapide vtitur. *Quis post tot*, inquit, *m*) *annorum centurias panem illum vt verisimile est, exsiccatum, colore immutatum, et, nisi litterae indicassent panem, materiam illam esse cognouisset? Quis fermentatum ab azymo secreuisset? Quis probauerit, Christum vltra panem discipulis tunc dispensandum*

l) ibidem *pag.* 220. περὶ δὲ τούτου (ἄρτου ἐνζύμου) οὐδεμία ἁπάρτι ἀμφιβολία ἐστί. pag. 221. ἐξ οὗ καὶ τὸ ἀμφίβολον διελύθη.

m) *de Libr. Eccles. Graec. Diss. II. pag.* 223. conf. THOMAE SMITHI *epist. de Graec. eccl. statu hod. edit. Lond.* 1678. *pag.* 121.

alium

alium etiam, qui superesset, consecrasse, vt scilicet eo post tot annos Latinos aliter sentientes conuinceret? Sed ne plura de hoc aegrotis dato aegroti consilio edisseram, atque argumentum scena et pulpito dignum multis persequar, elucet opinor ex iis, quae dixi, Graecos nihil minus ferre, quam sententiam, quae eucharistiam azymo pane a Christo instructam esse iudicat, cum in contrariam partem omne saxum voluant, id moliantur, id pugnis et calcibus contendant, vt fermentatum a Christo consecratum esse edoceant. Neque dimicatione in re omnium certissima opus esse arbitrantur, cum verbis perspicuis viri numine diuino adflati, Christum panem sumsisse testentur, nequaquam azymum, quem panem esse ac vocari praecise infitiantur, vt statim ex publicis eorum liturgiis ac scriptis perspiciemus. *n*) Quibus de caussis Graeci obstinata animi peruicacia nimium freti panem conuiuio Christianorum diuino destinatum ad exemplum Christi, eiusque institutum praefermentari iubent. Quod illustre documentum non illi ex eo tantum tempore repetunt, cum eucharistiam primum daret, sed etiam inde, cum Emmaunte panem mysticum frangeret, *o*) quem fermentatum fuisse, inde METROPHANES CRI-

n) §. *III.* proximo.
o) *Luc. XXIIII.* 30.

TOPVLVS

TOPVLVS *p*) probat, quod vicus ille fuerit a doctrina pariter, et caerimoniis Iudaeorum alienus. Cum vero eumdem illum locum eruditissimus quisque in Iudaicis numeret, vel inde HVMBERTVS *q*) contrarium suffulcit: Fac enim locum hunc fuisse Iudaeorum legibus ritibusque addictum, quod vero est quam proximum: fac eucharistiam illic Christum celebrasse, id quod est admodum in ambiguo; posset inde effici Christum panem fermenti expertem illic consecrasse, propterea, quod dies festos paschatos eo tempore coepisse, vsumque panis fermentati, ab omnibus Iudaeorum regionibus, eaque ratione etiam Emmaunte exsulasse extra controversiae aleam est ponendum.

§. II.

§. II. Consuetudo ab vltimis temporibus deducta panem fermentatum consecrandi.

Institutionem magistri optimi sanctissimos discipulos secutos, omniumque adeo Christianorum eamdem fuisse viam, plerique Graecorum pro comperto habent, quod NICETAE PECTORATI, *r*) IOANNIS DAMASCENI, *s*) siue quicumque est scripti de azymis auctor, *t*) et MA-

p) *Confess. Eccl. Orient. cap. VIIII. pag. 92.*
q) *Dialog.* apud BARONIVM *Annal. Tom. XI. p. 776.*
r) *Lib. de azymis* in BARON. *l. cit. pag. 792.*
s) *Libro περὶ τῶν ἀζύμων. Op. Tom. I. p. 648.*
t) *vid.* MICH. LEQVIEN *in not. ad* IO. DAMASC. *loc. cit. pag. 647.* EVSEBII RENAVDOTII *Collect. Liturg. orient. Tom. II. pag. 65.*

CARII

CARII ANCYRANI *v*) ſuffragiis comprobatur. In terris certe orientalibus iam inde ab initiis doctrinae Chriſtianae illic feliciter ſparſae conſecrationem panis fermentati ac vulgaris in ſacra coena obtinuiſſe, non domeſticis tantum teſtibus adſtruunt, ſed etiam auctoritate omnium paene Latinorum, eorum adeo, qui azymi vſum in eccleſia Latina ordine perpetuo iam vſque a Chriſto deducunt, ſuſtinere poſſunt. Neque enim eſt, qui vel Graecos ceteroſque orientis incolas panem a fermento purum in epulo Domini antiquitus vſurpaſſe, vel originem fermentati in illis regionibus conſecrandi argumento ſatis firmo doceat. Hanc igitur caerimoniam ab omni vetuſtate acceptam, hanc ab ipſa, vt ita dicam, rei Chriſtianae pueritia repetendam, hanc ex Aſia in Europam commigraſſe Graeci apertius adſeuerant. Qua de cauſſa morem huic contrarium in nouis reponunt: cuius obiurgationis ſexcenta, licet, adferam teſtimonia, niſi aliqua ex parte et permulti Latinorum et alii, vt ſuo loco docebimus, *x*) eamdem fere ſententiam ſuam ipſi facerent. Iidem illi, qui acrius pro azymi antiquitate in re Latinorum ſa-

v) *Cap. CXX.* ὕτω μαθητευθέντες ὑπὸ δὲ τῶν ἁγίων ἀποςόλων, καὶ τῶν μετ' ἐκείνους ἁγίων πατέρων καὶ διδασκάλων. L. ALLATIVS *de Conſ. lib. III. cap. XIIII. §. I. pag. 1165.*

x) *Part. III. cap. II. §. I. ſequ.* et *cap. VI. §. II.*

cra

cra decertant, non has quidem Graecorum munitiones ita infringunt, vt Christianos orientales vetustissimis temporibus fermentato consecrasse ambigant; at occurrunt illis alio, quod eos exstruere paullo post obseruabimus, *y*) firmamento, quando azymum in ecclesia Latina pane Graecorum fermentato annis vel maiorem, vel certe haud minorem esse significantius loquuntur.

§. III.

§. III. Azymum non esse panem, vel certe panis nomine indignum, et contemnendum.

At surdi in his Latinorum responsionibus Graeci, per Deum, inquiunt, quid fuisset caussae, cur ad panem sine fermento coctum vel apostoli vel Christiani eorum aetati suppares deuolarent? Qui enim est panis ab omni fermenti admixtione liber? panisne? et, si panis, an is quidem aptus, omnibusque suis numeris et partibus perfectus? Animaduertas hic confertissimas orientis turmas non iam mussitare, sed palam contra venire, sed vtrumque ire infitias. Azymum esse panem penitus negat PETRVS, *z*) Antiochiae patriarcha, NICETAS PECTORATVS, *a*) IOANNES DAMASCENVS, *b*) MELETIVS quidam, *c*) IEREMIAS, *d*) patriarcha

y) *Part. III. cap. III. §. I. sequentibus.*

z) *Epist. ad Dominic.* in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 118.*

a) *de azymo Latinorum c. l. pag. 792.*

b) *Op. Tom. I. p. 648.*

c) apud IO. DAMASCENVM ibidem.

d) *Resp. I. cap. X. in Actis et Scriptis Wirtemberg.*

Con-

Constantinopolitanus, METROPHANES CRITOPVLVS, *e*), et magnus comitum satellitumque exercitus. Propterea verba illa aureis scribenda litteris putant: ἔλαβεν ἌΡΤΟΝ *sumsit in vltima coena* PANEM, hoc est, fermentatum, neutiquam azymum, quod disertis verbis NICEPHORVS CALLISTVS *f*) et CEDRENVS *g*) inculcant. Eadem de caussa de Christo consecrante liturgia MATTHAEI PASTORIS *h*) adfirmat: *cum testamentum nouum, quo vetus aboleretur, tradere vellet, panem fermentatum in quo mysterium vitae tegebatur, accepit.* Et in liturgia S. MARVTAE CATHOLICI *i*) *Christus panem fermentatum accepisse in manus puras* verbis itidem clarissimis dicitur. In liturgia S. IGNATII *k*) panem *perfectum* Seruator consecrasse perhibetur. Est enim *panis perfectus* Graecis idem, atque *fermentatus*, et in eo *versatur*, vt recte proloquitur EVSEBIVS RENAVDOTIVS, *l*) *eorum argumentum palmare, panem non esse, si fermen-*

pag. 86. et *Respons. II. cap. IIII. pag.* 241. προσφέρομεν οὐκ ἐν ἀζύμοις· ἀλλ' ἐνζύμοις, ὅ ἐστιν ἄρτος τῇ ἀληθείᾳ. Οὕτω γὰρ ἐξηγοῦσιν οἱ ἀνατολικοὶ ἅγιοι. κ. τ. λ.

e) *Confess. Eccl. Orient. cap. VIIII. p.* 90. *et* 95.

f) *in Synaxariis ad Triod. pag.* 200.

g) *Hist. pag.* 144.

h) RENAVDOTII *Liturg. Orient. Coll. Tom. II. p.* 348.

i) RENAVDOTIVS ibidem *pag.* 263.

k) apud eumdem *Tom. II. p.* 353.

l) *loco adlegato.*

tum

tum deficit. Idcirco ad CHRYSOSTOMI etiam liturgiam prouocant, *m*) et ex illa quoque azymi vſum refellunt, vbi tamen nusquam fermentatum appellari audias, ſed *ſanctum panem. n*) Quoties autem cumque vox ἄρἰυ ſeu panis vel in ſcriptis diuinis vel in antiquis patrum eccleſiae monumentis de coena myſtica occurrit, toties fermentatum et cibarium eſſe autumant intelligendum. Ex hac ſtirpe oritur, quod ad verba Euangeliſtae, quae Chriſtum panem ſumſiſſe teſtantur, NICEPHORVS CALLISTVS XANTHOPVLVS exclamat: *o*) *Arrige aures: neque enim azymum vocat corpus ſuum, ſed panem. Erubeſcant igitur, quicumque ſacrificium azymo pane offerunt.* Nec diſſimili aeſtu abreptus IOANNES metropolita in azymi contemtum praeceps fertur. *p*) Eiusdem ſententiae fuiſſe priſcos doctores ſibi perſuadent, et Chryſoſtomum in primis azymum non pro pane, ſed magno

m) Vt alios CHRYSOSTOMI auctoritate fretos mittam, IEREMIAM, antiſtitem Conſtantinopolitanum arceſſo, qui hunc ad modum loquitur: ὅυἶω ἐξηγῦσιν οἱ ἀνατολικοὶ ἅγιοι καὶ ἀποδεικνύυσιν, ὅτε Χρυσόςομος, καὶ οἱ λοιποὶ, ὅτι ὐκ ἄζυμον δεῖ προσφέρειν, ἀλλ' ἔνζυμον. *Acta Wirt. loc. cit. p. 241.*

n) IACOBI GOAR *Euchology. pag. 58.*

o) εἶτα βραχύ τι διαλιπὼν λαβὼν τὸν ἄρτον λέγει· λάβετε — Ὅρα δὲ, ὅτι ἄρτον λέγει τὸ σῶμα αὐτῦ, ὐ μὴν ἄζυμον. Αἰσχυνέσθωσαν ὖν οἱ τῇ θυσίᾳ ἄζυμον προσφέροντες. *Synax. loc. cit.*

p) in HERBERSTEINI *Comment. rerum Moſcou. pag. 32.*

despicatui habuisse arbitrantur, cum superioribus, tum verbis quibusdam, quae longe aliter NICOLAVS COMNENVS *q*) explicat, temere inducti. At vero superbiant, licet, Graeci suo hoc argumento, adeo vt MANVEL *r*) magnae ecclesiae rhetor adseuerantius concludat, mille ratiuncularum Latinarum captiones nugasque illud haud concutere; tamen in procliui est Latinis, ex variis scripturae sanctissimae locis haud latenter demonstrare, azymum etiam vocari alicubi panem, *s*) et fermentum neutiquam panis naturam sed speciem externam quodam modo immutare. Reliqua, quibus Graeci panis non fermentati genus extrudunt, conuiciis, quam argumentis sunt similiora. Plerique enim illud pro massa mortua habent, cui nihil commune sit cum carne Dei viua: *t*) illud et anima et sale destitui, nihilque a lapide vel luto arido distare, *v*) eosque, qui azymum consecrant, sacrificio mor-

q) *Praenot. Mystag. Resp. III. Sect. IIII. §. XVI. p. 171.*

r) STEPH. LE MOYNE *Var. Sacr. Tom. I. p. 283. et 284.* ἄρτος ἐν ἀληθείᾳ ἦν, ἤγουν ἔνζυμον φύραμα, κἂν μυρίας λόγων ματαίας συμφέρετε λευχινοίας καὶ φλυαρίας.

s) vid. adnot. nostras *ad Dissert. suffix. §. X.*

t) PETRVS *ad Dominicum* apud COTELERIVM *loc. cit. p. 120.* τί κοινὸν ἐμψύχῳ καὶ ζώσῃ σαρκὶ Θεοῦ καὶ ἀψύχοις ἀζύμοις καὶ νεκροῖς;

v) MICHAELIS CERVLARII *et* LEONIS ACRID. *epist. ad Ioannem Tranensem* in CANISII *Lect. Antiqu. Tom. III. p. 281. sequ.* et *Dialog.* HVMBERTI apud BARONIVM *Ann. Tom. XI. pag. 766.*

tuo

tuo et abiecto delectari, *x*) et carnem mortuam offerre, *y*) crebris acerbisque dicteriis iactant. Azyma esse dicunt signa adflictionis, et panes miseriae *z*) vocari, neque commemorationem mortis Christi inde desumi posse, cum veteris neutiquam noui foederis recordationi seruiant, *a*) quod ab instituto ac praecepto Seruatoris sit quam alienissimum. *b*) Istas autem maculas dignitati panis sine fermento cocti adspersas, et indignissimis modis inustum dedecus Latini plena manu in eiusdem vsum congestis laudibus facile delent, vt paullo post ex ipsis azymi praeconibus intelligemus. *c*)

§. IIII.

§. IIII. Fermentati panis magnam esse praestantiam, et aptam tanto mysterio significationem.

Quae contra, exclamant Graeci, panis fermentati est praestantia, quae dignitas? Quot ex natura et significatione eius feliciter et apposite hauriri posse argumenta sibi persuadent? Cuius modi ab ipsa vocis Graecae, origine petunt. Panem, aiunt, vocari ἄρτον, vel propterea, quod sit ἄρτιος seu perfectus, cui nec fermentum, nec aliud ad naturam et prae-

x) Αἰτιάματα τῆς λατινικῆς ἐκκλησίας in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. III. pag. 507.*

y) *operum* IO. DAMASCENI *Tom. I. p. 648.*

z) NICETAE PECTORATI *liber de azymis Lat.* apud BARONIVM *loc. add. p. 790.*

a) HVMBERTI *Dial.* ibidem *pag. 776.*

b) ibidem.

c) *Cap. VIIII. proximi §. III.*

ſtantiam neceſſarium deſit: *d*) vel etiam, quod ἄιρει et ἄιρεται, hoc eſt, leuat et leuatur, videlicet, quod hominem nutriat, ſubleuet, et foueat, panis a ſale et fermento ante eleuatus. *e*) Ita ali, inquiunt, mentem atque ſurſum tolli accepto pane conſecrato: ita paſcha noſtrum eſſe gaudium, atque epulas Chriſtianas non triſtibus Iudaeorum azymis, ſed vero laetitiae pane apparatas animos humi deiectos erigere, fractos reficere, concuſſos refocillare, confirmatos corroborare, nutrire, conſeruare, itidem, vt panis praefermentatus corpus firmat, nutrit ac ſuſtentat, vel quemadmodum fermentum maſſam, cui admiſcetur, peruadit, extendit, tollit. *f*) Hanc ipſam fermenti et farinae commixtionem egregie deſignare Chriſtum, Deum pariter atque hominem, cum verbum carne ſe induerit, veluti fermentum farinae immiſſum. *g*) Fermentum eſſe panis vitam et viuam atque ab omni mortis impugnatione immunem Chriſti car-

d) τὸ ἄζυμον ὐκ ἄρτος, ὐ γὰρ ἄρτιος. PETRVS ANTIOCH. *epiſt. ad Dominic. l. c. pag. 120.*

e) CERVLARIVS et LEO ACRIDANVS *epiſt. adlegata.*

f) HVMBERTVS *loc. cit. pag. 771.* NICETAS PECTORATVS *Lib. de azymis* ibidem *pag. 790.*

g) vid. *Acta Synodi Florent.* HORATII IVSTINIANI *P. II. Coll. XXII. N. V. p. 294.* DOMINICI *epiſt. ad Petrum Antioch.* in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 110.*

nem

nem denotare, *b*) eosque, qui pane fermentato in conuiuio caelesti vescuntur, viuo sacrificio gaudere. *i*) Fermento massam omnem farinaceam immutari, ita, Christo in epulis lautissimis nobiscum arctissima societate iuncto, nos plane conuerti, nouoque ingenio indui, vt, quemadmodum panis mysticus sale et fermento est conditus, ita et nos ad praeceptum magistri summi *k*) sal terrae simus, et fermentum regni caelorum, de cuius vi Christus loquitur, *l*) nostras quoque mentes permeet, emolliat, et diuino spiritu imbuat. *m*) In panibus fermento imbutis tria esse, farinam, fermentum et aquam, veluti in Christo, vero illo vitae pane tria sunt, divinitas, anima humana, et corpus, vel etiam tria illa, quae testimonium ferunt in terris, *n*) spiritus, aqua et sanguis. *o*)

b) METROPHANIS CRITOPVLI *Conf. eccl. orient. cap. VIIII. pag. 94. sequ.*

i) PETRVS ANTIOCHENVS in COTELERII *Mon. Tom. II. p. 119. Op.* IO. DAMASCENI *Tom. I. p. 648.*

k) *Matth. V. 13.*

l) Idem *XIII. 33.*

m) CERVLARIVS et LEO ACRIDANVS *loc. cit.*

n) *1. Io. V. 8.*

o) PETRVS, *Patriarcha Antioch.* apud COTELERIVM *loc. cit. p. 120.* NICETAS *de azymis* in BARONII *Annal. pag. cit.* IO. DAMASCENVS *Op. Tom. I. cit. loco.* vid. *Anonymus de erroribus Graecorum Distinct. III.* in *Bibl. Patrum Magna edit. Col. 1622. Tom. XV. pag. 1054.*

His vndique ex ſcriptoribus Graecis petitis cauſſae panis fermentati munimentis quibus cumque, adiiciam aliud leuiſſimum quidem, at a Latinis antiquioribus aliquoties fractum, fermento admixto tumefactum panem eſſe Mariae, virginis e Spiritu ſancto grauidae, et vteri eius divinitus intumeſcentis ſimulacrum. Ingenue profiteor, me in ſcriptoribus Graecis veſtigium eius rei inuenire haud potuiſſe, ſiue, quod legentis oculos effugit, ſiue, quod nusquam ea ratione contra Latinos vſi ſunt, ſiue quod ſcriptis illam publicis haud commendarunt. Eam tamen adferre ac refellere video RVPERTVM TVITIENSEM, *p*) STEPHANVM EDVENSEM, *q*) et GVILIELMVM DVRANDVM. *r*) Verum enim vero RVPERTI verba: *s*) *Ferunt quidam, hanc a Graecis fermentati ſe rationem audiuiſſe, eo quod Maria praegnans de Spiritu Sancto facta fuerit, atque ideo per fermentatum ſignari recte dominicam incarnationem, et manifeſtum virginei ventris tumorem*, ſuſpicionem mouere poſſunt, vix eſſe hoc argumentum Graecorum, ſed a Latinis quibusdam excogitatum, vt haberent, quod facili negotio profligarent, vel, quod

p) *de diuin. offic. Lib. II. cap. XXII. Op. Tom. II. p. 766.*

q) *de Sacram. Altaris cap. XVII. Biblioth. Patr. edit. Pariſ. 1580. Tom. VI. p. 584.*

r) *Rat. diu. offic. lib. IIII. cap. XXXXI. §. 10.*

s) *loc. cit.*

ſaepe

ſaepe numero accidit, vt adeo futili adverſariis adficta ratione omnem eorum cauſſam redderent ſuſpectam, riſuique exponerent. Quod autem ad ſuperiora illa attinet, quae ad fermentati panis laudem Graeci contexunt, ea omnia, et, quae ſunt eiusdem farinae, alia a Latinis facile conſcinduntur, quorum cauſſam vel ſolus HVMBERTVS *t*) hac in re fortiter defendit. Cum enim Graeci, quae volunt, dicunt, ea, quae nolunt, a Latinis repungentibus audiunt. Quos fermentum variis verborum contumeliis ignominiisque notatum a menſa ſacra propulſare atque amoliri commemorandi facultas dabitur. *v*)

§. V.

§. V. Azymi vſum ab haereticis ortum eodem deducere.

Ad haec orientales eo quoque nomine azymum reiiciunt, quod eius vſus non modo per haereticos homines et verae doctrinae corruptores in ſacra illatus ſit, quod METROPHANES CRITOPVLVS *x*)

t) in *Dialogo Conſtantinopolitani et Romani ſ. Diſputatione de azymo et fermentato. Annal. Baron. Tom. XI. pag. 771. ſequ.* item in *Reſponſ. ad Nicetam* ibidem *pag. 797. ſequ.*

v) *Cap. ſequ. §. III.*

x) *Confeſſ. Eccl. Orient. cap. VIIII. p. 94.* πᾶν ὅπερ ὑπὸ αἱρετικῶν εὑρέθη ἐπὶ κακῇ ἐννοίᾳ καὶ βλάβῃ τῆς ἐκκλησίας ἀπόβλητόν ἐστιν· ἀλλὰ τὸ ἄζυμον εὑρέθη πρῶτον ὑπὸ τοῦ αἱρεσιάρχου Ἀπολλιναρίου ἐπὶ κακῇ ἐννοίᾳ καὶ βλάβῃ τῆς ἐκκλησίας· ἄρα ἀπόβλητον τὸ ἄζυμον. Notetur hic error FR. SPANHEMII, qui ea verba in eam ſententiam explicat: *Quicquid ab haereticis* (*Latinis*)

maximopere tangit, ſed etiam ab orbita religionis purioris ad deuia deducat. Ad Iudaeos quam proxime accedere, Iudaeorum non Chriſti epulis accumbere, in vmbra legis praeter omnem rationem ambulare, et eodem loco, qui azymo conſecrant, habendos eſſe, atque illi, qui circumcidi ſe patiantur, quae etiam ſit antiqui foederis caerimonia, palam conſtituunt MICHAEL CERVLARIVS, *y*) NICETAS PECTORATVS, *z*) PETRVS ANTIOCHENVS, *a*) LEO Bulgariae Archiepiſcopus, *b*) et NICETAS SEIDVS. *c*)

inuentum (vel ſtatutum) eſt, a nobis reprobatur. Diſſert. de perpetuo diſſ. Gr. a Latinis Op. Tom. II. p. 555. Quod viro tanto in contemtum Latinorum excidiſſe miror, cum CRITOPVLVS nec inuenta eſſe a Latinis azyma adſtruat, nec haereticos eos appellet; ſed Apollinarium quemdam eius caerimoniae parentem manifeſto conſtituat, quod minor argumentationis propoſitio ſole clarius prodit, vt in Latinos ſpiculum hoc torquere, ſit ſummam iniuriam inferre. De reliquo vide *P. I. cap. II. §. II. p. 22.*

y) *epiſt. ad Petrum Antioch.* apud L. ALLATIVM *de Conſ. lib. III. cap. XII. §. IIII. pag. 1110.*

z) *de azymis et ſabbatorum ieiuniis et nuptiis ſacerdot. in Baron. Annal. Tom. XI. pag. 789.*

a) COTELERII *Mon. Eccl. Gr. loc. producto pag. 118.* τὸ μετέχειν ἀζύμων, τῆς παλαιᾶς θυσίας μετέχειν ἐςί. neque mitius pag. 120. ſi azymum conſecramus, ὑπὸ σκιὰν, inquit, τοῦ μωσαϊκοῦ νόμου ἐσμὲν, καὶ τράπεζαν Ἰουδαϊκὴν ἐσθίομεν. ſequ. IOANNIS, *metropolitae epiſt. in* HERBERSTEINII *Comment. Rer. Moſcouit. pag. 32.*

b) vid. LEO ALLAT. *de Conſenſ. Lib. III. cap. XIIII. §. I. p. 1163.* et *Libr. I. Cap. XIIII. p. 212.*

c) Ibidem *pag. 212.* ἔτι δὲ τῆς Σῆς ἀβουλίας τὸ τιμᾷν

Porro

Porro azymi patronos putant ſectae Ebionitarum, *d*) Apollinarii, *e*) et Armenorum, *f*) qui ſummum illum Deum pariter atque hominem, de cuius duplici natura male ſentiant, tam turpi facto dedecorent, fautores exſiſtere. Habent haec omnia Latini non ſane pro argumentis, ſed pro calumniarum indigniſſimarum morſibus, quibus panem ſine fermento alia plane mente, atque homines peſtiferis opinionibus infecti ſolent, conſecratum orientales laceſſunt. Hinc par pari illis referunt, quod eos male remordeat, et eos, qui fermentum animatum eſſe cenſent, *Manichaeos dementes, perverſos, venenatos ac rabioſos*, *g*) quippe

πάντα τὰ παλαιὰ, κἂν ἰυδαικὰ τυχὸν εἰσιν, ὡς καὶ τὰ ἄζυμα. Θαυμάζω δὲ, ὅτι μὴ τὴν περιτομὴν καὶ τὴν προβατικὴν κολυμβήθραν - προτιμᾶς.

d) vide *Part. I. cap. I. §. III.*

e) *Part. I. cap. II. §. II.* METROPHANES CRITOPVLVS *loc. adlato.* IOANNES, *metropolita Ruſſiae in ep. cit.*

f) vid. Αἰτιάματα τῆς Λατινικῆς ἐκκλ. in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. III. p. 507.* Ἀρμενίζουσι μὲν (οἱ Λατῖνοι) - διὸ καὶ ἄζυμα προφέρουσιν, ὡς - κ. τ. λ. vide ſupra *P. I. cap. II. §. IIII.*

g) HVMBERTVS *Dialog. l. c. pag. 766. et 770. Dum nitimini apoſtolicae ſedi derogare ſuper azymis, putredine inueteratae haereſis vos ſcatere monſtratis adſerendo animam ineſſe panibus fermentatis etiam absque myſterio dominicae paſſionis. p. 776. O viroſa et manioſa Manichaeoſa dicacitas! p. 774. Sine anima eſſe fermentum nullus negare audet, niſi Manichaeus demens.*

qui in eadem sint opinione, appellant. Quo peracerbo contumeliae aculeo publice eos legati Romani olim vulnerarunt. *b*)

§. VI. Ex praeceptis ac typis scripturae diuinae panem sacrum esse praefermentandum.

§. VI.

Ritum porro suum defensuri recipiunt se Graeci intra vallum scripturae sanctissimae, ex cuius dictis non modo coenam salutarem pane fermentato primum celebratam, et paschatis tempus a Christo antecaptum monstrant, vt sub initium capitis huius exposui, sed etiam necessitatem fermentati in eucharistia figere enituntur. Antiquitus iam audaciori nisu ad AMOSVM, *i*) vatem sacrum conuolarunt, qui eucharisticum sacrificium fermentato adoleri iubeat. Vbi eum de sacrificio noui foederis mystico panibus fermentatis instituendo docere putant CERVLARIVS et LEO ACRIDANVS: *k*) cum contra Latini ex ipsa rerum pariter, et sermonis continuatione ea per ironiam vatem locutum esse demonstrent, *l*) vel ab eucharistico sacrificio fermentum non omnino abfuisse ex lege Dei ostendant, *m*) atque eo modo ipsum sacrificium Iudai-

b) *Decretum in exsecrationem Graec. edit.* supra *cap. III. §. I.*

i) *Cap. IIII. 5.* וקטר מחמץ תורה

k) *epist. ad Ioannem Tran. citat.* vid. HVMB. *Dialog. l. c. pag. 773.*

l) HVMBERTVS in *Dial. cit. pag. 773.*

m) *Leuit. VII. 12. 13.*

cum

cum ſit intelligendum. Quid? quod ex Graecis multi, quo pane ſacra coena inſtruenda ſit, Chriſtum haud obſcure innuiſſe autumant? Eum enim pane fermentato, vt fert ipſorum ſententia, inter diſcipulos diſtributo, ſubiunxiſſe verba illa memoratu digniſſima: n) *hoc ad mei memoriam facitote.* Quibus iisdem vocibus doctor excellentiſſimus manifeſto declaraverit, velle ſe, eo Chriſtiani pane in coena myſtica paſcantur, quem ipſe diſpertitus fuerit, quiue ad noui foederis mortisque Chriſti memoriam renouandam ſit accommodatus; at vero nequaquam panem ſine fermento conſecrent, qui foederi antiquo cum Iſraëlitis icto proprius aduentu temporis, quod huic finem attulit, ſublatus ſit ac ſepultus. Vtendum igitur, inquiunt, o) ad mandatum Chriſti pane, qui oeconomiae primae feliciter abrogatae ſignum exſiſtit euidentiſſimum. Congerunt praeterea dicta Chriſti: *vos eſtis ſal terrae*, p) porro: *ſimile eſt regnum caeleſte fermento farinae admixto.* q) Tandem decerpunt Ioannis illud; r) *tres ſunt, qui teſtantur in terra, Spiritus, aqua*

n) *1. Cor. XI. 24.* τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

o) CERVLARIVS et LEO ACRID. *loc. cit. pag.* 776. conf. IOANNIS, *metropolitae epiſtolam* in HERBERSTEINII *Comment. Rer. Moſcou. pag.* 32.

p) *Matth. V. 13.*

q) *Matth. XIII. 33. Luc. XIII. 21.*

r) *1. Io. V. 8.*

et ſan-

et sanguis, qui tres sunt vnum. His aliisque eiusdem generis neque maioris in hac caussa ponderis, vt paullo ante monuimus, multum lucis panis fermentati dignitati adfundi posse sperant. *s*) Denique ad typos scripturae sacrae delabuntur, quorum vnum, eumque praecipuum in adspectum proferam. Melchisedecum, principem Salemiticum, praepotentis Dei sacerdotem, Abraamo, victori a clade hostium reuerso obuiam factum panem iuxta, ac vinum obtulisse, princeps rerum antiquissimarum scriptor, MOSES narrat. *t*) Illum ipsum Solymae regem viri diuino numine adflati cum filio Dei passim comparant; *v*) sed Graeci caussae suae amore correpti aliud hic etiam mysterium, quasi retectis inuolucris, inueniunt. Etenim, cum munera illa panis ac vini, quae Melchisedecus bonis Abraamum ominibus prosecuturus obtulit, panis et vini a Christo in coena nouissima consecrati simulacra fuisse multi et Graecae et Latinae ecclesiae doctores cantent, ex quibus vnum memorabo HIERONYMVM; *x*)

s) vid. *cap. huius* §. *IIII. p. 196.*
t) *Gen. XIIII. 18.*
v) *Ps. CX. 4. Hebr. V. 10. VI. 20. et VII. 1. sequent.*
x) *Comment. in Matth. XXVI. Op. Tom. VI. p. 50. Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, adsumsit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum paschae transgreditur sacramentum, vt quomodo in praefiguratione eius Melchisedeck, summi Dei sacerdos panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque* et reliqua.

Graeci

Graeci pro fermentato locuturi vltra pedem promouent, vtque, quod volunt, obtineant, de panis a Melchisedeco prolati genere exilius curiosiusque disputant. Fuisse id, opinantur, fermento admixto factum propterea, quod panes sine fermento cocti Mosis demum tempore in memoriam adflictionis Aegyptiacae legibus fuerint introducti. Inde panem eucharisticum non esse non praefermentandum, eliciunt. Quod non olim tantum a CERVLARIO Constantinopolitano, y) et PETRO Acridano, z) sed etiam saeculo superiore proximo a GABRIELE SEVERO a) factum esse video. Luminibus captus sit, oportet, qui flosculos eius modi imbecillos ac per se caducos vi rationis in contrarium prolatae concidendos esse credat, atque infringendos. Ne tamen nihil ad haec respondisse Latini viderentur, fue-

y) *epist. ad Io. Tranens. l. c.* HVMBERTI *Dial. add. loco p. 775.*

z) ibidem.

a) Qui in *Diff. III. Graec. a Lat. pag. 35. sequ.* multa in azymum Latinorum coniicit, neque tamen impune hoc tulit, sed a NIC. COMNENO docte iuxta, ac vehementer a capite ad calcem refutatur. Et hoc quidem, quod de Melchisedeco petiit, retunditur *Praenot. Mystag. Resp. III. Sect. IIII. §. II. sequ. p. 167.* Vbi non illepide fermentatum azymo esse antiquiorem COMNENVS negat, cum ex azymis fermentum nascatur; at in deliciis olim fuisse panes fermenti expertes, ex historia Lothi docet, qui peregrinis placentas sine fermento factas apposuisse dicitur. *Gen. XVIIII. 3.*

runt

runt in iis et olim et nuper HVMBERTVS, *b*) atque NICOLAVS COMNENVS, *c*) qui plumbeos illos pugiones dimicatione aduersa infirmarent.

§. VII. Ex auctoritate canonum ecclesiae et Pontificum Latinorum consensu idem demonstrant.

§. VII.

Ne foro non vtantur Graeci praesidium pani fermentato in edictis ecclesiae quaerunt, quos azymi esu omnibus interdixisse ngunt ac peruincere laborant. Vix dum fumante litigio, NICETAS *d*) contra Latinos praeceptum apostolorum in arenam vocauit, quod omni consuetudine ac familiaritate cum Iudaeis ineunda Christianos prohibet, ac speciatim quidem vetat, ne quis azyma eorum recipiat; sin fecerit ordinis sacri homo, de gradu deiicitor, reliqui ex ecclesiae communitate exterminantor. *e*) Exsultant porro canone Laodiceno, non esse a Iudaeis azyma accipienda vel partem impietatis eorum vlla ex parte attingendam. *f*) In

b) *Dial. cit.*

c) *Praenot. Mystag. cit. l.*

d) *Lib. de Azymis* apud BARON. *Annal. Tom. XI. p.* 792.

e) GVIL. BEVEREGII *Pand. Canon. Tom. I. p.* 46. *Canon apost. LXX.* Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τῦ καταλόγυ τῶν Κληρικῶν νηστεύοι μετὰ τῶν ἰυδαίων, ἢ συνεορτάζοι μετ' αὐτῶν, ἢ δέχοιτο παρ' αὐτῶν τὰ τῆς ἑορτῆς ξένια, οἷον ἄζυμα, ἢ τοιῦτο, καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.

f) *Canon XXXVIII.* ὅτι ὐ δεῖ παρὰ τῶν Ἰυδαίων ἄζυμα λαμβάνειν, ἢ κοινωνεῖν τῆς ἀσεβείας αὐτῶν. ibidem *pag.* 471.

leges

leges illas manifesto peccare Latinos, existimant. Occurrit autem Nicetae HVMBERTVS, *g*) ne panes Iudaici, qui sine fermento parantur, a Iudaeis gens Christiana accipiat, id esse omnino legibus ecclesiae cautum; sed nihil hoc attinere ad morem Christianorum azymis, a Iudaeorum pane tam alieno, quam qui maxime, in epulo sacro pasci. Instant Graeci, vt documentum dedit THEODORVS BALSAMON, *h*) et notari hoc loco non eos tantum clamant, qui Iudaeis familiariter vtuntur, sed neminem non, qui azymum consecrare ausit. Si enim, colligunt, *i*) panes a fermento immunes a Iudaeis acceptos comedere in sceleris tanta poena expiandi loco habetur; at vero comedere

g) *Resp. aduersus Nicetam* BARONII *Annal. Tom. XI. pag.* 799.

h) *not. in Can. Apost.* Ἀπὸ μὲν τοι τοῦ καθαιρεῖσθαι καὶ ἀφορίζεσθαι τοὺς λαμβάνοντας ἐξ Ἰουδαίων τὰ τῆς ἑορτῆς αὐτῶν ξένια, τὰ ἄζυμα δηλαδὴ, καὶ τὰ λοιπὰ, λέγουσιν οἱ πολλοὶ, ἁλίσκεσθαι τοὺς ποιοῦντας διὰ ἀζύμων τὴν μυστικὴν θυσίαν. GVIL. BEVEREGII *Pandect. Canon. Tom. I. p.* 46.

i) Εἰ γὰρ τὸ ἁπλῶς, φησὶ, φαγεῖν ἄζυμα Ἰουδαϊκῆς ἑορτῆς καθαίρεσιν ὑπάγει καὶ ἀφορισμὸν, τὸ μεταλαμβάνειν αὐτῶν, ὡς κυριακοῦ σώματος, καὶ παρομοίως ἐκείνοις διὰ τούτων τὸ πάσχα ποιεῖν, ποίαν οὐχ ἕξει κατάγνωσιν καὶ κόλασιν; ibidem. Contra Latinos hoc BALSAMONIS testimonium in aciem eduxerat SEVERVS, eumque saeculo XV. floruisse tradiderat, at vero refellitur a NIC. COMNENO *Praenot. Myst. Resp. III. Sect. V. §. XI. et XIII. p.* 178. *et* 181. vbi scriptorem eumdem saeculo XII. vindicat.

istos,

iſtos, tamquam Domini corpus, et iisdem ad morem Iudaeorum paſcha agere, qua tandem ſatis digna animaduerſione ac ſupplicio luetur? Nec diſſentit ab hac concludendi ratione MATTHAEVS BLASTARIVS, k) quippe qui indidem perdocere conatur, non leuiter offendere, qui azymum in ſacratiſſimae coenae myſterio adhibent. Neque enim hic tantum ſimplicem panis Iudaici eſum eſſe vetitum, ſed etiam τὸ συνεορτάζειν μετ' αὐτῶν, ſiue diem feſtum ex more Iudaeorum celebrare. At vero diem, qua ad menſam Chriſti myſticam adimus, eſſe ſuo iure feſtorum dierum omnium longe maximam, multoque candidiſſimam. Qua igitur expiatione dignus erit, qui lucem illam multo ſplendidiſſimam more Iudaeorum, ſiue azymis celebrauerit? Latini hanc ſibi illatam iniuriam facile propulſant, quando nihil minus, quam panis Chriſtianorum eucharíſtici genus ſcitis iſtius modi configi

k) *Ad Can. Apoſt. LXX.* adiicit: Ἐκ τούτου πάρεστι γνῶναι, μὴ κατὰ μικρὸν παρανομοῦντας τοὺς δι' ἀζύμων τὴν μυστικὴν ἐπιτελοῦντας θυσίαν. Εἰ γὰρ τοῖς ἁπλῶς ἐσθίουσιν ἄζυμα ἐξ Ἰουδαικῆς ἑορτῆς καθαίρεσιν ἐπάγει, καὶ ἀφορισμὸν, τὸ μεταλαμβάνειν τούτων ὡς κυριακοῦ σώματος, δι' αὐτῶν δὲ τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν, ποίαν ἔχει παραίτησιν εὐπρεπῆ; Οὐ γὰρ τὸ ἁπλῶς ἐσθίειν ἄζυμα κεκώλυκεν, ἀλλὰ τὸ δι' ἀζύμων κατὰ Ἰουδαίους ἑορτάζειν. Τίς δὲ μείζων τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἑορτὴ, ἣν ὁ Κύριος ἡμῖν παρέδωκε; GVIL. BEVEREGII *Pand. Canon. Tom. II. pag. 145. et 146.* conf. RICHARDI SIMONII *not. ad Apolog.* SEVERI *in Fide eccl. orient. pag. 103.*

docent.

docent. *l*) Et in GABRIELEM SEVERVM, qui simili argumento armatus in conspectum aduersariorum prodierat, eo nomine per quam vehementer NICOL. COMNENVS declamauit. *Quae*, ait, *m*) *frons, nisi aeream duritiem a Seueri fronte mutuetur, dicat, vel etiam clam mussitet, Latinorum azymis impietatem Iudaeorum probari? Quid habent haec adoranda Latinorum azyma commune cum azymis Iudaeorum? Num illis pascha conficitur, et legis agnus manducatur? Num illis non, nisi per hebdomadem integram vti licet? Quis tam imperitus, vt haec adserat? Quis tam excors, vt haec credat? Quis tam puer, vt de his dubitet?* Nec vero felicius Graeci ad synodum Constantinopoli in Trullo collectam, quam pro vniuersali sexta habent, prouocare videntur. In qua ipsius Agathonis, Pontificis Romani consensu publice constitutum esse tradunt, ne quis vmquam Iudaeorum azymum comedat, siue in sacro, seu etiam quocumque alio ordine numeretur. *n*) Tangi hic, *o*) NI-

l) vid. PETRI ARCVDII *Concord. ecclesiae occid. et orient. in VII. Sacram. lib. III. cap. VI. pag. 167. sequ.*

m) *Praenot. loc. cit. pag. 180.*

n) GVIL. BEVEREGII *Pand. Can. Tom. I. p. 168. Can. XI.* Μηδεὶς τῶν ἐν ἱερατικῷ καταλεγομένων τάγματι, ἢ λαϊκὸς, τὰ παρὰ τῶν Ἰουδαίων ἄζυμα ἐσθιέτω, ἢ τούτοις προσοικειούσθω. et cet.

o) *Libell. de azymis* apud BARONIVM *Annal. Tom. XI. p. 793.*

CETAS, atque BALSAMON *p*) arbitratur, omnes, quicumque azymum comedunt, etiam ſi id haud acceperint a Iudaeis, modo vlla ratione ſint Iudaeos imitati. Nihil hoc ad ſacrificium noſtrum, Latini reſpondent, qui neque conciliabuli huius canones pro legitimis habent, omnium minime Trullanam hanc ſynodum in conciliorum vniuerſalium numerum collocant. *q*) Fuit denique, cum orientales nonnulli teſtimonia pro pane fermentato ex ipſis antiſtitum Romanorum decretis in medium proferrent. Eſt in iis NECHITES, Praeſul Graecus, qui congreſſione cum Anſelmo, Epiſcopo Hauelbergenſi habita, Melchiadem ac Siricium, Pontifices fermenti nomine euchariſtiam deſignaſſe ait. *r*) Cui ANSELMVS et auctoritate reliquorum pontificum contraria viam preſſius accedendi obſaepit, et, non

p) *Μήτις λεγέτω ὡς ἐκεῖνα τὰ ἄζυμα ἐκωλύθησαν ἐσθίεσθαι τὰ παρὰ τῶν αἱρετικῶν διδόμενα, · - ἀκούσει γὰρ, ὡς οὐ τὸ ἐσθίειν ἄζυμα κεκώλυται, ἀλλὰ τὸ διὰ ἀζύμων ἑορτάζειν. Ποία δὲ μείζων ἑορτὴ τῆς ἀναιμάκτου θυσίας;* et rel. HEVEREGIVS *loc. cit.* Idem aliquanto poſt, *διὰ τοὺς Λατίνους τοὺς ἑορτάζοντας μετὰ ἀζύμων* legem hanc latam eſſe perſcribit, ibidem.

q) HVMBERTI *Dial.* ap. BARON. *loc. cit. p.* 799. *ſequ.* BARTHOLOMAEVS CARRANZA in *Summa Concil. in not. ad Syn. VI. Trull. cap. XI.* MICHAEL LEQVIEN *in adnot.* IO. DAMASCENI *opuſc. de azymis loco adducto.*

r) vid ANSELMI *Dial. contra Graecos lib. III. cap. XIII. in Spicilegio* LVCAE D'ACHERY *edit. nou. Tom. I. p.* 200.

ſine

ſine magno Latinorum concentu vocem illam de eulogiis veterum, neutiquam de pane in coena ſalutari comedendo explicat. s) De quo argumento cum in Latinis etiam haud leuis ſit exorta luctatio, erit, vbi fuſius explicitiusque diſputabimus, vnde, quibus videbitur, licet, deguſtent. t)

CAPVT VIIII.
ARGVMENTA LATINORVM PRO PANE AZYMO CONTRA GRAECOS, SVBIVNCTIS SVO QVOQVE LOCO HORVM RESPONSIONIBVS.

§. I.

§. I. Exemplum Chriſti pane azymo ſacram coenam dantis. Vbi de paſchatis extremi die Latinorum aliorum ſententiae euoluuntur.

Relictis Graecorum caſtris ad Latinos transeamus, et apparatum belli atque inſtrumenta, quibus cauſſam Graecorum aggrediuntur, intueamur. Peruulgata eſt Latinorum ad azymum euchariſticum defendendum opinio, Chriſtum pane fermenti experte epulum amoris mirificum inſtituiſſe. Quod quo melius efficiant plerique, antiquiores praeſertim ſcriptores, Seruatorem eodem die, quo Iudaei, ſcilicet die XIIII. Niſan exeunte coenam paſchalem dediſſe tradunt, neque alium conſecraſſe panem, niſi azymum, cui vni in omnibus finibus Iudaicis eo tempore locus erat relictus. Numerum Latinorum, quibus id videtur, vna nauis

s) Ibidem *cap. XIIII. pag. 201.*
t) *Part. III. cap. II. §. IIII.*

haud fert; idcirco praecipuos eosque potissimum aduocabo, qui pro azymo laudando illam de paschate Christi vltimo vna cum Iudaeis agitato rationem inierunt. Eius census sunt HVMBERTVS, v) ANSELMVS CANTVARIENSIS, x) DVRANDVS, y) et complures cum veteres, z) tum recentiores, BELLARMINVS, a) BARONIVS, b) CORNELIVS A LAPIDE, c) IO. CIAMPINVS, d) IGNATIVS HYACINTHVS AMAT. DE GRAVESON, e) IACOBVS HYACINTHVS SERRY, f) itemque homines Latinis partibus

v) *Responſ. contra Nicetam de azymo*, BARON. *Annal. Tom. XI. p. 799.* et *Dialogus Conſtantinopolit. et Rom.* ibidem *p. 760.*

x) *Op. Tom. IIII. lib. III. Epiſt. CXXXIIII. pag. 153.*

y) *Rat. diu. offic. lib. IIII. cap. XXXXI. §. VIIII.*

z) vid. *Tractatus contra errores Graec. Bibl. Patr. Max. Tom. XXVII. pag. 560. ſequ.*

a) *de Sacr. Euchariſt. lib. IIII. cap. VIII. Op. Tom. III. pag. 675.*

b) *ad a. XXXIIII. §. XXIII. ſequ. Annal. Tom. I. pag. 169.*

c) *Comment. in Matth. cap. XXVI. p. 475.*

d) *Coniect. de perpetuo azymorum vſu in eccl. Lat. cap. I. pag. 1.*

e) *Tract. de vita, myſteriis et annis Ieſu Chriſti Tom. II. Diſſert. XVIIII. pag. 40.*

f) *Exercitat. de Chriſto, eiusque virgine matre, Venet. et Mediol. 1719. Exercitat. L. §. III. ſequ. pag. 342.* et, quam in extremo volumine adfiximus, *Graeci Theologi de Chriſto paſcha praemature celebrante Diſſertatio a Theol. Lat. refutata.*

iam

iam pridem adſcripti, HILARION, *g*) GENNADIVS SCHOLARIVS, *h*) PETRVS ARCVDIVS, *i*) IOANNES PLVSIADENVS *k*) et NICOLAVS COMNENVS. *l*) Hoc ipſum, vt praecipua argumentorum capita ſtrictim ac ſummatim percurram, primum tuentur codicis ſacroſancti auctoritate. Prima die azymorum, qua paſcha immolandum erat, *m*) diſcipulos magiſtrum ſummum de paſchatis praeparandi loco interrogaſſe, ac praeparato in vrbe paſchate ſub veſperam illius eiusdem diei Chriſtum aduenisſe, cum diſcipulis in coena accubuiſſe, verbis adeo luculentis exponunt diuini rerum a Chriſto geſtarum conditores, MATTHAEVS, *n*) MARCVS *o*) et LVCAS, *p*) vt negari nequeat. Ex iis permulti efficiunt, Chriſtum eodem die, atque reliqui Iudaeorum, coenam paſchalem feciſſe. Sed negant alii, eſſe illi ſen-

g) *Orat.* περὶ ἄρτου μυστικοῦ τῶν Ἑλλήνων in MEVRSII *Var. diu. pag. 134. et 140.*

h) *Expoſit. pro Synodo Flor. cap. II. Sect. II. ad VI. in Bibl. Patr. Lugd. 1677. Tom. XXVI. p. 574.*

i) *de Concord. eccl. occid. et orient. Lib. III. cap. IIII - VI. pag. 152.*

k) Διάλεξις περὶ τῆς διαφορᾶς μέσον Γραικῶν καὶ Λατίνων in LEON. ALLAT. *Graecia orthod. Tom. I. pag. 338. ſequ.*

l) *Praenot. Myſtag. Reſp. III. Sect. IIII. pag. 161.*

m) ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, *Luc. XXII. 7.*

n) *Cap. XXVI. 17. 19.*

o) *Cap. XIIII. 12. 16. 17.*

p) *Cap. XXII. 7. 14.*

tentiae vllum in his iisdem Scripturae testimoniis vestigium. Ac primum quidem illi, quibus placet, Christum legitimo tempore pascha celebrasse, at Iudaeos distulisse, primam illam azymorum diem, qua Christus coenam nouissimam dedit, ideo vocari primam, adfirmant, non quod Iudaei ea die pascha suum inciperent, vt gratuito quidam supponunt, sed quod lege diuina incipiendum esset, quod ex LVCA, qui addat, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι, q) et ex IOANNE, qui diem morte Christi celebrem parasceuen paschatis vocet, r) aliisque locis, quae supra memorauimus, s) planum fiat. Illi vero, qui Christum pascha omnino nullum eo tempore polluxisse statuunt, diem azymorum primam ea ratione appellari existimant, non quod comedendum, sed quod praeparandum esset pascha, et panes azymi coquendi, quod multo ante magna cum cura fiebat. t) Quam ipsam pro prima azymorum

q) *loc. cit.*
r) *Cap. XVIIII. 14.*
s) *Cap. VIII. §. I. p. 172.*
t) vide NIC. TOINARDI *Harmonie des Evangiles, in not. pag. 87. et 149. sequ.* AVGVSTINI CALMETI *Dissert. sur la derniere Paque de notre Seigneur Jesus Christ in Tomo VII. du Commentaire Litteral sur la Bible pag. 60. sequ.* confer. Viri Summe Ven. SAL. DEYLINGII *Obseruat. Sacr. Tom. I. Obs. LII. §. XVIII. pag. 247.* et *Dissertatio de S. Eucharistiae origine ex ritu et formula Iudaeorum paschali non repetenda §. XXIIII. pag. 30. Lipsiae 1734.*

die

die vulgo habitam fuiſſe, IOSEPHO auctore, qui ad octo dies feſtum azymorum celebrari ſcribit, *v*) comprobant. Deinde ſententiae poſterioris propugnatores, ea, quae ex hiſtoriis fide digniſſimis adferuntur, Chriſtum eodem die accubuiſſe, et cum diſcipulis coenam cepiſſe perlubenter dant, ſed nihil hic de azymorum feſto celebrato, nihil de agni paſchalis eſu, ſi eosdem rerum illarum teſtes ſollicite euoluant, offendunt. Accubuiſſe igitur Chriſtus videtur hora ſtatuta non paſchati Moſaico obeundo, cuius dies nondum illuxerat, ſed nouo amoris mirifici epulo myſtico, cuius cum diſcipulis celebrandi paſchatis noui cupiditate quadam flagrauerat, teſte LVCA. *x*) Sed citant quidam ex Latinis patrum eccleſiae et Graecorum et Latinorum, ORIGENIS, CHRYSOSTOMI, THEOPHYLACTI, THEODORETI, AMBROSII, CYPRIANI, HIERONYMI, AVGVSTINI, aliorumque teſtimonia, quae a ROBERTO BELLARMINO *y*) explicantur, quibus Chriſtus die XIIII. Niſan coenam comediſſe, et primo paſchatis die feſto infelici arbore ſuſ-

quae inſerta eſt eiusdem *Obſeruation. Miſcellan. Lipſ. 1736.* vbi vide *pag. 245. ſequ.*

v) *Antiquit. Iudaic. lib. II. cap. V. p. 65.* ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ.

x) *Cap. XXII. 15.*

y) *de S. Euchar. lib. IIII. cap. VIII. Op. Tom. III. p. 610.*

pensus esse perhibetur. Haec contra Graeci, si auctoritate doctorum standum decernendumque est, aliis patrum sententiis conuellunt, vt suo loco a nobis fuit memoratum. z) Tandem permulti ex ipsa facti ratione, et in primis Iudaeorum, qui leuissima quaeque in Christum congerebant, silentio, quod omni turba vocalius clamare putant, non alio, nisi a lege statuto die, minime alio ritu ac more, quam par erat, Seruatorem pascha comedisse docent. *a*) Respondent, qui contra veniunt, partim Iudaeos potius fuisse de errore arguendos, qui in aliud, ac Deus praefinierat, tempus pascha reiecerint; partim, Christo nequaquam violatae legis dicam potuisse scribi, quod diem paschati celebrando sacrum, quem viuendo haud attingebat, neutiquam anteceperit, nec epulum paschale instituerit; partim denique, vt censet CORESSIVS ac SEVERVS, *b*) quod vespera diei XIII. Nisan facili negotio more Hebraeorum ad diem XIIII. referri, eaque ratione Christus pur-

z) *Cap. anteced.* §. *I. p. 172.*

a) Eamdem argumentandi viam vetustissimi azymi propugnatores paullo post adferendi triuerunt. conf. IGNAT. HYACINTHVS AMAT. DE GRAVESON *Tract. de vita, mysteriis et annis Christi cit. loc.* et *Hist. Eccles. Tom. IIII. p. 59.* BELLARMINVS *loc. add. p. 610.* IACOBVS HYACINTHVS SERRY *Exercitat. de Christo eiusque matre Exercit. L. cit. loc.*

b) NICOLAVS COMNENVS *loc. cit.* §. *IIII. pag. 162.*

gari

gari defendique potuerit. Nihilominus ampla est Latinorum messis, qui Christum die diuinitus dicto vna cum Iudaeis pascha extremum egisse opinantur, quemadmodum ante diximus. Quibus accedunt ex Reformatis IOANNES LIGHTFOOTVS, c) ANTONIVS BYNAEVS, d) SAMVEL BOCHARTVS, e) HERMANNVS WITSIVS, f) THOMAS GOODWINVS, g) ADRIANVS RELANDVS, h) et adeo permulti etiam eorum, qui panis fermentati vsui in eucharistia plus aequo fauere videntur, quorum nomina infra in propatulo et aprico ponentur. i) Ex Lutheranis iisdem in castris, quod ad hanc caussam attinet, versantur viri itidem celeberrimi, IO. FRANCISCVS BVDDEVS, k) IO. IACOBVS RAMBACHIVS, l) IO. ANDREAS SCHMIDIVS, m) IO. REINHARDVS RV-

c) *Hor. Hebr. et Talmud. ad Matth. XXVI. 19. Marc. XIIII. 12. Io. XVIII. 28.* et passim.

d) *Christus Crucifixus cap. I. pag. 34. sequ.*

e) *Hierozoicon Part. I. Lib. II. cap. L. pag. 560. 569. sequ.*

f) *Meletem. Leidens. pag. 421.* et *Oeconomia foederum Dei cum Hominibus lib. IIII. cap. XVII. §. VI. pag. 685.*

g) *Moses et Aaron. lib. III. cap. VII.*

h) *Antiqu. Sacrar. Hebr. Part. IIII. cap. III. pag. 405. seq.*

i) *Part. III. cap. VI. §. I.*

k) *Instit. Theol. Dogm. lib. V. cap. I. §. XIIII. pag. 1115.*

l) Betrachtungen über das Leyden Christi, *edit. Ien. 1732. cap. IIII. p. 615.*

m) *Differt. de Oblatis Eucharisticis §. IIII. pag. 11.*

SIVS, *n*) IO. LVNDIVS, *o*) CAROLVS HILDEBRANDVS L. B. A CAN-

n) *Harmon. Euang. Tom. III. lib. V. P. II. Sect. I. p. 495. ad p. 531.* quem sibi ipsum constitisse, temere negat Clar. GOTTLOB FRIDERICVS GVDIVS *Demonstrat. Hermen. quod Christus in coena σαυρωσίμῳ agnum pasch. non comederit. Lips. 1733. p. 15.* Inductus enim verbis, quae ex *Harm. cit. Lib. V. Part. II. Sect. II. p. 1318.* petiit, vbi Christus eodem tempore mortuus esse dicitur, quo agnus paschalis jugulabatur, cum tamen antea Seruatorem vna cum Iudaeis coenam extremam ex lege comedisse docuerit; sententiae suae immemorem factum esse putat virum celeberrimum; sed, nisi me fallunt omnia, nodum in scirpo quaerit GVDIVS, oratione RVSII sinistre explanata. Nimirum quando in adlatis verbis de tempore mortis Iesu RVSIVS memorat, neutiquam diem, sed diei articulum, quod disertissime addit, intelligit. *Notatu dignissimus est,* inquit, *ille temporis diei huius articulus, quo obiit Iesus.* Cum igitur MATTHAEVS cap. XXVII. 46. Christum ab hora nona animam exhalasse, cum aliis Euangelistis scribat, et FLAVIUS IOSEPHVS *de bello Iud. lib. VII. cap. XVII.* agnos paschales ἀπὸ ἐννάτης ὥρας mactatos fuisse testetur; in conspirante hoc non diei, quod sane in libro citato nusquam exstat, sed temporis atque horarum consensu, peregregius typi cum anti-typo concentus obseruatur. Qua propter qui Christum praefinito tempore vna cum Iudaeis agnum pridie, quam moreretur, comedisse adstruit, eumdemque illo ipso diei articulo seu hora, qua agnus paschalis iugulatus erat, exspirasse tradit, non is quidem pugnantia sibique contraria loquitur: sed ad spatium quoddam diei, quod singulis diebus redit, animum refert. Quod pluribus explicarem, nisi vererer, ne soli lucem adfundere voluisse videar.

o) Jüdische Heiligth. *lib. V. cap. XI. p. 982.*

STEIN,

STEIN, *p*) IO. FRISCHMVTHVS, *q*) et princeps Saxoniae Theologus, BERNHARDVS WALTHERVS MARPERGERVS. *r*) Quos plerosque eo consilio huic Latinorum choro immiscendos esse duximus, quia eorum scripta lucem controversiae nostrae accendunt. Ad Latinos reuersi antiquiores ecclesiae huius doctores hoc loco praetereundos iudicamus, qui Christum vna cum Iudaeis pascha vltimum manducasse iam pridem dubitarunt; ad certiora properamus, et nonnullos eorum ad partes orientalium declinare animaduertimus, quando Christum die XIIII. Nisan legibus constituto, atque altero demum die Iudaeos, qui

p) Harmonie der Evangelisten *Part. VI. cap. II. Sect. I. p. 241. et Sect. III. p. 272. et 277.* nec non *cap. III. Sect. VII. p. 477.*

q) *Differt. de agno paschali, vtrum eodem die illum cum Iudaeis Seruator comederit? Ien. 1674.*

r) *de agno ad arae cornua ligando pag. 339. sequ.* De cetero in eamdem sententiam confer CHRISTIANI SAHMII *Differt. de agno paschali quem Iesus, ea nocte, qua tradebatur, comedit:* atque ALBERTI IOACHIMI A KRACKEWITZ *Disp. de vltimo paschali Iesu Christi conuiuio*, illam in Regiomontana, hanc in Rostochiensi academia publice defensam. Ad quorum rationes se quidem adiunxit IO. ENGLERTVS; at nouum tamen ille iter instituit, dum Christum pariter, ac Iudaeos sub initium diei XIIII. Nisan agnum comedisse tradit, diuulgata eam in rem *Differt. de paschate Christi vltimo, seu σταυρωσίμῳ.* Quem contra venit, praeter alios, RVSIVS modo laudatus *Harm. Euang. Tom. III. p. 519. sequ.*

vel

vel ex ſenatus conſulto, vel ex cautione, ne duo dies feſti continui ſequerentur, paſcha in proximum ſabbatum transtulerint, ſollemne hoc ſacrum feciſſe, augurantur. Cuius commentationis non inuentor, ſed praecipuus perfector ac defenſor eſt PAVLLVS BVRGENSIS, s) Fuit enim ante Paullum Burgenſem, cum RVPERTVS t) adfirmaret, Chriſtum pariter, et Iudaeos eodem tempore paſcha illud comediſſe, die videlicet XIIII. Niſan, ſed, cum hoc anno dies primus azymorum in feriam ſextam incideret, ipſum panis non fermentati ſacrum Iudaeos compe-rendinaſſe et in proximum diem ſabbati ex antiqua patrum ſeu conſuetudine ſeu lege diſtuliſſe. Nam agni immolandi abſumendique ſtatum tempus ſemper fuiſſe fixum, nec loco mouendum, ſollemnitatem autem feſti azymorum aliquando in ſabbatum ſequens reiectam. Hanc Ruperti opinionem non multum ab illa Paulli Burgenſis diſtinctam contra Graecos adlatam Graecis fauere magis, quam obſtare Bellarminus arbitratur. v) Nimirum potuiſſe Seruatorem, comeſa coenula paſchali, tuto redire ad fermen-

s) *addit. ad Lyrae Comment. in Matth. cap. XXVI.*

t) *Comment. in Leuit. XXIII. et Matth. XXVI.* itemque *de diu. offic. lib. II. cap. XXII. Op.* RVPERTI *Tom. II. pag. 766.* conf. *Harmon. Euangel. Chemnitio-Lyſero-Gerhard. cap. CLXVI. Tom. II. pag. 934.*

v) *loc. cit. pag. 608.*

tatum,

tatum, et eo panis genere corpus tradere, quoniam ab insequenti die sollemne azymorum in diem sabbati transmigrauerit. Quicquid est, hoc certum, Pontificios etiam nonnullos Paullo, Episcopo ea in re adsentiri, ac pollicem premere. In quibus est IO. HENTENIVS, x) et IOSEPHVS SCALIGER, y) qui antea cum multis millibus hominum, qui Christum vna cum Iudaeis pascha extremum celebrasse putent, se quoque errasse fatetur, iam vero, caussa plenius perspecta, se non posse non statuere, ait, Iudaeos pascha eo anno distulisse. Neque dissentit MALDONATVS, z) celebris scripturae interpres. Ex Protestantium idem statuentium eximio choro adfero MARTINVM CHEMNICIVM, IOANNEM GERHARDVM, a) MATTHIAM FLACIVM, b) AEGIDIVM HVNNIVM, c) IOANNEM MVLLERVM, d) IOANNEM CALVINVM, e) ISAACVM

x) *praefat. in Euthymium.*

y) *de Emendat. Temp. edit. poster. pag. 567.*

z) *Comment. in Matth. cap. XXVI.*

a) *de Circumcisione et Agno paschali Loc. Theolog. Tom. IIII. p. 788.* atque *Harmon. Euang. loc. cit. pag. 535.* SEBASTIANI SCHMIDII singularem sententiam vide in *Tractatu de Paschate, pag. 398. sequent.*

b) *Clauis Script. S. Part. I. voce Pascha pag. 1106.*

c) *in Matth. XXVI. et Io. XVIIII. Op. Tom. III. pag. 560. et 979.*

d) Jüdenthum *Part. I. Lib. III. cap. II. pag. 1284. sequ.*

e) *ad Matth. XXVI.* et alia loca.

CASAV-

CASAVBONVM, *f*) et, qui eum a CLOPPENBVRGIO *g*) defendit, LVDOVICVM CAPPELLVM, *h*) qui aliquot certe Iudaeos pascha procrastinasse credit, GERHARDVM IOANNEM VOSSIVM, *i*) et FRIDERICVM SPANHEMIVM, *k*) vt alios ecclesiae puriori adscriptos praetermittam. *l*) Videtur haec sententia vel iis rationibus egregie adiuuari, quibus eruditi Christum die XIIII. Nisan trucidatum declarant, qui hoc anno in diem Veneris inciderit: quo exeunte agnus ex praescripto diuino immolandus, atque die XV. pascha auspi-

f) *Exercit. in Baron. XVI. cap. XIII. pag. 312. sequ.* qui plures etiam ex Pontificiis illius opinionis approbatores adlegat.

g) vid. CLOPPENBVRGII *epistolam ad Ludouicum de Dieu, de die quo Christus et Iudaei comederint agnum paschalem, Amstelod. 1643. pag. 8. sequ.* vbi Christum pariter ac Iudaeos die praefinito coenam paschalem obiisse, sed Iudaeos postridie eius diei iisdem caerimoniis pascha iterasse censet.

h) *epist. ad Ioannem Cloppenburgium ibidem edita pag. 56. sequ.* cui tamen singulari epistola CLOPPENBVRGIVS *pag. 96.* respondit. CAPPELLO adsensor est, et comes, IO. HARDVINVS mox memorandus.

i) *Tractat. Theolog. V. Disp. XVIIII. Thes. III. Op. Tom. I. pag. 428.*

k) *Chronolog. Sacr. Part. I. cap. XV. Op. Tom. I. p. 81.*

l) vide eidem orationi subscribentes, Ven. CHRISTOPH. HEINR. ZEIBICHIVM *Passions-Stunden Thes. IIII. Ecthes. §. 4. p. 153. sequ.* et IO. HEINRICVM MAIVM *Dissert. de tempore paschatis Christi vltimi. Gissae 1712.*

candum

candum erat: *m*) Deinde eo anno, quo Chriſtus in crucem raptus eſt, feriam paſchatis primam incidiſſe oſtendunt in Sabbatum, ſeu feriam VII. quia Iudaeis admodum cordi erat, ne cadauera in infelici ligno relinquerentur die inſequenti, vtpote ſabbato, quod IOANNES *n*) magnum vocat: ſed ſola feria prima et vltima magna dicebatur. *o*) Vltra progreſſi diem feſtum pentecoſtes, anno Chriſti morte inſigni, die dominico, ſeu feria prima celebratum eſſe, idque vel antiquam eccleſiae conſuetudinem docere monſtrant. *p*) Cum vero dies pentecoſtes fuerit a die primo paſchatis quinquageſimus, *q*) facile inde perſpici, ſi dies ordine retrogrado numerentur, feriam primam paſchatis tum temporis in feriam ſeptimam, ſeu diem ſabbati cecidiſſe. Quam ob rem Chriſtum, quem feria ſexta, ſiue Veneris die exſpiraſſe aliunde, vt audiuimus, docent, eo tempore aut omnino paſcha nullum, aut certe cum Iudaeorum

m) *Exod. XII. 6. Leuit. XXIII. 6.*

n) *Cap. XVIIII. 3.*

o) *Leuit. XXIII. 7. 8.* conf. *Diſſert. ſuffixae §. III.* reſponſionem Latini.

p) vid. *Diſſert. cit. §. V.* conf. LIGHTFOOT *Hor. Hebr. ad Act. II. 1.* BOCHARTVS *Hierozoic. Part. I. lib. II. cap. L. pag. 570.*

q) *Leuit. XXIII. 15. 16.* vid. BVXTORFII *Synagoge Iud. cap. XV. p. 446.* BELLARMINVS *loc. cit. cap. VIIII. p. 620.* et *de eccleſia triumphante lib. III. cap. XIII. Op. Tom. II. pag. 891.*

turba

turba non obiisse vincunt. *r*) Neque vero minor, sed adeo maior est eorum numerus, qui aduersus hanc Paulli Burgensis aliorumque rationem depugnant: tum, quod plerique eam de sabbatorum concursu vitando Iudaeorum prouisionem, cuius fundamentum in auctoritate libri vetustioris, qui סדר עולם inscribitur, posuerunt, *s*) non a captiuitate Babylonica repetendam, neque Christi aetate natam, sed recentioris demum aeui esse odorantur, *t*) quod nec omnes Paulli Burgensis sectatores generatim negant: *v*) tum quod nonnulli eam cautionem sibi ipsam esse contrariam ac repugnantem animaduertunt. *x*) Demus enim, inquiunt, primam diem azymorum in sabbatum migrasse, quod volunt Burgensis Episcopi adstipulatores; dies azymorum septimus, seu vltimus, qui aeque sollemnis

r) vid. SAL. DEYLINGII *Obseruat. Sacras Tom. I. Obseru. LII.* §. *XII. p.* 240. et *Obseru. Miscell. pag.* 244. sed contrarium tueri nititur et GRAVESON et SERRY, quorum firmamenta in scriptis supra excitatis ob oculos ponuntur.

s) vid. BELLARMINVS *de Sacram. Euch. lib. IIII. cap. VIIII. Op. Tom. III. p.* 618.

t) BOCHARTI *Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. L. p.* 562.

v) FRID. SPANHEMII *Chronol. Sacr. P. I. cap. XV. Op. Tom. I. pag.* 81. conf. tamen CASAVBONI *Exercit. XIIII. cap. XVI. pag.* 414.

x) BELLARMINVS *loc. cit. cap. VIII. Op. Tom. III. p.* 612. conf. IO. REINHARDI RVSII *Harm. Euang. Tom. III. p.* 512.

est,

eſt, ac primus, y) feria ſexta inſequentis hebdomadis celebretur, oportet; at feriam illam ſextam excipiet ſabbatum; ita habebis duo ſabbata vel dies feſtos ſollemnes continuos: cuius tamen concurſus vitandi cauſſa dierum ordinem permutari ſolitum fuiſſe aduerſarii poſuerant, Verum in promtu eſt ratio, cur adeo multi, iique eruditione praeſtantes viri, pontificiis ſacris addicti opinioni huic tam pertinaciter refragentur. Scilicet, quod, ea fixa ac probe munita, praecipuum fundamentum, quo azymi vſum eccleſia Latina ſtabilitum olim iuit, in praecipitium feratur. Quod BELLARMINVS planum teſtatumque facit, qui de Paulli Burgenſis demonſtratione repudianda hoc potiſſimum addit: z) *proinde non tenebatur ad vſum azymorum, niſi in comeſtione agni paſchalis, quia nondum venerant dies azymorum, et idcirco potuit in fermentato ſacramentum inſtituere. Vides igitur ex hac ſententia fundamentum eccleſiae Latinae funditus tolli.* Vtcumque ſe habent illa Graecis doctoribus finitima, illud tamen lucide conſtat, et Latinorum, et eorum omnium, occidentalium, qui Chriſtum paſchatis tempus praeuertiſſe, cum Graecis credunt, eſſe vix quemquam vnum, qui Chriſtum ſine azymis paſcha

y) *Leuit. XXIII. 7. 8. Exod. XII. 15.*
z) *de Sacramento Euchar. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. pag. 609.*

fecisse statuat. *a*) cuius esus, quotiescumque agnus conficiendus esset, ex lege divina non poterat non adiungi. *b*) Quare nec id hominum genus fermentati panis laudatoribus maiori adiumento est, et subsidio, qui Christum Iudaeos anteuertisse, et pridie paschatis Iudaici pascha quoddam *μνημονευτικὸν*, mutilatum, sine agno paschali, vtpote nondum in aede Dei mactato celebrasse, non quidem cum MARCO ANTONIO DE DOMINIS, qui Servatorem pridie mortis pascha omnino nullum egisse, verum coenam *ordinariam sine azymis, et communem* sumsisse lucide exponit, *c*) qualemcumque ei opinionem alii impingant: *d*) sed cum HVGONE GROTIO *e*) ominantur. Ille enim coenam eiusmodi, seu pascha imaginarium,

a) vide auctores et Latinos et Reformatos et Lutheranos modo in scenam vocatos. Quibus addas, velim, THOMAM AQVINATEM *L. IIII. Dist. XI. Quaest. II. Art. II. Quaest. III.* SCOTVM *Sent. IIII. Dist. XI. Quaest. VI. p.* 52. IO. MABILLONII *Differt. de azymo cap. I.* in *Ouvrages Posthumes Tom. II. p.* 113.

b) *Exod. XII.* 8. 15. 18. *sequ. et cap. XIII.* 7.

c) *de Republ. Ecclesf. lib. V. cap. VI.* §. 273. *Tom. II. p.* 207. Qua de causa adiicit: *Et sic manet, nullam esse rationem, cur debeamus esse solliciti de eucharistia in azymo consecranda.* ibidem *p.* 208.

d) ABRAHAMVS CALOVIVS in *Bibliis Illustr. ad Matth. XXVI. com.* 18. et IO. REINHARDVS RVS *loc. cit. Lib. V. P. II. Sect. I. Subsect. IIII. Tom. III. p.* 507. *et* 706.

e) *adnotat. in Matth. loc. cit.*

licet

licet abesset agnus, non, nisi in templo immolandus, tamen amaris herbis et panibus non fermentatis instructum fuisse fingit: qui mos templo sacrisque Iudaeorum euersis coeptus etiam num perdurat. *f*) Sed habent Graeci, quod respondeant, vt supra adlatum est, *g*) et ipse prae se fert BELLARMINVS, *h*) si alio tempore, atque Iudaei, Christus pascha comedit, coenamque nouissimam instituit, *rem non esse omnino certam*, vtrum azymo epulum mysticum noui foederis instruxerit, nec ne? Latini tamen azymo Christum in paschate coenatum esse, inde in primis deducunt, quod Iudaei, qui vel ex Iuda, sceleſtiſſimo Dei proditore didicissent, Christum sine azymis praeter instituta maiorum agnum sollemnem comedisse, et legis sanctissimae repagula effregisse, illud, qua erant in Seruatore temere accusando impudentia, silentio haud praeteriissent. Quod argumentum, cuius partem paullo ante delibauimus, dici non potest, quanti iam olim panis azymi vindices, LEO VIIII. Pontifex, *i*) et HVMBERTVS Cardinalis *k*) aestimauerint. Est

f) BVXTORFII *Synag. Iudaica cap. XIII. p. 417. et 427. sequ.*

g) *Part. II. cap. VIII. §. I.*

h) *cit. loc. pag. 607.*

i) *Epist. ad Cerularium in Baron. Annal. ad a. 1054. N. XIII. Tom. XI. pag. 220.*

k) in *Disputatione de azymo* subiuncta *Annal. Ba-*

igitur illis etiam, qui pascha nouissimum Christum alio atque ceteri Iudaei, die celebrasse contendunt, itemque illis, qui, IO. HARDVINO *l*) praemonstratore atque auspice, aliam Israëlitarum partem eodem, quo Christus, tempore, aliam postridie, vtramque iure suo agnum absumsisse, adsertione approbant, antiquum illud commune ac sollemne, Seruatorem quocumque etiam tempore pascha extremum egerit, azymo eucharistiam apparasse. Fundamento vtcumque iacto et hoc Graecis contrarium superstruunt, ad institutionem et exemplum tanti doctoris in magnificentissimo Christianorum mysterio panem sine fermento vel adhibendum esse, vel certe rectius vsurpari, quam fermentatum. Id quod praeter supra adductos scriptores enitet ex DOMINICO, Venetorum patriarcha, *m*) GVILIELMO DVRANDO, *n*) ANSELMO et CANTVA-

ron. Tom. XI. pag. 767. conf. GRAVESONIVS ac SERRY *modo citati.*

l) *Tract. de supremo Christi Paschate edit. Paris. 1693.* atque *Operibus Selectis* inserto *pag. 371. sequ.* cuius argumenta in quaestionem postulauit Celeb. WEIDLERVS *Animaduers. Chronol. in hanc Harduini sententiam. Vitemb. 1727.*

m) *Epist. ad Petrum Antioch.* τὴν τῶν ἀζύμων συνήθειαν ἀνῶθεν τοῦ Κυρίου παραδόσει κατέχεσθαι scribit in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 110.*

n) *Ration. Diuin. Offic. lib. IIII. cap. XXXXI.*

RIENSI,

RIENSI, *o*) et HAVELBERGENSI; *p*) ne aetate posteriores in aciem producam, *q*) quibus idem videtur. *Neque enim*, vt in hac caussa BELLARMINVS scribit, *r*) *dubitari potest, quin illud sit melius et faciendum, quod Christus fecit.* Nec vero Graeci solum habent, quibus firmamentum hoc concutiant, vineas atque arietes, vt antea demonstrauimus; *s*) sed sunt praeter multos, vt vocantur, Protestantes, verbi caussa IO. ADAMVM SCHERZERVM, *t*) IO. CASP. SVICERVM, *v*) GERHARDVM IOANNEM VOSSIVM, *x*) atque

o) *Op. Tom. IIII. p. 153.*

p) *Dial. contra Graecos lib. III. cap. XV.* in *Spicilegio* D'ACHERY *Tom I. pag. 202.*

q) PETR. ARCVDIVS *de Concord. eccl. occid. et orient. in VII. Sacram. lib. III. pag. 151.* HOR. IVSTINIANI *Acta conc. Florent. P. II. Coll. XXII. N. V. p. 294.* Sine pigmentis proinde ecclesiae suae sententiam prodit AVGVSTINVS CALMETVS, vir praestantissimus, qui praesumtam opinionem de Christo azymis coenam nouissimam celebrante in caussa esse, ait, quo minus alium, atque azymum consecret. vid. *Dissertation sur la derniere Paque, loc. cit. pag. 60. C'est, sur cela qu'est fondé l'usage de n'employer dans l'eglise Latine, que du pain azyme, ou sans levain dans nos mysteres, dans la supposition, que notre Sauveur n'a point usé d'autre pain.*

r) *loc. cit. cap. VII. p. 607.*

s) *Cap. proximi superioris §. I. p. 172.*

t) *Anti-Bellarmin. Disp. XI. Thes. III. p. 542.*

v) *Thesaur. Ecclesiast. in voce ἄζυμος p. 105.*

x) *Tract. Theol. V. Disp. XVIIII. Thes. VI. Op. Tom. I. pag. 428.*

HERMANNVM WITSIVM, y) haud pauci in Latinis vltra vulgus ſapientes, qui a facto Chriſti, ſi vel maxime azymo coenam ſalutarem dedit, argumentum pro perpetua azymi ſanctitate ſumi poſſe pernegant. Non heri demum, aut nudius tertius id apparuit, quando IOANNES BONA, princeps eccleſiae purpuratus in epiſtola ad Mabillonium data prodidit: z) *a facto Chriſti argumentum deſumere nimis probat. Nam ſi ideo azymis vtendum eſt, quia Chriſtus in azymis inſtituit, quomodo eccleſia vſum fermentati orientalibus permittit?* Sed idem illud antiquitus publicis monumentis doctores Latinorum magnae auctoritatis mandarunt. Recte ALGERVS, a) *Chriſtum idcirco azymo vſum eſſe, quia alium non habebat, neque fermentatum prohibuiſſe.* Bene ac ſapienter, praeter ſaeculi ſui morem, GVIBERTVS ABBAS, Chriſtum in coena vltima azymis vſum eſſe, adſtruit, b) *quia alius panis non aderat, et Graecos conuenienti aut veriſimili ratione panes fermentatos poſſe defendere.* Quid vero ad hoc argumentum eloquentur, qui et in Graecis et in Pontificiis ipſis longe

y) *Oeconom. Foed. Dei cum Hom. lib. IIII. cap. XVII. §. VI. p. 685.*

z) vid. MABILLONII *Ouvrages Poſthumes Tom. I. p. 82.*

a) *de Sacrament. lib. II. cap. X. in Bibl. Patr. edit. Par. 1589. Tom. VI. p. 527.*

b) *Geſta Dei per Francos cap. II. Tom. I. pag. 472.*

aliud

aliud ſibi delegerunt, videlicet Chriſtum eo anno, quo animam integerrimam exhalauit, paſcha omnino agitaſſe nullum? Illi ex temporum rationibus, et dictis Scripturae ſacrae coniiciunt, deſideraſſe quidem Ieſum paſcha cum diſcipulis agere, et ideo illud in vrbe praeparari iuſſiſſe, ſed ſupplicio Iudaeorum impeditum, priusquam comprehenderetur, coenam illam Chriſtianorum nouam adornaſſe, et die proximo ſequenti, ſub cuius exitum demum paſcha celebrandum erat, in crucem actum exſpiraſſe. Quam eamdem viam a Graecis capite ſuperiore excitatis *c)* non neglectam, ſed patefactam ingreſſi ſunt ſcriptores Latini haud proletarii, HIERONYMVS VECCHIETTVS *d)* variis vel ideo caſibus iactatus, MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, *e)* NICOLAVS TOINARDVS, *f)* BERNHARDVS LAMYVS, *g)* atque AVGVSTINVS CALMETVS *h)* AGRA-

c) *Cap. VIII. §. I. p. 172. ſeq.*

d) in *Opere Chronologico de anno primitiuo lib. III. cap. XXXIII. ſequ. et lib IIII. cap. XXXV. p. 43.* vide ſupra *cap. VI. §. III.*

e) *de Republica Eccleſiaſt. lib. V. cap. VI. §. 273. ſequ. Tom. II. p. 207. et ſequent.*

f) *Harmon. Euangel. pag. 107. et in adnot. pag. 150. ſequ.* ac paſſim.

g) *Harmonie des Evangeliſtes ad Matth. XXVI.* et alia eius generis loca: nec non in *Traité hiſtorique de l'ancienne Paque des Juifs edit. Pariſiis 1693. p. 61.* vide eiusdem *lettre ſur la Paque pag. 26. ſequ. et 66.*

h) *Diſſert. ſur la derniere Paque de Jeſus Chriſt, et*

VESONIO *i*) MAVDVIT *k*) et SERRY *l*) viris itidem eruditissimis, multis praeterea ex infima doctorum faece, et accurate et acerbe refutati. Neque displicere eam statuendi regulam et modum summis sacrorum puriorum doctoribus, ipse documento est venerandus SALOMO DEYLINGIVS, *m*) cum quo faciunt GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNERVS, *n*) vir de re sacra optime meritus, et alii litterarum diuinarum interpretes. *o*) Etenim praeter eas rationes, quas modo adspersimus, quibus commentatio haec nititur, accedit haec non sane minor, quod, illa

Commentaire Litteral sur la Bible, Tomo. VII. p. 60. sequent. et *pag. 232. 776.* aliisque.

i) *Tract. de vita, mysteriis et annis Iesu Tom. II. Diss. XVIIII. pag. 38. sequ.* vbi ex instituto LAMYI nouum systema inuertere studet.

k) *Dissert. XXVIIII. et XXX. Analysi Euangel. suffixis.*

l) *de Christo eiusque virgine matre Exercit. LI. §. VI. sequ. pag. 354.* itemque *Dissert.* in fine voluminis nostri adiecta §. XXI.

m) *Obseru. Sacr. Tom. I. Obs. LII. §. XVII. p. 244. et Dissert. de Euch. Origine in Obseruat. Miscellan. §. XX. p. 230. sequ.*

n) *Breuiar. Controuers. cum Graec. Controu. X. pag. 229.* vide eiusdem *Biblia German. in not. ad Matth. XXVI. 21. XXVII. 62. Luc. XXII. 14. Io. XVIII. 28.*

o) *Cl.* OEDERVS *Obseru. Sacr. Syntagm. p. 750.* GVDIVS *Demonstr. Hermen. quod Christus in coena sua* ταυρωσίμω *agnum non comederit. §. XII. pag. 16. sequ.* conf. Cel. PERTSCHII Versuch einer Kirchen-Historie *Saec. I. Lips. 1736. cap. II. §. 54. p. 40. sequ.*

adsci-

adſcita, perappoſite euangeliſtarum, Ioannis inprimis loca, quae videntur reliquis eſſe contraria, ſibi reſpondent, ac pleraeque difficultates, quibus reliquae de paſchate vel cum Iudaeis celebrato, vel antecapto opiniones premuntur, haud aegre ſuperantur. *p*) Et ſane nullus dubito, quin maiori Latinorum cateruae, illa ſe argumentatio ſit commendatura, niſi de praeſtantia panis azymi contra Graecorum impetus munienda nimis eſſent ſolliciti. Namque vti cautus eſt vir alioqui doctiſſimus, IACOBVS HYACINTHVS SERRY, *q*) vbi nihil opus eſt, quando in ea profliganda, et hoc periculi inde enaſci, addit, *rectius eſſe in fermento ſacrificare?* Quam grauiter religione ſua in ritu medio, et, vel Latina eccleſia iudice, libero aberrat celeberrimus IGNATIVS HYACINTHVS AMAT. DE GRAVESON; *r*) qui eo etiam nomine inſtitutum illud ſibi probari negat, quod Graecis telum pro fermentato contra ſacrificium Latinum ſubminiſtret? Vereor ſane, ne nimis hic amori caerimoniae patriae doctores ceteroqui candidiſſimi indulſerint, cum exemplum Chriſti tam leui in re momentum aliquod habiturum eſſe et declarant,

p) vid. MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, TOINARDVS, CALMETVS, et LAMY iam ante in teſtimonium citati. *p. 231.*

q) *loc. cit. pag. 354.*

r) *Tractatus cit. pag. 43.*

et eius cauſſa, quicquid eſt, ſententiae contrariae valere iubent. At vero ſi firmo ſtant talo, vt mihi quidem videntur ſtare, quae contra adferuntur; nae ego vno eodemque lapſu omnia Latinorum munimenta imaginario Chriſti azymum conſecrantis exemplo vel adeo inſtituto fundata deorſum agi, ac ruina opprimi arbitror.

§. II.

§. II. Exemplum apoſtolorum et conſuetudo ab omni antiquitate acceptа.

Et metuo, ne eodem cadat, quando panis azymi conſecrandi morem a Chriſto ſcilicet ſtabilitum apoſtolos ſancte coluiſſe, et ad eccleſiam Chriſtianam, Romanam certe quaſi de manu in manum transmiſiſſe quidam comminiſcuntur. Mirifice profecto laetatur pontifex Romanus, LEO VIIII. ac triumphat, quod eccleſia azymorum vſum ad Petrum apoſtolorum, vt putat, principem Chriſtique vicarium referre poſſit, omnesque pro derídiculo habet, qui ritum illum vel digito attingere, eiusque venerandam canitiem inficere ac tantulum ei detrahere auſint. Hunc enim ad modum Cerulario ac Leoni, praeſulibus Graecis reſponſum dat: s) *Ecce iam poſt mille ac ferme viginti a paſſione Saluatoris noſtri annos, incipit per vos diſcere Romana eccleſia, qua-*

s) *Epiſt. aduerſus praeſumtiones Mich. Conſtantinopol. et Leonis Acridani cap. V. Concil. Tom. IIII. pag. 52.*

liter

liter memoria passionis eiusdem sit recolenda: quasi nihil ei contulerit praesentia, conversatio, et diuturna institutio, seu, qua clarificauit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus, filius Dei dicit: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non reuelauit tibi. - Non ergo t) *perpenditis quanta impudentia dicatur pater, qui est in caelis, abscondisse a principe apostolorum, Petro cultum siue ritum visibilis sacrificii?* Et capite epistolae eiusdem vicesimo v) vel ideo Latinos vocat *Petri familiariores discipulos, institutionisque eius deuotiores sectatores.* Cuius orationem tamquam ex oraculo editam sequuntur multi, x) qui a praesulis tanti effato discedere religioni sibi ducunt. Ita a Petro traditam azymo consecrandi rationem Romanae inprimis ecclesiae ciues antiquissimis temporibus secutos mordicitus tenuisse nonnulli ferunt, adeo, vt LEO, quem memorauimus, iisdem illis litteris perscribat, y) *innumerabilem vtriusque sexus et diuersae aetatis martyrum exercitum azymis Latinorum saginatum vniuersae idololatriae impetus fregisse.* Eamdem azymorum in ecclesia Latina antiquitatem, non veteres tantum, vt sunt HVM-

t) ibidem *cap. VI.*

v) *Concil. loc. cit. pag. 58.* BARONIVS *Annal. ad a. 1053. N. XXXIII. Tom. XI. p. 212.*

x) *Part. III. cap. III. §. V.*

y) *Cap. XXIIII. pag. 59.*

BERTVS,

BERTVS, Cardinalis z) DOMINICVS, patriarcha, *a*) DVRANDVS, *b*) BARLAAMVS, *c*) ſed etiam auctores aetate inferiores ſtrenue crepant ac loquuntur. Vtique IOANNES CIAMPINVS, *d*) IOANNES MABILLONIVS, *e*) nec vero non alii, iidemque acerrimi opinionis inde ab incunabilis traditae vindices patrum noſtrorum memoria in vſu azymi antiquiſſimo demonſtrando laborioſius, credo, quam felicius deſudarunt. Quorum labores ea de cauſſa ſuſcepti, vbi commodum erit, et ordo poſtulabit, in ſcena ponentur. *f*) Sed quod ad alterum attinet, Graeci vel omnino negant, apoſtolos vmquam azymo conſecraſſe, eumque morem propagaſſe, quam negationem eo conſtantius ſuſtinent, quo magis ſunt Latini ad contrarium docendum ab incorruptis veterum teſtimoniis deſtituti; vel eosdem il-

z) cuius ſcripta ſaepe cit. habentur in fine *Tom. XI. Annal. Baron. pag. 761. ſequ. et 796. ſequ.*

a) *epiſt. ad Petrum Antioch. azymum τῇ ἀποστολικῇ παραδόσει offerri* in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. T. II. p. 110.*

b) *Ration. diuin. offic. lib. IIII. cap. XXXXI. §. XI.*

c) *ad Graecos de vnione Biblioth. Patrum Max. Tom. XXVI. p. 6. ſequ.*

d) *Coniectur. de perpetuo azymi vſu in eccl. Lat. cap. III. p. 41.*

e) *Diſſert. de pane euchariſtico azymo et ferm.* quae in *Ouvrages Poſth. Tom. I. lib. II. p. 101. ſequ.* exhibetur

f) *Part. III. cap. III. §. I. ſequ.*

los a principio nascentis ecclesiae in Iudaeorum gratiam ad tempus nonnulla retinuisse, dicunt, quae deinde sensim paullatimque aliam dignamque nouo foedere faciem induerint. *g*) Ad alterum quod spectat, in alia omnia potius eunt, quam antiquitus azymum ab ecclesia vsurpatum fuisse dent, cuius natales multis saeculis ab apostolorum aetate distare commonstrant, vt supra ex NICETA SEIDO aliisque didicimus. *h*) Quam Graecorum responsionem concursus virorum doctissimorum in Latinis etiam adiuuat, qui de antiquitate panis non fermentati in mysterio vel aperte dubitarunt, vel adeo in sacris Latinis fermentato locum olim fuisse haud vano augurio coniectarunt, vt ex instituto singulari capite persequemur. *i*)

§. III.

§. III. Natura et significatio azymi optima, at fermentati mala.

Depulsi ab hoc praesidio panis sine fermento consecrandi propugnatores de aliis sibi auxiliis prospiciunt, et ex ipsa quoque azymi natura, ingenio ac significatione, quasi ex pharetra, tela in Graecos depromunt. Esse hoc, putant, purius alimenti genus prae omni fermentato dignissimum, quo corporis Christi divini puritas repraesentetur, et sacrificium

g) PETRVS ANTIOCH. in COTELERII *Mon. l. c. p. 132.* confer *Part. I. cap. I. §. I.*

h) *Part. I. cap. III. §. I. p. 32.*

i) *Part. III. cap. I. §. I. et IIII.*

fiat

fiat incorruptiſſimum. *Romana eccleſia,* ait GREGORIVS, *offert azymos, quia corpus ſumſit puriſſimum ex virgine. k)* ANSELMVS CANTVARIENSIS, *l) apertiſſimum eſt,* inquit, *quod melius ſacrificatur de azymo, quam de fermentato, - quia valde aptius et purius fit.* Neque aliter INNOCENTIVS: *m) vt nihil corruptum ſeu corrumpens, ſed totum ſincerum atque ſincerans in hoc ſacramento monſtretur, non fermentatum, ſed azymum conſecramus.* Quam eamdem puritatem PLATINA *n)* in rationibus numerat, quibus Alexander I. ad legem de azymo conſecrando promulgandam compulſus fuerit. Cum autem panem eiusmodi cuicumque fermentato eſſe per ſe anteferendum iudicant, *o)* tum multo

k) vid. *Acta conc. Flor. ab* HORATIO IVSTINIANO *edita P. II. Coll. XXII. N. V. p. 294.* conf. DOMINICVS apud COTELERIVM *Mon. l. cit. p. III.* τὸ ἁπλοῦν φύραμα τῶν ἀζύμων τὴν καθαρότητα τῆς ἀνθρωπίνης σαρκὸς, ἣν ἡ θεότης αὐτῇ ἑνῶσαι ηὐδόκησεν ἀναντιῤῥήτως παρίστησι· vide eamdem rationem in ſynodo Trullana prolatam *Part. I. cap. II. §. IIII. p. 26.*

l) Epiſt. CXXXIIII. lib. III. Tom. IIII. Op. p. 153.

m) de Myſterio Miſſ. lib. IIII. cap. IIII.

n) vit. Alex. I. p. 17. conf. ſcriptores *Part. I. cap. II. §. I. p. 17.* excitatos.

o) Fermenti naturam conſideranti primo, opinor, adſpectu patet natales eius ex farina eſſe repetendos, quae, vbi ad pultis modum aqua ſubacta eſt, putreſcit quaſi, dum partes eius diſſoluuntur, calore inflantur, atque exaceſcunt: vnde fit fermentum. de cuius natura vid. IO. BOHNII *Diſſert. Chymico-Phyſic. N. VIIII. pag. 251. ſequ.* · Similiter, quando ex furfuribus tritici minutis et muſto albo,

magis

magis primas ei deferunt, si scripturam sacram euoluunt, vbi non, nisi optimam eius esse notionem, ac singularem praestantiam palam elucere arbitrantur. In tanta azymi integritate, sinceritate atque illibato adumbratae sanctitatis nitore, non

vel alia eius generis materia massam farinaceam sufferuefaciunt, ex illa partium incalescentium immutatione, vel, si mauis, corruptione fermentum oritur. conf. PLINIVS *Hist. Natural. lib. XVIII. cap. XI.* Ad quam fermenti originem a putrore quasi deductam cum et hoc accedat, quod eidem vis farinam fermentandi macerandique inest; non est sane difficile diiudicatu, cur communi fere omnivm gentium consensu malarum potius, quam bonarum rerum sententia ac potestas fermenti voce comprehendatur. Docent id ipsum varii scriptorum non Christianorum, PLAVTI, PERSII, ac IVVENALIS loquendi modi, quibus animi tumidi, iracundi, irritatique adfectiones fermenti voce ac simulacro designant. Nec vero id non innuit lex antiqua Romanorum libris sacerdotalibus inserta XVI. quae farinam fermento imbutam flaminem Dialem attingere praecise vetat, obseruante AVLO GELLIO *Noct. Attic. lib. X. cap. XV.* Vnde facilis est coniectura, fermentum vel a paganis in rebus impuris ac corruptis fuisse habitum: cum ex ceteris quoque scitis constet, summam Romanos cautionem adhibuisse, ne quid vmquam corrupti manibus contingeret, vel quacumque ratione labem ex rebus superstitioni ipsorum contrariis contraheret. Augurium nostrum probat dilucide et explanat PLVTARCHVS, qui paullo aliter legem refert, *οὐκ ἐξῆν ἀλεύρου θίγειν, οὐδὲ ζύμης*, atque caussis de farina flamini non attrectanda expositis, reddit rationem de fermenti contactu similiter vitando: scilicet fermentum ex corruptione natum, et putredini quam simillimum massam, cui admiscetur, quo-

esse

esse ab re alienum, sed quam maxime accommodatum, idem panis genus Deo gratissimum mensae Christianorum omnivm lautissimae destinare: vt colligatio cum Christo et gente sua sine fuco ac fermento fraudis ostentetur, et Christianorum splendor incorruptus omnium oculis pateat. Idcirco praeter HVMBERTVM, p) ac BARLAAMVM q) RVPERTVS Abbas r) pronuntiat: *vt inter Christum, qui de massa peccatrice carnem sine peccato, tamquam azymum adsumsit de fermentato, et Christianum populum ita nequitiae nihil intersit, quomodo in azymo pane cum fermento et aqua nihil veteris massae aut alienae congestionis interuenit.* Cum igitur

dammodo corrumpere. Ἡ ζύμη, inquit, *γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτή, καὶ φθείρει τὸ φύραμα μεμιγμένη. Γίνεται γὰρ ἄτονον καὶ ἀδρανὲς καὶ ὅλως ἔοικε σῆψις καὶ ζύμωσις εἶναι.* *Quaest. Roman. Qu. CVII. Op. Tom. II. p. 289.* Nec meliorem fermenti significationem tot scripturae diuinae testimonia ac praecepta proloquuntur, ex cuius fontibus doctores Iudaici hauserunt, quod insitum in natura mortalium ac commune malum, vitiorum omnium fomitem fermenti voci denotant, et per שאר שבעסה perquam apposite יצר הרע exprimunt. vid. IO. BVXTORFII *Lexic. Chald. Talmud. in voce* שאר pag. 2303. Similiter vocabula חימוץ et סיאור non modo fermentationis, sed etiam acerbitatis, doloris, stultitiae et improbitatis significationem prae se ferunt. *Ibidem pag. 785. et 1414.*

p) *Dial.* apud BARONIVM *cit. loc. pag. 772.*

q) *Biblioth. Patr. Max. Tom. XXVI. p. 7.*

r) *de diuin. off. lib. II. cap. XXII. Op. Tom. II. p. 767.*

non

non ſine graui Dei conſilio olim certis temporibus panis fermentatus ex omni regione Iudaica exterminandus, et populus Dei ſacrificia ſine fermento facere iuſſus, atque in re ſacra fermentato vix ſemel, vt maxime, iterum locus erat: *s*) tum nec minus acceptum Deo, ſed pariter caſtiſſimo noui foederis myſterio conſonum aptumque eſſe iudicant, a ſacrificio corporis Ieſu fermentum arcere. Nihil enim ad azymi dignitatem fermentum, quod, ANSELMO, *t*) RVPERTO, *v*) STEPHANOque EDVENSI *x*) iudice, *numquam accipi in ſenſu bono*, vt multi rectius cenſent, plerumque corruptionis eſſe figuram, et raro boni quicquam ſignificare, *y*)

s) Erat quidem, cum fermentum quadam ex parte in ſacrificiis eucharisticis, *Leuit. VII. 13.* atque in primitiarum oblationibus *Leuit. XXIII. 17.* admitteretur; ſed praeterquam quod nec iſtius modi fermentum vſui ſacro dedicatum in aram Domini לריח ניחח erat offerendum, ex interdicto diuino *Leuit. II. 12.* tum vero in primitiis fermento imbutis per fermentum naeuos, quibus primitiae e Iudaeis et reliquis gentibus ad Chriſtum deducendae fuerunt adſperſae, non ſine myſterio, nec latenter ſignificari, viri erudiſſimi adnotarunt. vid. Celeb. CONRADI IKENII *Diſſert. de duobus panibus Pentecoſtalibus cap. VIII. §. XII. p. 91.*

t) *Libr. III. Dialogi contra Graec. cap. XV. et XVI. Spicil. D'Achery Tom. I. p. 202.*

v) *loc. cit. p. 766.*

x) *Tract. de Sacram. Alt. cap. XVII. Bibl. Patr. ed. Pariſ. 1589. Tom. VI. p. 584.*

y) HVMBERTVS *Dial. cit. pag. 773.* et 780. Confer, praeter IKENIVM modo laudatum, et FLA-

crebris ſermonibus ac diſputationibus vſurpant. Non igitur male in Graecos conuenire vſum panis fermentati MARINVS SANVTVS TORSELLVS z) auguratur, nimirum *ſatis congruo id myſterio illos agere, qui non epulantur in azymis ſinceritatis et veritatis, ſed in fermento malitiae et nequitiae, quod non expurgant.* Ac *tantis haereſibus Graeciam fermentatam eſſe*, ſcribit RVPERTVS, *a) vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat.* Vnde per contemtum et conuicium Graecos vocarunt *Fermentatos*, et licet ab his *Azymitarum* nomine notati male audirent, vt ex ſuperioribus eminet, *b)* tamen ſi a Graecis animus maledicendi, cuius potiſſimum ratio in iniuriis ponderandis habetur, abfuiſſet, tantum abeſt, vt vocem iſtam in probris numeraſſent, vt contra laudi ſibi duxiſſent et eſſe et videri azymitas, vel, quod eadem poteſtate pollet, *azymos*, quales PAVLLVS vult eſſe Chriſtianos. *c)* Equidem, vt, quod ſentio, prodam, quando in Pontificali codice

CIVM *Clau. Script. S.* in voce *Fermentum*, *P. I. p. 401.* PETRVM RAVANELLVM *Bibl. Sacr. Tom. I. p. 976.* BENED. ARETIVM *Probl. Theol. Loc. LXXXIII. Tom. I. p. 1011. ſequ. 1019. ſequ.* PETR. BERCHORIVM *Repert. Tom. III. p. 224.*

z) *Secret. Fid. Crucis lib. III. P. VIII. cap. I.* in *Geſtis Dei per Fr. Tom. II. p. 181.*

a) loc. cit.

b) P. II. cap. I. §. IIII.

c) 1. Cor. V. 7.

manu

manu exarato annorum ferme Iↄccc. Petrus *princeps omnium azymorum episcoporum sui subsequentium* nominatur *d*) per *episcopos azymos* non solum praesules incorruptos, vitae integros, scelerisque puros, vi vocis eodem modo a Paullo vsurpatae, innui, sed etiam antistites Latinos, qui Petri successores vulgo habentur, intelligi coniicio. Cum enim iam a saeculo vndecimo Latinis insederit, praesules iuxta, atque ciues ecclesiae Latinae tamquam *maximi Petri familiariores discipulos ac sectatores azymis semper memoriam passionis recoluisse, e*) non ego sane video, quid obstet, quo minus Petri successores ideo alicubi appellentur *azymi*, quod a *Fermentatis* seu Graecis in azymi consecratione fuerint, ex opinione quorumdam, iam inde a Petro distincti. Ac ne forte sit, qui occurrat ex aduerso, et vix credibile esse ducat ex eo, quod in Graecorum reprehensionem quam maxime incidebat, Latinos episcopis suis cognomen adoptasse, ab eo coniecturam nostram ANSELMI testimonio defendimus, qui Latinos Latinus contra pertinaciam Graecorum locutus aliquoties honoris caussa vocat azymitas. *f*) Quae cum ea

d) DV FRESNE *Gloss. Lat. Tom. I. p. 901.*

e) vid. LEONIS *VIIII. epist. aduersus praesumtiones Cerularii cap. XX. et VI. Concil. Tom. IIII. p. 58. et 52.*

f) *Lib. III. epist. CXXXIIII. Op. Tom. IIII. p. 154.*

mente attulerim, vt vel inde, quantum pretii pani azymo a Latinis ſtatuatur, liquido appareret, ne ad alia his finitima tranſeam, *g)* in orbitam redeo, et latiſſimum Graecis ad haec reſpondendi campum relictum eſſe profiteor. Reſpondet pro filiis multum a Graecis laudatus pater CHRYSOSTOMVS, *h*) qui longe aliis opus eſſe azymis docet: reſpondet pro fratribus LEO Bulgariae Archiepiſcopus *i*) Chriſtianos, qui circumciſione olim mandata feliciter careant, et ſpiritu Dei membra amputent, nihilo magis azymo pane aut Iudaeorum aut Latinorum indigere, quia mentem potius ab omni immundo nequitiae fermento, et maleficiorum faecibus immunem, illibatamque ſeruare ſtudeant: neque ideo in fermento iacere ori-

g) Ita LVDIGERVM, cuius mentionem *cap. IIII.* *§. IIII.* iniecimus *Sermones* ſacros, quos conſcripſit, a rerum iſthic traditarum praeſtantia ac ſanctitate *Librum Azymorum* appellaſſe haud obſcure patet.

h) Μὴ ζήτει ἄζυμα τοιαῦτα, ἐπειδὴ μηδὲ ἀμνὸν ἔχεις τοιοῦτον. Μὴ ζήτει ζύμην τοιαύτην, ἐπειδὴ μηδὲ τὰ ἄζυμά σου τοιαῦτα. in *1. Cor. V. Homil. XV. pag. 454.*

i) Οὐ δεόμεθα οὖν ὡς τέλειοι θείᾳ χάριτι, ὥσπερ οὐδὲ περιτομῆς σαρκικῆς, πνεύματι γὰρ τέμνοντες τὰ ἡμῶν πάθη, οὕτως οὐδὲ ἀζύμων δεόμεθα ὡς οἱ νηπιώδεις καὶ ἔκφρονες Ἰουδαῖοι, καὶ οἱ σύμφρονες τούτων Ἰταλοί, - - ὅτι πνεύματι φεύγομεν καὶ ἐν τούτοις τὸ δυσῶδες ἅμα καὶ δυσειδὲς τῆς Αἰγυπτιακῆς κακίας ἄθεον φύραμα. *Epiſt. III. de azymis* apud LEONEM ALLATIVM *de Conſenſ. lib. III. cap. XIIII. §. I. pag. 1163.* De cetero confer *capitis antecedentis §. IIII.*

entales,

entales, quod in mysterio Domini fermentum admittunt. Denique quod in verbo caelitus tradito res per se nec bonae nec malae, sed mediae sint figurae saepe vitiorum, aliquando tamen virtutum ac bonorum; atque adeo malae etiam res saepe numero optimarum rerum imaginem ac simulacrum quodam modo gerant; et nihil ex omni hoc argumentationis Latinorum genere contra panem fermento imbutum statuatur, METROPHANES CRITOPVLVS *k*) ostendit.

§. IIII.

§. IIII. Testimonia Scripturae Sacrae.

Latinorum copiae et hac velitatione non ita multum progressae tutissimum sibi receptum esse putant ad litteras diuinitus exaratas, omni hominum fide longe maiores. Confugisse video nonnullos ad ipsam legem Mosaicam, quae sacrificium sine fermento fieri mandat. *l*) Ad cuius praescriptum panem sine fermento in mensa mystica sacrae coenae Christianos offerre, iubet MAGNENTIVS RABANVS MAVRVS, *m*) vel si corruptus est eius locus, *n*) quicumque is fuit, qui eum corrupit aut interpolauit. Cum enim panem azymum in mysterio Christianorum con-

k) *Confess. Eccles. Orient. cap. VIIII. pag. 96.*
l) *Leuit. II. 11. VI. 17.* et saepe.
m) *de Instit. Cleric. lib. I. cap. XXXI. Op. Tom. VI. p. 12.*
n) vid. infra *Part. III. cap. III. §. IIII.*

secrandum esse docuisset, aperte subiungit: *quod autem panem sacrificii sine fermento esse oporteat, testatur Leuiticus capite VIII.* Nihil agent, qui illic de sacrificio veteris testamenti disseri, sed nec ad panem sacrae coenae concludi dixerint. Patet primo adspectu locum productum adeuntibus ex ipsa antiqui foederis lege necessitatem vsus azymi deriuari. GVILIELMVM etiam DVRANDVM a quibusdam huc referri video; *o*) verum ex mea quidem sententia is ex scitis Mosaicis id tantum eruit, Christum sine azymis pascha comedere haud potuisse: ex quo demum exemplo istiusmodi panis in eucharistia necessitatem quamdam lucere videt. *p*) Sed ne quid temere nullaque ratione Latinis adfingere voluisse videar, ad RABANI testimonium id adiungo, quod POLYDORVS VIRGILIVS *q*) Alexandrum I. consecrationem azymi decreto eo maxime fixisse, scribit: *quod Dominus per Mosen praecepisset, vt omnis oblatio absque fermento fieret.* Quae res vtcumque se habeat, vera falsa sit, nihil hic moror; id autem haud latenter inde apparere existimauerim, in rationibus ab azymo stantibus a Latinis, minimum a POLYDORO

o) vid. IO. GERHARDI *Confess. Cathol. lib. II. P. II. Art. IIII. cap. VI. p. 1160.*

p) *Ration. diuin. offic. lib. IIII. cap. XXXXI. §. VIIII.*

q) *de Rer. Inuent. lib. V. cap. X. p. 438.*

VIR-

VIRGILIO, et hanc ex Mosis praeceptis decerptam, fuisse numeratam. Equidem haud inuitus fateor, perpaucos esse, qui armis huius generis instructi contra Graecos in aciem prodierunt: quod indicio est, quantopere ipsi Latini pharetrae eiusmodi ex armamentario Iudaeorum conquisitae diffidant. Interim plures olim in disceptationibus illud etiam argumentum circumtulisse facile mihi persuaderi patior, propterea, quod Graecorum antiquorum cum Latinis conflixisse animaduerto ferme neminem, quin cum reliquis et hoc praeposterum Mosi obtemperandi studium securi subiecerit. r) Praeterea, cum Christum azymo conuiuium salutare instituisse plerique Latinorum opinentur, fuerunt non nulli, in quibus est ANSELMVS HAVELBERGENSIS, s) qui verbis Christi: *Hoc facite* azymum rectius consecrari decernerent. Verum tamen haud paullo maior nubes ad orationem Paulli, tamquam ad aram, conuolat, qua parum fermenti omnem massam fermentare docet, t) et fermentum eiici Christianosque ab omni labe puros ac sine fermento esse iubet. Nostrum enim pascha esse Christum nostri caussa immolatum, propterea diem festum agendum esse non sane inueterato

r) *Cap. praeced.* §. *V.*

s) *Dialog. contra Graec. lib. III. cap. XV. in Spicil.* D'ACHERY *Tom. I. p.* 202.

t) *1. Cor. V. 6. sequ. Gal. V. 9.*

et insito nequitiae fermento, sed pane ab omni fermenti accessione libero, hoc est, sinceritate ac veritate. Hic vero DVRANDVS, *v*) LEO VIIII. *x*) et IACOBVS DE VITRIACO *y*) azymi panis vsum in sacra coena vel praecipi, vel certe de meliori commendari adseuerant. Sub initium controuersiae motae in eodem dicto Graecis obganniendo vsque eo vehementes Latinos fuisse, CERVLARIVS *z*) queritur, vt sanctissimo huic oraculo ad orientalium contumeliam manum sacrilegam, ac vim inferre haud dubitarint. Etenim cum in reliquis voluminibus habeatur: *parum fermenti omnem massam* ζυμοῖ, id est, *fermentat*; Latinos, ait, eius loco ponere φθείρει, seu *corrumpit*. Accidit sane, nescio, quo casu, vt vulgata Latinorum versio in epistola ad Corinthios pariter, ac Galatas data vocem *corrumpit* de fermentatione vsurpet, cum in exemplaribus Graecis tantum non omnibus vox ζυμοῖ *fermentat* appareat, et extra STEPHANI CVRCELLAEI

v) *Ration. diuin. offic. lib. IIII. loc. cit.*

x) *epist. ad Cerul. in Baron. Annal. ad. a. 1054. N. XIII. Tom. XI. p. 220.*

y) *Hist. Hierosol. lib. I. cap. LXXIIII. in Gestis Dei per Fr. Tom. II. p. 1091.*

z) *epist. ad Petrum Antioch.* κακῶς τὸ ἀποστολικὸν ἐκεῖνο ῥητὸν ἐκλαμβάνοντες τὸ φάσκον· μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, οὕτως ἐκεῖνοι γεγραμμένον ἔχουσι· μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα φθείρει. in COTELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. II. p. 142.* vid. COTELERIVS *in notis* ibidem *pag. 584.*

editio-

editionem, quae praeter auctoritatem antiquiorum, loco *ζυμοῖ, δολοῖ* seu *falsat* scripsit, vix vsquam alia vox inueniatur. Ad quod accedit, quod in locis illis explanandis doctores Graeci non sane de corruptione, sed aliis fermenti adfectionibus loquuntur, *a*) Latini contra in describenda eius vi corrumpendi sunt multi ac facundi. Quod tamen ad inuidiam Graecis conflandam Latinos fecisse non equidem dixerim, quoniam a saeculo demum decimo contentio de azymis ecclesiam vtramque distraxit. Ceterum scripturae dictis ad panis fermentati contemtum abutentibus occurritur LEONIS, Bulgariae antistitis responso, quod aliquanto ante adduximus, *b*) nec esse eiusmodi digladiationis genere viam in aduersarios adfectandam plerique etiam Romanae ecclesiae ciues ingenua fronte profitentur. *c*)

§. V.

§. V. Vna vnius ecclesiae Romanae auctoritas.

Multo iactantius, nisi animum fallunt omnia, agunt, qui vniuersis Graecorum inuasionibus atque oppugnationibus vnam ecclesiae Latinae auctoritatem e regione

a) vid. vel CHRYSOSTOMVS *ad 1. Cor. V. Hom. XV.* vbi id tantum adfert, quod *ζύμη ὅλον τὸ φύραμα πρὸς ἑαυτὴν μεταβάλλει p. 453.* et quod lex Mosaica eiusdem vsu Iudaeis ad tempus interdixerit. *pag. 454.*

b) *§. III. anteced. in not. i.*

c) *Cap. huius §. I.*

ponunt, ad quam tamquam ad propugnaculum arcemque inaccessam confluunt. Quibus id sollemne est, vti pro ratione stet voluntas, isti omnem contrauenientium impetum non tam frangunt ac sustinent, quam eludunt, nodumque Gordium non dissoluunt, sed discindunt. Ad eorum ordinem LEONIS VIIII. Romanorum Pontificis litterae, quas ad Michaëlem Cerularium et Leonem Acridanum dedit, *d*) rescribunt. Isthic, dici non potest, quam magnifice de illibata ecclesiae sibi creditae integritate, de potestate nullis limitibus circumscripta, de ritibus a Christo, et apostolis, quasi hereditate relictis sentiat, quam late inflateque loquatur, vt tanta vicarius Christi imaginarius auctoritate, ne dicam magniloquentia Graecorum vim retundere voluisse haud immerito videatur. Neque minor est, quae RVPERTO surgit, crista, vtpote qui tantos sibi spiritus tantamque arrogantiam sumit, vt vel solam ecclesiae Latinae institutionem satis momenti habere, sibi persuadeat, ad Graecos de errore arguendos. *Tantae*, ait, *e*) *sinceritatis semper fuit S. Romana ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Graecos*

d) *epist. aduersus praesumtiones Cerularii Cap. V. Concil. Tom. IIII. p. 52. sequ.*

e) *Diu. Offic. lib. II. cap. XXII. Op. Tom. II. p. 766.*

sufficere

ſufficere debeat eius auctoritas. Nam Conſtantinopolitana non ſolum haereticos, ſed et haereſiarchas protulit multos; Roman vero eccleſia, ſuper apoſtolicae fidei petram altius fundata, firmiter ſtetit, et tam Graeciae, quam totius orbis haereticos ſemper confutauit, et de excelſo fidei tribunali data ſententia iudicauit. Quae tumidiora RVPERTI verba laude adficit BARONIVS, *f*) qui argumenta Graecorum contra azymum *inania, vana, falſa, ridenda potius, quam confutanda* ducit, *vt ex iis potius Romanae eccleſiae ſinceritas demonſtretur, et praedicetur integritas, quam erroris labe aliqua oſtendi poſſit adſperſa. g*) Ita nominis Latini famam et hoſtis ſemper inuicti conſpectum Graecos nec ferre poſſe, nec finem vllum alium belli, quam victoriam noſſe pontifices Romanos inſolentius praedicat. Fac haec ita certa ac fixa eſſe, vt ea eſſe putant; palma in certamine Latinis ſolis in medio ponitur: neque eſt, quod ancipites concertationis caſus Latini pertimeſcant, cum in anguſtias compulſis tutiſſimus ad eccleſiae ſuae auctoritatem receptus numquam non pateat. Concedant igitur Graeci tantum eſſe eccleſiae Romanae robur? manus illico dandae, compedes habendae, victi vinctique ducendi erunt. In dubium vocent? maximis conatibus inuictiſſimisque laboribus

f) *ad a. 1054. N. XXXVII. Annal. Tom. XI. p. 227.*
g) ibidem.

nihil

nihil agent. Neque enim Latini ex hoc vmquam propugnaculo sese deiici patientur; sed si fluctum aduersariorum irruentium sustinere nequeant, in collibus Romae delitescent. Egregia vero est ista conflictus ratio, quam vel in caussa hac leuissima praeter omnem necessitatem tantos belli duces iniisse, non possum non mirari. Adeo est, ratione, quam auctoritate superare laudabilius: caussis, quam praesumtis opinionibus vinci conuenientius.

PARS III.

DISSIDIA OCCIDENTALIVM MVTVA DE AZYMO ET FERMENTATO.

CAPVT I.

CONTENTIONES PONTIFICIORVM HAC DE CAVSSA INTER SE.

§. I. Contentionum origo.

§. I.

Vix dum siluerant aliquantum, quae Graecis cum Latinis adhuc intercesserant, certamina: vix aures mutuis conuiciis defessae a diuturno controuersiae nostrae strepitu conquieuerant; cum inter viros eruditos sacris Romanis imbutos non leuis disiunctio ex hac ipsa caussa sub-

ſubnaſceretur. Cuius diſſidii hiſtoriam, tum quod promiſſis ſtandum, tum quod eſt ea vel maxime huius loci, exponemus: neque Latinorum ſolum, ſed etiam aliorum, qui ſe concertationi huic admiſcuerunt, calculos adiiciemus. Quod vbi fecerimus, ad eos etiam, qui ſacris Reformatae religionis addicti ſunt, nos conferemus, eorumque bellum azymo indictum, pro eo, ac debemus, perſequemur. Oppoſuiſſe Latinos Graecis fermentati panis conſecrandi antiquitatem praedicantibus, conſuetudinem a Chriſto et apoſtolis ad eccleſiam Latinam antiquitus tranſmiſſam, azymum in epulis ſanctiſſimis mandendi, paullo ante intelleximus: *h)* Graeci contra ritus huic contrarii aetatem ab eadem ſtirpe deriuatam per omnia ſaecula deducebant. *i)* Haec ſententiarum vtrimque pertinaciſſimarum diſcrepantia tanti videbatur viris cordatioribus, vt quaſi igniculis quibusdam inflammati, abiectis, quas a puero imbibebant, praeiudicatis opinionibus, in rei veritate eruenda, et ad liquidum exploranda ſollicitius elaborarent. Hoc ſtudio impulſi vtriusque fundamentum in veterum monumentis diligenter perſcrutati, dum omni acie ingenii anquirunt, veſtigia quaedam adhibiti olim in epulo ſacro panis fermentati odorari, certe de panis non

h) vid. *Part. II. cap. VIIII. §. II.*
i) *Part. II. cap. VIII. §. II.*

fermen-

fermentati vſu perpetuo ſubdubitare. Permouebantur ſane CLAVDIVS ESPENCAEVS *k*) et LATINVS LATINIVS *l*) reperto in ſcriptis antiquiſſimis nomine fermenti, *m*) vt eadem voce euchariſtiam ſignificare ſtatuerent, quamquam fermentum antiquitus pani euchariſtico fuiſſe admixtum, inde emergere pernegabant. Audacius viam ingreſſus IACOBVS SIRMONDVS, vt erat in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimus, ita in excutiendo illo argumento facile omnes poſt ſe reliquit. Singulari enim diſſertatione, Pariſiis, anno CIↃIↃCLI vna cum *hiſtoria poenitentiae publicae*, euulgata, et poſtea opuſculis eius variis inſerta *n*) perpetuum azymi panis vſum in eccleſia Latina non modo impugnauit, ſed etiam per multa ſaecula a morte Chriſti, non niſi fermentato pane etiam Latinos euchariſtiam celebraſſe docuit. *o*) Quae ſtatuendi ratio ad hoc tempus inter

k) *de Adoratione Eucharistiae lib. II. cap. IIII.*

l) *epiſt. ad Antonium Auguſtin. Epiſt. et Obſeruat. Tom. II. edit. Rom. 1659. p. 167. ſequ.*

m) vid. *cap. II. prox.* §. *IIII.*

n) *edit. Pariſ. a. 1675. Tom. III. pag. 97. 138.*

o) In praefat. *Diſquiſitionis de azymo* ipſe SIRMONDVS pronuntiat: *mihi vero etſi conſultiſſime ad azyma tranſiiſſe Latinam eccleſiam non ambigo, ſerius tamen hoc egiſſe, multisque antea ſaeculis fermentato vſam eſſe, perſpicue adeo demonſtraſſe hic libellus videtur, vt de tua, Lector, aequiorumque omnium approbatione non diffidam. Opuſc. Var. loc. cit. p. 95.*

Lati-

Latinos in omni memoria inaudita, et ab homine Latino vix exſpectanda, aliis, iisque eruditiſſimis viris campum oſtendit, in quo magna cum libertate extra cancellos opinionum patriarum excurrerent. *p*) Princeps in hanc Sirmondi ſententiam pleno gradu abiit pater eccleſiae Romanae purpuratus, IOANNES BONA, eamque publicis ſcriptis defenſitauit. *q*) Vtique animaduerto virum hunc illuſtrem plane cum Sirmondo ſentire in ſcriptis Liturgicis, nec ouo ouum eſſe ſimilius, quam ſententiae Sirmondi eſt Bonae opinio. Quod quidem magnae eruditorum multitudini, atque adeo MABILLONIO *r*) reclamat, qui, in opere etiam Liturgico, Bonam aliquantum a Sirmondo diſceſſiſſe, et promiſcuum vtriusque panis vſum in Latinis antiquitus obſeruatum tradidiſſe, qua erat modeſtia, ne Sirmondum refutaturus ipſum quoque Bonam refellere voluiſſe videretur, perſcripſit; ſed obuiis, credo, vlnis adſertioni noſtrae accedet, quicumque vel feſtinantibus oculis Bonae ſcriptum perluſtrauerit. Eloquitur ſane BONA in ipſo loci illius limine, quid ſen-

p) *Journal des Sçavans pour l' anneé 1697. Tom. XXV. pag. 20.*

q) *Rerum Liturgicar. lib. I. cap. XXIII. edit. Col. Agrip. a. 1674. p. 354. ſequ.*

r) vide *Ouvrages Poſthumes de D. Jean Mabillon à Paris. 1724. Tom. I. lib. II.* in Prologo *Diſſertationis, de pane eucharistico azymo et fermentato pag. 102.* et *Diſſertat. eiusdem cap. V. p. 127.*

tiat.

tiat. *Putat Sirmondus*, ait, *s*) *vsum fermentati in ecclesia Latina ab ipso susceptae religionis exordio coepisse, et multis exinde saeculis perstitisse. Et mihi quidem hoc valde probabile visum fuit, priusquam ipsius tractatum vidissem: et in hac sententia confirmatus sum, cum rem ipsam intimius perlustraui. Non ita tamen illi adhaereo, quin paratus sim certiora docentibus statim ex animo consentire.* Postea adlatis confirmatisque vberius Sirmondi argumentis pro antiquissimo fermentati vsu in ecclesia Latina, mentem suam planissime denuo exponit: *t*) *Si quis haec attento animo, et a praeiudiciis libero percurrerit, fatebitur, ni fallor, azymorum vsum non semper exstitisse in ecclesia occidentali: tum etiam agnoscet, multa ab hodiernis ritibus prorsus diuersa olim viguisse.* At enim vero, variis ex hoc fonte emanantibus turbis, vt motus animorum concitatorum aestuantes compescere, orationem hanc suam BONA paullulum immutauit, et, medio quasi cursu obseruato, temperamentoque inuento, apud Latinos olim aliquando etiam azymo, plerumque tamen fermentato locum fuisse, in monitione operi Liturgico praemissa, et litteris aliquot ad Mabillonium datis *v*) haud obscure declarauit.

s) *Rer. Liturg. loc. cit. pag. 359.*

t) ibidem *p. 386.*

v) quae in *Ouvrages Posthumes cit. pag. 82. 89. 95. et 98.* exhibentur. Ceterum eamdem sententiam

Non

Non probabantur haec omnia in vulgus Latinorum, eorum in primis, qui caerimonias etiam a Chriſto quaſi de manu in manus ſibi datas eſſe ſomniant, quibus nihil prius, nihil antiquius eſt, quam ritus, quicumque ſint, habere antiquos. Idcirco viri ceteroqui doctiſſimi et ab hoc vulgi more quam maxime remoti, tamen pro communi et inueterata ſententia eſſe ſibi decertandum rati, ad ſuffulciendam ſacram panis non fermentati antiquitatem de praeſidiis ac munimentis, qua poterant ſollertia, ſibi proſpexerunt. Prae reliquis id vnice egit CHRISTIANVS LVPVS, *x*) vti contra Sirmondum pro communi Latinorum adſertione loqueretur. Sed vicit hanc eius induſtriam IO. MABILLONIVS, in hoc ſtudiorum genere longe omnium verſatisſimus. Is peculiari opuſculo, *y*) quod *de pane euchariſtico azymo, ac fermentato* inſcripſit, primum probat, Latinos in re diuina facienda iam inde ab antiquisſimis ſaeculis etiam ante Photii tempora vulgo fuiſſe azymo delectatos:

Graecis quibusdam adriſiſſe infra aperiemus, *Part. III. cap. IIII. §. II.*

x) vid. *Diſſert. de Leonis VIIII. Actis aduerſus Cerul. cap. VIII. in Concil. a* CHRIST. LVPO *edit. Venet. 1725. Tom. IIII. p. 323. ſequ.*

y) *Diſſertatio de pane euchariſtico azymo ac fermentato* prodiit *Pariſiis, a. 1674.* nec etiam non immiſſa eſt MABILLONII *Ouvrages Poſthumes Tom. I. lib. II. p. 101. ſequ.* qui integer liber II. *lettres et ecrits ſur la queſtion des azymes* complectitur.

R deinde

deinde argumenta a Sirmondo in contrarium adlata panem fermentatum a Latinis vmquam consecratum penitus euincere infitiatur. In quae membra suam ipse dissertationem dispescuit. z) Ad extremum omnibus fere Europae regionibus ritum azymi antiquitus fuisse proprium sigillatim monstrat. a) Quam eamdem sententiam aliis quoque in locis propugnauit, quam potuit, fortissime. b) Neque vero sibi in hac caussa tacendum putabat IOANNES CIAMPINVS, a praesidiis et eruditionis et librorum quam maxime instructus; sed in publicum progressus disceptantium choro sese immiscuit, libroque *de perpetuo azymorum vsu in ecclesia Latina vel saltem Romana* publici iuris facto, c) ecclesiam Romanam conuiuium caeleste a morte Christi nullo non tempore panibus azymis apparasse per singula saecula ostendit, et contra Sirmondum ac Bonam magno conatu stetit. At LVCAE HOLSTENIO, communis Latinorum opinionis approbatori Ildefonsi cuiusdam testimonium d) tanti videbatur, vt

z) *loc. cit. pag. 103.*

a) *Cap. VIIII. Differt. cit. pag. 155.*

b) vid. *Praef. Saec. III. Benedict. §. XXXXIIII. p. 45. sequ.*

c) *Coniecturae de perpetuo azymorum vsu in ecclesia Latina vel saltem Romana*, edit. Romae 1688. vbi vide in primis *cap. III. pag. 41. sequ. et cap. VI. p. 134.*

d) vid. infra *Part. III. cap. III. §. IIII.*

eius

eius auctoritate ac fide permotus contra Sirmondum dicere constitueret. *e*)

§. II.

§. *II.* *Turbae inde enatae.*

Diuisis, quemadmodum dixi, Latinorum sententiis, varie est vltro citroque disceptatum. Neque defuerunt sui cuique et adscriptores et aduersarii. Non erit, opinor, quisquam, quin, me non monente, facile intelligat, adstipulatores quam plurimos accessisse MABILLONIO et CIAMPINO, qui pro ritu azymi antiquissimo pugnantes, defensores antiquae fidei ac religionis esse vulgo credebantur: infestis contra signis in SIRMONDVM ac BONAM, qui venerandam panis eiusmodi canitiem conuulserant, illatos fuisse quam plurimos. Testis est MABILLONIVS, commotos ac perturbatos fremuisse multorum animos, cognita hac BONAE sententia, rei nouitate vel, vt verius dicam, indignitate attonitos, *quasi nefas esset tantisper recedere a communi recentiorum opinione, qui azymorum in Latina ecclesia perpetuum vsum non secus ac dogma catholicum defendunt. f*) Ei rei quoque indicio est, praeter eas litteras, quas ad Mabillonium BONAM dedisse diximus, *Monitio*, quam ea de caussa diuulgauit. *g*)

e) IO. FRANC. BVDDEI *Parerg. Historico-Theol. Praef. p. 19.*

f) MABILLONIVS *loc. cit. pag. 103.*

g) Praefixa est *operi Liturgico edit. Colon. Aprip. a. 1674.*

Ad hunc enim modum illic: *Vix emerſit e prelo hic liber, cum ſtatim intellexi, diſplicuiſſe nonnullis rem non ſatis intelligentibus, aut in ſenſum a me alienum detorquentibus: quod Lib. I. Cap. XXIII adſerui, vſum fermentati diu viguiſſe in eccleſia Latina. Viſum igitur eſt mihi, omnem ſcrupulum e mentibus illorum tollere, et ſtatum controuerſiae clarius explicare.* Et fuiſſe potiſſimum imperitos, quibus illa diſplicerent, documento ſunt verba Quintiliani, quibus obtrectatorum ſuorum inſcientiam in fine monitionis, quaſi aculeo, pungit: *felices artes, ſi de iis ſoli artifices iudicarent.* Quam mentis ſuae explicationem, argumentis quibusdam auctam, et quadam ex parte mitigatam quamtumuis publice BONA redderet, querelas progreſſionibus vſas repreſſurus, ne quicquam tamen omnem poni operam intelligebat. Itaque maioribus turbis viam praecluſurus idem argumentum retractare conſtituit, et retractaſſet, vt MABILLONIVS refert, *b*) niſi negotio turba obſtitiſſet. In his azymi defenſoribus, Sirmondi Bonaeque aduerſariis iuſto obſtinatioribus, eminuit FRANCISCVS MACEDO quidam, ordinis Franciſcani homo, qui Bonam libro, qui *Azymus Euchariſticus* inſcribitur, grauiſſime perſtrinxit ac pro perpetuo azymorum vſu, tamquam pro fanis ac delubris decertauit. Cuius ne obſcura ſit vehementia

b) *loc. cit.*

qua

qua in Sirmondum et Bonam vſus fuit, adferam, quae ipſe MABILLONIVS ex eius volumine produxit, pauca verba: *i*) *Huic ſe nubi teſtium Sirmondus oppoſuit, cui tamen vni maluit Liturgicus adhaerere, quod ille iactabat antiquitatem, ex qua nihil praeter ſitum et puluerem collegit, non antiquarius, ſed antiquandus. Venditabat fumos, lucem credidit Liturgicus: fumos emat, qui fumos vendit.* Indigne hoc tulit vel ipſe MABILLONIVS, quantumuis a Bona in hac cauſſa multum diſſideret, et MACEDONIS furorem in Sirmondi ac Bonae ſententiam integro diſſertationis, quam adduximus, capite *k*) fregit et concuſſit. Sed BONA, credo, quod vulgo diſplicere, et aduerſarios male ſanos contemtu ac magnanimo ſilentio potius, quam concertationibus vincere, ſapientis eſſe duceret, partes illas Mabillonium, vel quemquam in ſe ſuſcipere, abnuit. Itaque cum diſſertationis illius exemplum a Mabillonio transmiſſum, antequam prelo committeretur, perlegiſſet, vehementem in modum data ad Mabillonium epiſtola *l*) rogat, velit integrum caput XII. quod Macedonis temeritati occurrebat, expunctum abſcindere. Si enim vel maxime homo iſte dignus ſit nota cenſoria, at indignum tamen eſſe, qui a Mabillonio, hoc

i) *Diſſert. cap. XII. p. 179.*
k) Eſt hoc *Caput XII. loc. cit. pag. 176. ſequ.*
l) in *Ouvrages Poſthumes Tom. I. L. II. p. 98.*

 eſt,

eſt, viro ſummae doctrinae ac famae refutaretur. Neque tamen ipſi Romae, azymorum commendatrici fideliſſimae, et caerimoniarum huius generis parenti ac patronae certiſſimae tanta Macedonis vehementia ſe probauit, ſed Franciſcani liber in numerum prohibitorum librorum de communi patrum grauiſſimorum conſilio relatus eſt, quod futurum MABILLONIVS praeuiderat. *m*)

§. III. Odia in Sirmondi ac Bonae ſententiam.

§. III.

Suppreſſo Macedonis intempeſtiuo furore, neutiquam aliorum in hanc ſententiam odia deferbuerunt. Plerique enim, vt ſunt Latini rituum a maioribus acceptorum ſupra, quam cuiquam credibile eſt, ſtudioſi, Sirmondi Bonaeque inſtitutum non pro falſo modo, ſed adeo pro impio et magnis piaculis luendo habuerunt. Bonam ſane, quamquam in illuſtri gradu atque ordine purpuratorum curiae Romanae collocatum, admodum exercuiſſe ideo non ſimultates, ſed aperta vulgi conuicia, modo ex Mabillonio didicimus. Sed fuerunt nonnulli, neque illi quidem ex infima faece populi Latini, qui tantam temeritatem Bonae a Deo

m) *Nec me feſellit iudicium: nam vt paucis abhinc diebus certo didici, P. Macedonis libellus in indicem librorum prohibitorum relatus eſt, decreto ſacrae congregationis Cardinalium a. 1674.* (ita enim legendum eſt) *quo haec ſcribo. Diſſert. cit. pag. 177.*

morbo

morbo ac morte vindicatam esse, sibi aliisque persuaderent. Quam in sententiam vnum ex omnibus audire iuuat NICOLAVM COMNENVM, Papadopoli Cretensem, Abbatem ac Doctorem Theologum. Is, in conflictu cum Graecis ad consensum Latinorum in impugnata azymi panis antiquitate prouocantibus, scriptum reliquit, *n*) addere Graecos auctoritatem *recentioris cuiusdam, cuius nomini*, inquit, *parco, quod mox vt gentis nostrae hostis ex merito vapulabit. Hunc si excipias ausum longa dissertatione adeo male doctorum hominum auribus excepta, vt letalem auctori aegritudinem fecerit, ex qua dicitur obiisse, probare per mille annos Latinam ecclesiam in fermentato operatam:* et quae sequuntur. Tangi hic haud leuiter Ioannem Bonam facile emergit, et dubio caret, si locus ille recentioris ad latus a COMNENO adscriptus, *o*) qui omnino est Bonae, consideretur. Quae voces sunt indices animorum in eam sententiam ira flagrantissimorum. Id omnino certum, quantumuis leuis sit haec a vulgo Latinorum disiunctio, tamen doctos etiam Latinos, qui mollius loqui laudi sibi ducunt, plerumque adfirmare, eam nec ferendam esse, neque adeo defendi posse. *p*)

n) *Praenot. Mystagog. Resp. III. Sect. V. §. X. pag.* 177.
o) ad marginem adiecit: *Liturgic. lib. I. sequ.*
p) *cette opinion n'est point soutenable.* MAIMBVR-

§. IIII.

§. IIII. Sententiae Sirmondi et Bonae approbatores Latini, aliique.

Non defuerunt tamen Sirmondo ac Bonae adſenſores, Bonaeque in primis rationem non illam quidem priorem, ſed poſteriorem quaſi mediam tutiſſimamque, praecipuarum religionum homines doctiſſimos video ſecutos. Qui CALVINI inſtituta ſectantur, Sirmondo ac Bonae animis libentiſſimis ſubſcribunt, et vel ideo eos collaudant, quod IOANNEM DALLAEVM, qui Sirmondum *virum non modo eruditionis immenſae, ſed etiam ſummi candoris nomine celeberrimum* ea de cauſſa vocat, *q*) SAMVELEM BASNAGIVM, *r*) IACOBVM BASNAGIVM *s*) MATTHAEVM LARROQVANVM *t*) et FRIDERICVM SPANHEMIVM *v*) ſignificantius feciſſe invenio. LVTHERI doctrinam amplexi non minore numero in eam partem propendent, et Sirmondi quidem viam ingrediuntur IOBVS LVDOLFVS *x*) et IO. ANDREAS SCHMIDIVS, *y*) viri laudatiſ-

GIVS in *Hiſtoire du ſchiſme des Grecs lib. III. Tom. I. p. 297.*

q) *de Cult. Relig. Latin. libr. III. cap. I. p. 286.*

r) *Annal. Politico-Eccl. Tom. II. p. 226. ſequ.*

s) *Hiſtoire de l'Egliſe Libr. XIIII. cap. III. Tom. II. p. 829.*

t) *Aduerſ. Sacr. lib. II. cap. I. p. 213.*

v) *Hiſt. Chriſt. ad Saec. II. III. ſequ. Op. Tom. I. p. 623. 721.* et ſaepius.

x) *Hiſt. Aethiop. lib. III. cap. VI. §. VIII.*

y) *Diſſert. de Oblatis Euchariſt. Helmſt. 1702.* iterum 1727. *§. IIII. p. 9. ſequ.*

ſimi.

ſimi. IO. FRANCISCVS BVDDEVS, cum antea pro certo habuiſſet, in eccleſia Latina ſemper obtinuiſſe panes non fermentatos, idque *Orthodoxiam et inuictam rei veritatem ſuadere*, haud paullo confidentius ſcripſiſſet, z) ſtilum poſtea vertit, probeque ſubductis calculis, quam mutauerit mentem, alio loco *a*) ingenua fronte exponit. Sed, quae eſt ferme humani ingenii vel praeſtantiſſimi pertinacia, de errore manifeſto confiteri cum animus ipſi eſſet, vela retrorſum daturus, parum abeſt, quin in easdem ſyrtes rediret. Certe ieiunis etiam exilibus atque iampridem fractis argumentis, in meliorum inopia, priſtinam de antiquitate azymi opinionem vir ſummus tueri idemtidem nititur. *b*) At ne plures nominatim producam, vnus inſtar omnium erit vir vt doctrinae laude, et meritorum in rem ſacram gloria, ita veritatis indagandae ſtudio inſignis SALOMO DEYLINGIVS, *c*) qui vel eo nomine laude dignos iudicat Sirmondum ac Bonam, quibus ipſe eadem in re vtroque, quod dicitur, pollice

z) *Diſſ. de Symb. Euchariſt. §. VIII.* in *Parergis Hiſtorico-Theol. p. 17.*

a) *in praefat. ad Parerga cit. p. 13. et Inſtit. Theol. Dogm. lib. V. cap. I. §. XIIII. p. 1156.*

b) ibidem.

c) *Inſtit. prudent. paſtoralis Part. III. cap. V. §. XVII. p. 467.* itemque in *Diſſert. de origine Euchariſtiae ex form. Iud. non repetenda §. XXI. p. 27.* nec non *diſſert. III. de S. Euch. §. IIII. p. 94. ſequ.*

 fauet,

fauet. Sed in numero Latinorum etiam ſunt multi, iique praeſtantiſſimi ſcriptores, qui iisdem veſtigiis inſiſtunt. Ne tamen verum non fatear, plerique omnes non tam Sirmondum, quam Bonam ſecuti, priſcis ſaeculis promiſcue nunc azymo, nunc fermentato pane, fermentato tamen ſaepius conſecratum eſſe autumant. In eam claſſem referamus, licet, EMANVELEM SCHELSTRATIVM *d*) ANTONIVM PAGIVM *e*) IOANNEM LAVNOIVM, qui ipſam Sirmondi ſententiam ſingulari diſſertatione, defendit, *f*) LVDOVICVM THOMASSINVM, g) AVGVSTINVM CALMETVM, *h*) IGNATIVM HYACINTHVM GRAVESONIVM *i*) et complures, quos enumerare et nimis longum, et minus neceſ-

d) *de diſciplina arcani cap. VII.*

e) *Crit. Baron. ad a. 313. Num. XVI. ſequ. p. 365. ſequ.*

f) *Journal des Sçavans Tom. XXV. p. 20. J' ai vû autrefois un long traité, que Mr. de Launoy avoit composé pour la defenſe de celle du Pere de Sirmond, et qui au tems de ſa mort fut enlevé de ſa chambre avec un grand nombre d' autres papiers.*

g) *de Diſciplina eccl. edit. Luc. 1728. Part. III. lib. I. cap. XIIII. N. III. p. 46.* et *Lib. II. cap. XXI. N. VI. pag. 282.* conf. *Jugement du Pere* THOMASSIN *ſur la Diſſertation de* D. MABILLON *de azymo et ferm.* in MABILLONII *Ouvrages Poſthum. Tom. I. Lib. II. p. 204. ſequ.*

h) *Diſſert. de la derniere Paque in Tom. VII. Comment. ſur la Bible p. 65.*

i) *Hiſt. Eccl. Saec. VIIII. Colloqu. III. Tom. III. p. 156.*

ſarium

ſarium foret. *k*) Id vero dubitationem non habet, maiorem etiam Latinorum turbam ad Sirmondum, vel certe Bonam fuiſſe transuolaturam, niſi communis prope omnium pro auitis moribus decertantium conſenſus, et praeiudicatarum opinionum lenocinia multos a nouo curriculo abſtraxiſſent. Vereor ſane, nec immerito, ne in eosdem illos bonos viros, tam acerbos azymi contra Sirmondum vindices cadat, quod in Scholaſticos BONA iactat: *l*) *cum ab infantia ſola azyma offerri viderint, eaque ſola in ſcholis et in exedris praedicari audierint, ea ſola ſemper in vſu fuiſſe crediderint: et, hoc poſito, varias ſubinde conuenientias, variaque argumenta, vt, quod ſemel conceperant, firmius ſtabilirent.*

§. V.

§. V. Status controuerſiae.

Varia haec animorum diſtractorum diuortia vno adſpectu propius conſideranti tria omnino partium in hoc campo decurrentium a ſe diuerſa itinera occurrunt. Vnum eſt eorum, qui panem fermentatum a Chriſto vſque ad annum octingenteſimum et vltra apud Latinos obtinuiſſe,

k) vid. *lettre de Mr. l' Abbé de* VILLELOIN in MABILLONII *Op. loc. cit. p. 199. Il fut au commencement indifferent de faire la conſecration avec l' un et l' autre pain, trouvant même de grandes apparences, qu' elle ſe faiſoit plutôt avec le pain levé, qu' avec azymes.*

l) *Rerum Liturg. lib. I. cap. XXIII. p. 366.*

at

at azymum Photii demum aetate vel paullo *m*) post introductum fuisse opinantur. Alterum est eorum, qui in transuersum acti vsum illi contrarium in ecclesia Romana perpetuum fuisse probant. *n*) Tertium denique, atque, si ad superiora spectes, medium quoddam iter faciunt illi, qui vtrumque panis genus sine discrimine aliquando azymum, plerumque fermentatum illis temporibus consecratum esse adstruunt. *o*) Concedunt, vt apparet, omnes, quod in controuersiam venire nequit, et per se patet, iam a saeculo XI. Cerularii tempore, vel etiam paullo ante, panis azymi vsum apud Latinos regnasse, et ita regnasse, vt nec fermentatus panis fuerit vsquam admissus. Omnis ergo quaestionis caput est, vtrum in ecclesia Latina ante Photii et Cerularii tempora, hoc est, ante saec. VIIII. et XI. *p*) panis fermentatus, quemadmodum instituit

m) Quae est SIRMONDI ratio vid. *cap. huius* §. *I.*

n) In qua opinione sunt MABILLONIVS ac CIAMPINVS, qui id certe in probe stabilitis collocant, admodum esse dubium, fitne fermentatus panis a Latinis in omni memoria vmquam consecratus? *vid.* §. *I. huius ipsius capitis.*

o) Cuius viae inuentor ac praemonstrator habetur BONA, sed tenendum est id, quod paullo ante §. *I.* eam in rem differuimus.

p) Eo enim temporis interuallo azymi ritum in sinu ecclesiae Latinae procreatum in consuetudinem regionum occidentalium intrasse, erit aliquanto post dicendum *cap. II.* §. *VI.*

SIRMON-

SIRMONDVS; an azymus, vt vult MABILLONIVS; an, denique, velut adnuit BONA, vterque promiscue in sancto epulo locum obtinuerit? Nos igitur suas cuique rationes ac fundamenta, quibus nituntur, adsignaturos atque expressuros decet argumenta strictim, membratimque percurrere. Primo loco ea, quae demonstrant, Latinos a Christo per octo saecula et amplius panem fermentatum consecrasse, ponemus: tum vero explicabimus illa, quibus per eumdem temporis tractum azymus potius in ecclesia Latina viguisse videtur: ad extremum ea explanabimus, quae istis temporibus vtrumque panis genus in mysterio Latinorum locum inuenisse peruincunt. Penes lectorem esto iudicium.

CAPVT II.

ARGVMENTA, QVAE IN SACRIFICIO LATINORVM VSQVE AD SAECVLVM VIIII. ET VLTRA PANEM FERMENTATVM REGNASSE DOCENT.

§. I.

§. I. Ab apostolorum consuetudine.

Prodeant igitur aciemque instruant, qui, SIRMONDO duce, introductum ante aetatem Photii panis azymi consecrandi ritum in rebus commentitiis ac falsis habent. Ostentant illi morem non modo aposto-

apoſtolorum, quos, ſi vel maxime azymo Chriſtus alio panis genere deſtitutus coenam nouiſſimam dedit, ſingulare hoc exemplum praeter neceſſitatem ſecutos, azymum ad ſacrum conuiuium delegiſſe, nec vſquam perſcriptum, nec omnino credibile eſſe cenſent; ſed etiam Chriſti conſuetudinem quodam modo adducunt. *Hic enim*, aiunt, *ſi poſt reſurrectionem*, (transactis videlicet paſchatis feriis) *aliquando conſecrauit, vt communiter adſerunt ſancti patres, panem communem et fermentatum adhibuiſſe credendus eſt: q*) ne quid de illis Latinae eccleſiae doctoribus dicam, qui Seruatorem morte praepeditum paſcha plane praetermiſiſſe, panemque fermentatum epulo ſanctiſſimo deſtinaſſe ferunt. *r*) At vero illos, quibus myſterii curam Ieſus reliquerat, panem, exiſtimant, cibarium ſeu fermentatum plerumque diſtribuiſſe, *s*) quotiescumque hinc et inde, ſaepenumero etiam ex improuiſo in variis domibus coenam eos cepiſſe ſcriptura tradit. *t*) Etenim eos ſi-

q) IO. BONA *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. pag. 365.*

r) vid. *Part. II. cap. VIIII. §. I.*

s) IACOBVS SIRMONDVS *Diſquiſit. de azymo cap. II. opuſc. Var. Tom. III. p. 102.* IO. BONA *loc. cit. pag. 369. 374. et epiſt. ad Mabillonium* in eiusdem *Ouvrages Poſth. Tom. I. p. 90. conf.* IACOBI BASNAGII *Hiſtoire de l' Egliſe lib. XIIII. cap. III. Tom. II. p. 819.* IO. FRANCISCI BVDDEI *Parerga Hiſtorico-Theol. Praefat. pag. 14.*

t) *Act. II. 46. et XX. 7.*

ne

ne dubio sacram euchariſtiam celebraſſe coniiciunt, quando panem oſtiatim fregiſſe perhibentur; illic autem panem ſingulari atque inutili cura exquiſiuiſſe, ſed, quem iſthic inueniebant, hoc eſt fermentatum adſciuiſſe. Vim argumenti, ſi qua eſt, conantur eludere, qui incertum eſſe, regerunt, an apoſtoli, quoties panem fregiſſe dicuntur, toties coenam ſanctiſſimam dederint. *v*) Et multo etiam facilius ſe euaſuros ſperant, qui eo tempore illis in regionibus communem ac peruulgatum azymi vſum fuiſſe audacius, quam veri ſimilius conſtituunt. *x*) Quod vero ad alterum illud ſpectat, fac ſane incertum eſſe, quod Sirmondi aduerſarii in dubium vocant; attamen dabunt, credo, ſaepius euchariſtiam ab apoſtolis eſſe celebratam: dabunt, panem non potuiſſe non ab iisdem adhiberi; eo igitur vſque, donec ſingulare atque a communi diuerſum panis genus iſthic conſecratum eſſe doceatur, quod a nemine vno adhuc factum, potiores erunt, niſi animus parum proſpicit, eorum partes, qui apoſtolos pane cibario et communi potiſſimum in coena ſacra vſos eſſe pronuntiant. Cibarium enim panis genus ea aetate fermento ca-

v) BVDDEVS *Parerg. cit. loc.* et *Inſtit. Theol. Dogmat. Lib. V. cap. I. §. XIIII. p. 1155.*

x) IO. CIAMPINVS *Coniect. de perpetuo azymi vſu cap. II. p. 41. ſequ.*

ruiſſe,

fuisse, qui adstruunt, difficultatibus postea memorandis *y)* adfliguntur.

§. II. A more antiquissimo ex eulogiis panem domo adlatum quemcunque consecrandi.

§. II.

Exemplo apostolorum addunt SIRMONDVS et socii exemplum veterum Christianorum, quos mysterium fermentato pane confecisse firmiori munimento circumuallant. Id vero duplici nititur fundamento. Vnum est, primores Christianos panem fermentatum in congressionibus sanctioribus in commune attulisse: alterum, de iisdem panibus partem desumtam epulo eucharistico cessisse. Suam quemque, ditiores in primis, oblationem e re familiari ac peno domestico in medium apportasse in sacris illis conciliabulis, ita certum est, vt demonstratione haud indigeat, *z)* neque a parte aduersaria in dubium vocatur. In his munusculis voluntariis, quae eulogias vocant, fuisse panem, eiusdem est notae. Quod autem ad prius attinet, vix mente capi posse, docent, alium, praeter fermentatum panem Christianos domi suae praeparasse, atque ad sacra congessisse. Cibarium certe et communem panem eos dedicasse multis patrum testimoniis stabiliunt. Quod ad

y) Cap. III. §. II.

z) vid. GABRIEL ALBASPINAEVS *de Oblation. veterum Christian. Obseruat. V. pag. 28.* et PHILIPPVS MORNAEVS *de S. Eucharistia lib. I. cap. III. sequent.*

alterum

alterum facit, istius panis in publicum positi partem in mensam coenae mysticam transiisse SIRMONDVS, *a*) BONA *b*) etiam atque etiam tuentur, tum patrum ecclesiae antiquissimorum, tum magno aliorum *c*) consensu stipati. Quae si ad liquidum explorata essent, sequeretur, vt panem priscis temporibus in Domini mysterio distributum fermento caruisse ambigamus. Verum machinis admotis fulcra haec subruere laborant, qui in auersum feruntur. Et ad prius illud respondent, duplex fuisse eulogiarum genus: alterum rerum variarum ante eucharistiam oblatarum verbi caussa mellis, lactis, cerae, panis cuiuscumque, alterum panis

a) *Quo igitur argumento doceri clarius poterat, Latinos tunc azymis in altari vsos non esse, quam vnde constet oblatum a populo panem consecrasse, quem minime dubium erat, vsitatum sic ac fermento de more temperatum obtulisse? Disquis. de Azymo loc. cit. cap. I. p. 100.*

b) *Rerum Liturg. loc. adleg. p. 360. sequ.*

c) MORNAEVS *loc. cit. pag. 50. sequ.* GRAVESONIVS *Hist. Eccl. Saec. VIIII. Coll. III. Tom. III. p. 157.* DALLAEVS *de Cult. Relig. Lat. libr. III. cap. II. p. 289. sequ.* IACOBVS BASNAGIVS *Histoire de l'Eglise loc. cit.* IO. ANDREAS QVENSTEDT *Dissert. de sacrae Euch. ritibus antiquis Vit. 1680. N. I. sequ.* FRID. SPANHEMIVS *Hist. Eccl. ad Saec. II. Op. Tom. I. pag. 623.* IO. ANDR. SCHMIDII *Dissert. de Oblatis Euch. §. IIII. p. 9.* HERMANNI WITTE *Dissert. de Eulogiis Veterum. Vitemb. 1691.* Celeb. IO. GEORG. PERTSCHIVS Versuch einer Kirchen-Historie, *Saec. I. cap. XV. §. XVII. p. 454. sequent.*

et vini ad confecrationem: nihil igitur obftare, quo minus in pofteriore hoc eulogiarum genere panem ab omni fermenti commixtione integrum ad epulum eucharistiae puriffimum appofuiffe exiftimandi fint. *d*) Deinde, fi quam maxime ad veritatem accommodate agerent, qui idem illud panis genus, quod e fua quisque re domeftica depromferat, Chriftiano falutis myfterio deftinatum fuiffe cantant; tamen quiduis citius contrariae fententiae anquirunt, quam eam fibi erucem figi aequo animo patiantur. Idcirco eo audaciae nonnulli progrediuntur, vt ea aetate panem cibarium ac plebeium, praecipue inter pauperes, qui fere erant Chriftiani, fuiffe fine fermento coctum confidentius, quam res patitur, declament: vnde igitur fermentatus, quem confecrarent? *e*) Hac ratione cuniculis ad alterum fulcrum actis, profternere vtrumque ftudent, propterea quod inter fe cohaerent. Nam fi panem domo attuliffent fermento deftitutum; vnde fermentatum petiiffent, quem in coena myftica caperent? Sed demus, inquiunt nonnulli, demus et hoc fixum effe, vt loco moueri nequeat, pa-

d) IO. MABILLONIVS *Differt. de pane euchariſt. azymo et ferm. cap. X.* in *Ouvrages Poſth. Tom. I. p. 162. ſequ.* conf. ALBASPINAEVS *loco citato.*

e) CIAMPINVS *excitato loco.* vid. CASP. CALVOER *Rit. Sacr. Part. I. Lib. II. Sect. II. cap. LIII. pag. 582.*

nem

nem ad eulogias collatum, fuiſſe praefermentatum; tamen alterum argumenti fundamentum omnisque adſertio pro vſu fermentati panis ſuperſtructa labefactatur, ſi panem ex eulogiis ad euchariſtiam adſcitum fuiſſe penitus negamus. Quod prae reliquis GABRIEL ALBASPINAEVS *f*) in dubium vocat. Nec vero ſunt adeo firma eorum, qui pro azymo hic militant, molimina; ſed ſuffragiis patrum facile franguntur, quandoquidem ex ipſis munuſculorum ſacrorum generibus euchariſtiam aliquam ſibi partem vindicaſſe, latius planiusque alii *g*) demonſtrarunt. In primis elumbem ac frigidam eſſe duco, illam BVDDEI argumentationem: *h*) *ſi ex eo,*

f) *de Oblat. Vet. loc. cit.*

g) IO. BONA *cit. loc. pag. 262.* et *epiſt. ad Mabillonium* in adlegatis eius operibus Poſtumis *pag. 90. ſequ.* MORNAEVS, GRAVESONIVS, SCHMIDIVS et alii modo adducti.

h) *Praefat. ad Parerga Hiſtorico-Theol. pag. 16.* Neque eiusmodi concludendi ratio a IACOBO BASNAGIO proficiſcitur, vt ibidem BVDDEVS memorat, ſed longe aliam demonſtrandi viam Basnagius ingreditur. Ceterum ne quis ſit, qui viri ſummi verba in aliam, ac par eſt, a me partem accipi exiſtimet, ſubiiciam teſtimonium, quo ſuam ipſe ſententiam et repetit et explanat: *cum non panem modo, ſed - - - obtulerint; de pane, quem obtulerunt fermentato dici nequit eum ad ſacram euchariſtiam ſpectaſſe, niſi de reliquis ciborum generibus idem adfirmare velis. Inſtit. Theol. Dogmat. Lib. V. Cap. I. §. XIIII. p. 1156.* Ad eamdem rationem neſcio, an felicius ſe adiunxit CAROLVS ADOL-

quod panem fermentatum obtulerunt, colligere licet, eos etiam in ſacra coena eius modi panem adhibuiſſe; admittendum etiam eſſet, eos carnem et legumina vſurpaſſe, cum ſacram coenam adminiſtrarent. Quaſi vero caro et legumina ad euchariſtiam perinde fuerint neceſſaria, atque panis, quem ex inſtituto Seruatoris conſecrare iubebantur, poteſtate vndecumque eum adferendi ac deligendi eccleſiae relicta. Cum igitur ad mutui amoris ſignum in donis ſacris panis quoque apponeretur, neque vlla eſſet ratio, cur ab eo panis genere in conuiuio omnium ſanctiſſimo abſtinerent Chriſtiani, non eſt abſonum, id colligere, quod BVDDEVS abſurdum eſſe iudicat. Si enim leguminibus et carne coena ſacra ex praeſcripto Chriſti fuiſſet apparanda, nihilo magis dubium foret, Chriſtianos ea, quae de genere illo, eodem tempore in publicum vſum comportauerant, quam aliunde ſtudio ſuperuacaneo petita, adſumere maluiſſe.

§. III.

§. III. Ex temporum illorum conditione et ſtatu Chriſtianorum adflictiſſimo.

Praeterea cum azymum communis victus loco inter pauperrimos viguiſſe, panis fermentati laudatores haud concedunt, tum etiam iidem illi ex temporum illorum conditione, rebusque Chriſtianorum aduerſis contrarium probare con-

PHVS IANZENIVS *Diſſ. de paſchate Chriſti cum Iudaeis comeſto. part. II. Ienae 1724. §. 49. pag. 66.*

ten-

tendunt. Neque enim eſt ipſis ad fidem pronum, Chriſtianos in carceribus, in locis ſubterraneis, in fuga, in itinere, in locis deorum cultu contaminatis, ſaeuiente praeſertim tyrannorum incredibili furore, ſacram coenam ſaepe furtim, ſaepe etiam ex oblata occaſione adeuntes vel azymi copiam habere, vel conſpectum et animaduerſionem hominum a religione vera alienorum ſubterfugere potuiſſe. Veri ergo ſimilius videri, eos communi ſiue fermentato pane fuiſſe recreatos, certe eum libenter adhibuiſſe, qui ipſis praeſto erat. *i*) Neruum argumenti incidere audent alii perinfirma illa concluſiuncula, quam modo commemorauimus, azymum fuiſſe eo tempore magis vſu communi tritum. Alii, nulla de vulgari azymi victu opinionis ratione habita, ſimpliciter ſtatuunt, *k*) eadem opera panes ſine fermento in carceres inferri potuiſſe, qua fermentatum et vinum: Sed manifeſto vitio ea adſertio laborat, nec locum habet, niſi vulgo panibus fermento deſtitutis gentes ſub idem tempus vſas fuiſſe oſtendatur. Si enim panis ex more praefermentabatur; azymus profecto non vbiuis erat obuius, ſed ad vſum ſacrum, ſi opus eſſet, aut aliunde conquirendus, aut certe antea ſingulari modo coquendus; cum contra fermentati et cibarii panis, itemque vini multo

i) GRAVESON *Hiſt. Eccleſ. cit. loc. pag. 157.* SIRMONDVS ac BONA locis modo adſcriptis *p. 173.*
k) BVDDEVS *Praef. cit. p. 14.*



minori negotio copiam habere possent. Deinde, si quidem in victu quotidiano non erat azymo locus, longe facilius, vel leuissima rei suspicione iniecta, a pane cibario dignosci, arcanumque Christianorum mysterium et prodi, et impediri potuisset. Occurrunt tandem alii argumento nauibus atque quadrigis e longinquo nimis anxie adquisito, scilicet multo difficiliora Christianos etiam in summis rerum angustiis ac difficultatibus patrasse: potuisse igitur eosdem, qua erant animi praesentis virtute imperterrita, panem a fermento integrum vbique accessere. *l*) Praeclara vero haec fuisset in re non necessaria periculi subeundi caussa, et materia, si Deo placet, egregia virtutem Christianam in caussa minimi praeter omnem necessitatem ludibriis ac vexationibus paganorum exponendi. Perinde, ac si grauiora defuissent, quae populum Dei exercerent, vt tam inani ratione, non sine magna superstitionis suspicione, sibi ipse crucem ac supplicium pararet.

§. IIII.

§. IIII. Ex antiquo eucharistiae nomine, quo fermentum appellatur.

Est haec quasi pugnae praecursio ac praelusio: sunt tela eminus missa: nunc pede magis collato, ipsas, vt ita dicam, manus acerrime conserunt. Educunt in palaestram magno cum apparatu testimo-

l) MABILLONIVS *Dissert. cit. cap. XI. p. 175.* vid. CALVOER *Ritual. Sacr. cit. loc. p. 583.*

nia

nia antiquitatis, quibus iampridem, saeculo videlicet XII. Anselmum Hauelbergensem NECHITES, Archiepiscopus Graecus est quodammodo adortus. *m*) Ac primo quidem ordine decreta pontificum collocant, quibus eucharistia *fermenti* verbo innuitur. *n*) Notum est, quod de MELCHIADE, qui saeculo IIII. rebus Latinorum sacris praefuit, in *libro pontificali o*) legitur: *hic fecit, vt oblationes consecratae per ecclesias ex consecratu episcopi dirigentur, quod declaratur fermentum.* De SIRICIO, itidem Antistite Romanorum summo ibidem *p*) habetur: *hic constituit, vt nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomada, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Quibus multum splendoris adfert epistola INNOCENTII I. ad Decentium Praesulem Eugubinum data, *q*) vbi *de fermento*, inquit,

m) vide supra *Part. II. cap. VIII. §. VII. p. 206.* Illis adde NATALIS ALEXANDRI *Hist. Eccles. Tom. VI. Dissert. XI. pag. 868. sequent.*

n) SIRMONDVS *Disquis. cit. cap. V. p. 124. sequ.* BONA *p. 377.* GRAVESON *loc. cit. p. 157.* IACOBVS BASNAGIVS *Praefat. ad Thesaur. Canisii Tom. I. cap. VII. pag. 75.*

o) vide *Catalogum et Acta Roman. Pontific. Tom. I. Antiquit. Eccl.* EMANVELIS A SCHELSTRATEN *edit. Rom. 1692. pag. 443. et Concil. Tom. I. p. 466.*

p) *Liber Pontificalis* apud SCHELSTRATIVM *Antiqu. Eccl. Tom. I. p. 463. Concil. Tom. I. p. 738.*

q) *Cap. V. in Concil. Tom. I. p. 773.*

quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae intra ciuitatem sint constitutae, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, vt se a nostra communione maxime illa die non iudicent separatos: quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta. Grauius ea in concursatione viros eruditissimos certamen fatigat, quod cum sicco, quemadmodum dicitur, pede haud sit praetereundum, leuiter, at explicitius attingere, est operae pretium. Omni concertationis ratione, quatenus est huius loci, vndique circumspecta, ad bina potissimum capita dimicationem omnem redire animaduerto. Namque hic in controuersia esse opinor: primum sitne in monumentis illis eucharistia per fermentum intelligenda? tum vero cur fermentum appelletur? Quod ad primum attinet, eucharistiam omnino, hic per fermentum significari magnae doctorum multitudini est longe persuasissimum. Neque tantum illi Latinorum, qui panis fermento imbuti in coena Domini aetatem antiquissimam commonstrant, animo libentissimo eidem sententiae adstipulantur, verbi caussa, IACOBVS SIRMONDVS, r) IOANNES

r) *Disquisitio de azymo cap. V. p. 124. sequ.*

BONA,

NA, s) ANTONIVS PAGIVS, t) EMA-EL SCHELSTRATIVS, v) IGNATIVS ACINTHVS AMAT. DE GRAVESON, ac LVDOVICVS THOMASSINVS. y) :que eamdem rationem tantum modo ɜunt, qui facris purioribus addicti funt, :i perquam eruditi, MATTHAEVS LAR-ƆQVANVS, z) SAMVEL BASNAGIVS,) FRIDERICVS SPANHEMIVS, b) IA-ƆBVS BASNAGIVS, c) et femel, d) erumque e) SALOMO DEYLINGIVS.

s) *Rerum Liturgic. lib. I. cap. XXIII. p. 378.*

t) *Critic. in Baronii Annal. Tom. I. ad a. 313.* §. *VII. p. 368. fequ.*

v) *Antiquit. Eccl. Tom. I. in not. ad Librum Pon-ifical. p. 442. et 462.* et *Differt. de difciplina arcani ap. VII.*

x) *Hift. Eccl. Saec. VIIII. Colloqu. III. Tom. III. ›. 157.*

y) *de vet. et noua ecclefiae difciplina Part. I. Lib. II. cap. XXI. Num. VI. pag. 282.*

z) *Aduerf. Sacr. lib. II. cap. I. p. 213. feqq.* Per errorem BVDDEVS in *Praefat. ad Parerga Hiftorico-Theol. pag. 20.* DANIELEM LARROQVANVM, *Matthaei Larroquani* filium citat. Is vero nihil in hac cauffa egit, praeterquam quod Aduerfaria Sacra, opus parentis poftumum, emifit.

a) *Annal. Politico-Ecclefiaft. Tom. II. p. 625.*

b) *Hift. Ecclef. Saec. IIII. Op. Tom. I. p. 861.*

c) *Hiftoire de l'eglife lib. XIIII. cap. III.* §. *IIII. et cap. IIII. Tom. II. p. 825. fequ.* atque in *Praefat. ad Thefaur. Mon. Eccl. Canifii cap. VII.* §. *VI. p. 75.*

d) *de errorum Pontificiorum nouitate in Art. de S. Euch. Diff. III.* §. *IIII. p. 94. fequ.*

e) *Diff. de S. Euchariftiae origine ex ritu et formula Iud. pafchali non repetenda* §. *XXI. p. 27.*

Sed, quod miretur forsan aliquis, iidem etiam illi, qui fermentum a sacris Latinorum per omnia saecula abfuisse magno nisu ostendunt, illud tamen fermentum per coenam Christi mysticam exponunt. Etenim CLAVDIVS ESPENCAEVS, f) LATINVS LATINIVS, g) ANTONIVS AVGVSTINVS, h) CHRISTIANVS LVPVS, i) IOANNES MABILLONIVS, k) et IOANNES CIAMPINVS, l) omnes vltimae azymorum in eucharistia vetustatis defensores, in eamdem sententiam descendunt. m) Variis autem firmamentis diligenter stabiliunt, et constituunt, per fermentum in illis locis, quae supra adscripsimus, innui sanctissimum corporis Iesu mysterium. Quorum summa, vt ex diuersis auctoribus dispersas rationes colligam, huc redit. Primum quod fermentum illud, de cuius significatione disputatur, ab INNOCENTIO *sacramentum* vocatur: deinde, quod illud longius portare vetitum erat: tum quod vox consecrationis

f) *de Adoratione Eucharistiae lib. II. cap. IIII.*

g) *Epistol. et Obseruat. Tom. II. pag. 167. sequ.*

h) *Respons. ad Latinum Latinium in Obseruat. cit. loc. pag. 173. sequ.*

i) *Differt. de Leonis Actis aduersus Schisma Cerularii cap. VIII. Concil. edit. Venet. 1725. Tom. IIII. pag. 319. sequ.*

k) *Differt. de pane Eucharist. cap. X. p. 170.* et *Musei Italici Tom. II. p. 38.*

l) *Coniectur. de perpetuo azymi vsu cit. l. p. 124.*

m) Conf. CIAMPINVS *loco adducto cap. IIII. pag. 65.*

non

non vſurpatur de eulogiis, ſi quis eulogiis fermenti nomen adſignandum exiſtimet, ſed de ſacramento: ad extremum, quia presbyteris ab epiſcopo longius disiunctis per acoluthos mittebatur. Moris autem fuiſſe eo aeuo ipſam euchariſtiam mittere, neque ante ſaeculum octauum, vel etiam nonum ſubrepſiſſe ritum loco euchariſtiae eulogias transmittendi recte monſtrant viri eruditiſſimi. *n*) Quas adſertiones veterum teſtimoniis facile ſuſtinent, atque ab eorum, qui eulogias per fermentum intelligendas eſſe cenſent, poſtulationibus vindicant. Multi enim contra veniunt, qui eulogias, ſiue *panem benedictum*, a pane euchariſtico admodum diuerſum per fermentum hic declarari arbitrantur. Cuius cenſus eſſe obſeruo, ANSELMVM *o*) Epiſcopum Hauelbergenſem, NICOLAVM CVSANVM, *p*) CAESAREM BARONIVM *q*) vtrumque eccleſiae Romanae patrem purpuratum, FRANCISCVM MACEDONEM, *r*) NICOLAVM

n) vide MATTHAEI LARROQVANI *Aduerſ. Sacra lib. II. cap. II. p. 214. et 221.* CAROLI DV FRESNE *Gloſſar. Latinit. med. Tom. III. edit. nouiſſ. in voce Fermentum pag. 387.*

o) *Dialogi aduerſus Graecos Lib. III. cap. XIIII.* in *Spicilegio D'Achery Tom. I. pag. 201.*

p) *Epiſt. VII. ad Bohemos, Op. Tom. II. pag. 18. a.*

q) *Annal. Eccleſiaſt. ad a. 313. Tom. III. §. LI. ſequ. p. 127.*

r) qui Bonam ſingulari libro refutauit, cuius index eſt, *Azymus Euchariſticus* et prodit Ingolſtadii,

COMNE-

COMNENVM, *s*) THEOPHILVM RAYNAVDVM, et plures alios, *t*) quorum molimina ab iis, quos contrarium tueri diximus, fortiter certatimque profligantur. Et ſane pleroſque vix aliam habuiſſe cauſſam, duco, in fermento hoc eulogias quaerendi, quam vt id, quod praeiudicatum attulerant, tenerent, epulum Domini azymo olim factum, ad eiusque diſtinctionem, eulogias, fermentati videlicet panis particulas dictas fuiſſe fermentum. Iam dudum NICOLAVS DE CVSA *v*) eo collineauit: *plus aucto populo dabatur loco eucharistiae dominicis diebus panis benedictus, qui eulogia dicitur. - Romana ecclesia fermentatum panem benedixit populo: azymum conſecrauit.* Pari ſe ipſe nodo implicat CAESAR BARONIVS, quem iudicium illud decretorium, atque immaturum, ſemper Latinos fermento abſtinuiſſe, adeo inflat, vt adiiciat: *x*) *ſatis ſuperque ſufficiet notiſſimum illud adducere, Romanam ac ſimul occidentalem omnem eccleſiam non niſi in azymo pane conſueuiſſe eucharistiam conficere, ac proinde, quod Innocentius*

ſeu potius Patauii. vid. MABILLONII *Ouvrages Posth. Tom. I. p. 176.*

s) *Praenot. Myſtagog. Reſp. III. Sect. V. §. X. p. 178.*

t) conf. IO. CIAMPINVS *cit. loc. pag. 65.* IO. FRANCISC. BVDDEVS *de Symb. Eucharist. §. VIIII. in Parergis Hiſtorico-Theol. pag. 15.*

v) *loco adlegato.*

x) *ad a. 313. §. LV. pag. 125.*

centius fermentum nominat sacramentum, alterius plane generis illud fuisse. Quod documento esse potest, quanta sit vis animi opinionibus praeiudicatis obruti ad veritatem vel negligendam, vel adeo deprimendam. In eadem Charybdi, vt poëtae illud vsurpem, laborat NICOLAVS COMNENVS, *y*) vel ideo iterum ferulae subiiciendus. Neque vero oratione vlla de gradu viri doctissimi in contrarium euntes deiiciuntur; sed in alia omnia frequentes transire, quam ad eam ratiunculam imbecillis atque vltro adsumtis vel etiam a teneris acceptis caussis fundatam malunt descendere. Libere itaque decernunt fermenti voce panem in coena salutari consecratum antiquitus fuisse denotatum. Enim vero antequam epulis illis lautissimis panem fermento subactum adfuisse concludant, exquirunt rationem, cur fermenti vocabulo eucharistia fuerit olim insignita? Noua hic repente diuisio animorum prosilit. Sunt, qui ideo fermentum vocari putent, quia, vt fermentum massae farinaceae admixtum omnes eius particulas permeat, subigit, vi sua imbuit, ac conglutinat; item eucharistia vinculum sit amoris, signumque coniunctionis omnium arctissimae, quod et animos mortalium vi diuina penetret, et disiun-

y) *Eulogiae dictae propterea fermentum, tum ex materia, tum vt differrent ab azymo, in quo Christi corpus conficiebatur:* et rel. *cit. loco p. 178.*

cta

ctas locorum interuallo ecclesias colliget. *Est enim*, vt verbis vtar LVDOVICI THOMASSINI z) *mysticum quoddam et diuinum genus fermenti, quo commiscemur omnes et incorporamur Christo et secundum Paullum vnus panis vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus.* In eamdem sententiam, quamuis singularia etiam admisceat, homo doctissimus, LATINVS LATINIVS loquitur: *a) Fermentum verum sacramentum eucharistiae, id est, corporis et sanguinis Domini videtur omnino fuisse. Appellabatur autem fermentum, vt opinor, non, quia haberet aliquid commune cum fermento, quo vtimur ad panem fermentandum; sed ea fortasse ratione, vel quia velut* Φύραμα, *id est, massa et consperfio esset vtriusque partis sacramenti, corporis videlicet et sanguinis, ita mixta, vt nullo modo separari posset; quod eo consilio fiebat, et mittebatur a summo Pontifice presbyteris titularibus vrbis, vt Manichaei, qui vinum, tamquam fel principis tenebrarum, auersabantur, atque ea de caussa calicem sumere renuebant, eiusmodi argumento proditi manifesti fierent, et a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellerentur. Vel quia eadem ipsa massa non mixtionis caussa, sed quia proprie fermenti vicem obtineret, in alia maiori fermentanda adhibebatur, quae satis*

z) *Disciplina Ecclesiae loc. adlegato p. 282.*

a) *Epist. ad Anton. Augustinum, Obseruat. Tom. II. p. 167.*

esse

esse posset, ad populum cuiusque tituli communicandum. Cui adstipulatur SIRMONDVS, qui etiamsi panem eucharisticum ista aetate Latinos fermento temperasse scribat, eucharistiam tamen dictam esse fermentum autumat, *b*) *non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret, ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem praestaret, iisque vnionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massae, cui commiscetur.* Eiusmodi translationi domicilium esse volunt in verbis supra ex vita Melchiadis et Siricii excitatis: *quod declaratur fermentum*; item: *declaratum, quod nominatur fermentum. c*) Nonnulli vel ex disciplina arcani, vel quacumque alia abdita ratione vocem fermenti explanandam esse statuunt, ideoque eucharistiam verbo eiusmodi expressam esse credunt, ne mysterium hoc omnes resciscerent, sed vt recondita atque obscura, vel etiam contraria oppositaque voce, quasi inuolucro et cortice quodam tectam, rem sanctissimam, pro temporum illorum consuetudine *d*) significarent.

b) *Disquis. cit. cap. V. Opusc. Var. Tom. III. pag. 127.*

c) vid. NATALIS ALEXANDRI *Hist. Eccles. Saec. XI. et XII. Diss. XI. Tom. VI. p. 872.*

d) conf. ANT. PAGI *Critic. in Baron. ad a. 118. N. IIII. sequ. et ad a. 313. N. XVII. Tom. I. pag. 368. sequ.* EDMVNDVS MARTENE *de antiqu. Ritib. Tom. I. pag. 311.*

Quod

Quod EMANVEL SCHELSTRATIVS, *e*) nec non IOANNES MABILLONIVS *f*) auguratur: neque alienus ab hac mente esse videtur ANTONIVS AVGVSTINVS, *g*) qui, *pro Graeco azymorum Latinos verbo Latino contrariae significationis vsos esse*, scribit. Est denique multo maximus hominum doctissimorum numerus, qui tametsi et haec, quae diximus, magna ex parte admittant, alium tamen eumque principem huius nominis fontem in natura vocis inuestigent, atque sacramentum corporis Christi nominari fermentum vere ac perquam accommodate adstruant, propterea, quod panis fermentatus olim fuerit consecratus. *Nihil enim vetat*, inquit IOANNES BONA *h*) *quin vtrumque verum sit, et eucharistiam fermentum dictam, quia re vera ex fermento erat, et symbolice etiam fermentum nuncupatam, quod signum sit vnitatis, et vinculum caritatis.* In quo augurio eo tutius adquiescunt, quo minus conuenit, propria ac germana vocis vi et potestate praeter necessitatem relicta, ad alienam transfugere. Cum igi-

e) *Tract. de disciplina arcani cap. citato et Antiqu. eccl. cit. loc.*

f) *Differt. de azymo et ferment. cap. X. in Ouvrages Posth. Tom. I. p. 172.*

g) *epist. ad Latinum Latinium in Latinii Obseruat. Tom. II. p. 173. sequ.*

h) *Rer. Liturgic. lib. I. cap. XXIII. pag. 382.* conf. LVDOVICVS THOMASSINVS *de disciplina eccles. loco adducto.*

tur

duo illa membra, quaestionis perse-
ι fuerimus, facile vides, posse ab hoc
nenti nomine antiquissimo spicula pe-
quibus imaginaria azymi eucharistici
petuitas configatur.

§. V.

§. V. *Ex auctoritate conciliorum ac patrum.*

Vltra progressi conciliorum pariter, ue ecclesiae doctorum suffragia opi- oni suae congrua conquirunt, ex qui- s multis pauca, quae prae ceteris emi- re videbuntur, cogere est animus. uentur se potissimum auctoritate con- lii Toletani decimi sexti, sub finem Sae- li VII. celebrati. Verba patrum con- egatorum sunt: *i*) *Ad conuentus nostri nitionem delatum est, quod in quibusdam ispaniarum partibus quidam sacerdotum artim nescientia impliciti, partim temera- io ausu prouocati, non panes mundos et stu- io praeparatos supra mensam Domini in sa- rificium offerant, sed passim - de panibus uis vsibus praeparatis crustulam in rotun- litatem auferant, eamque super altare cum vino et aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacrae auctori- tatis historia vspiam gestum, perpenditur. - Vnde temeritatis huius aut nescientiae cu- pientes terminum imponere, id vnanimita- tis nostrae delegit conuentus, vt non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedi-*

i) *Concil. Tolet. Can. VI.* vid. *Concil. Tom. III. edit. Paris. pag.* 1796.

T *ctione*

ctione sanctificandus proponatur, nisi integer et nitidus, qui ex studio fuerit praeparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat. Inde elucere volunt Sirmondi socii, *k*) nec dum in ciuitatem sacram eo saeculo azymum receptum fuisse: quoniam vulgo de panibus domesticis particulam consecrauerant, neque tamen in istius moris vituperatione vel verbulo fermenti e panibus sacris relegandi fit mentio; verum id vnum lege sancitur, vt ne postea de panibus cibariis et domestico esui dicatis abscissum frustulum, sed panem integrum, nitidum, neque iusto maiorem in epulo Domini offerant. Immo vero respondent aduersarii, *l*) nihil hic de fermentato, et nitidus panis, quem consecrari iussit concilium Toletanum, sine vllo dubio denotat azymum, itaque eumdem arcum in fermentati panis vsum intorquent. Illi contra ad concilium Calchutense in Anglia saec. VIII. coactum, itemque ad Nannetense atque alia se recipiunt. *m*) A variis deinde testimoniis ac dictis Patrum, auxilia colligunt. Ita ex EPIPHANII loco, *n*) quo in senten-

k) IO. BONA *Rer. Liturg. p. 372.* et *epist. ad Mabillonium in Ouvrages Posth. Tom. I. p. 82.* conf. IACOBI BASNAGII *Hist. de l'Egl. Lib. XIIII. cap. III. §. IIII. Tom. II. pag. 820.*

l) vide *Cap. proximi III. §. IIII.*

m) Card. BONA ibidem.

n) *Haeresi XXX. N. XVI. pag. 139.*

tiam

ım ſuam vtuntur azymi vindices, *o)* pro-
nt, notari Ebionitas, quod azymo vtan-
r, et conſuetudinem verae eccleſiae ex-
eſſuri mutila imitatione a ritibus non-
ullis diſcedant. *p)* Recitant TERTVL-
IANI *q)* illud: *non ſciet maritus, quid
creto ante omnem cibum guſtes, et ſciuerit
anem; non illum credet eſſe, qui dicitur.*
Hoc eſt, maritus Chriſtianae a ſacris Chri-
ti auerſus, etiamſi panem euchariſticum
iderit, neſciet tamen, eſſe panem eum
nyſterii ſanctiſſimum. Inde planiſſime
efficiunt, eo tempore panem conſecran-
dum non alium fuiſſe, atque cibarium,
familiarem, ac fermentatum. Si enim
ſine fermento coctus in menſa Domini
tractandus fuiſſet, haud difficulter eum
ab alio communi ac vulgari panis genere
diſcernere maritus potuiſſet. Praeterea
ſibi praeſidio fore ſperant AMBROSII
verba: *r) tu forte dicis: meus panis eſt vſi-
tatus; ſed panis iſte panis eſt ante verba ſa-
cramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de
pane fit caro Chriſti*: Ex his igitur *s)* SIR-

o) vide *cap. ſequentis III. §. III.*

p) SIRMONDVS *Diſquiſ. de azymo cap. II. pag.* 202.

q) Lib. II. ad Vxorem cap. V.

r) de Sacrament. Lib. IIII. cap. IIII. Op. Tom. IIII. pag. 377.

s) cit. loco conſentit AVGVSTINVS CALMETVS *Diſſert. ſur la derniere Paque de notre Seigneur J. C. in Tomo VII. du Commentaire Litteral ſur la Bible pag. 65.*



MONDVS, ac BONA *t)* panem vſitatum et communem, quo domi ſuae veſci ſolebant, in re diuina facienda fuiſſe diſtributum coniiciunt; ſed hoc ipſo TERTVLLIANI teſtimonio ſententiae contrariae ſuccurrunt, atque ad alterum ab AMBROSIO petitum quod reſpondeant, CIAMPINVS *v)* atque MABILLONIVS *x)* habent. Qui AVGVSTINI et aliorum permultorum fidem in hac eadem cauſſa appellant, dubio Marte in arena digladiari videntur, cum altera etiam factio teſtibus iisdem atque arbitris vtatur. Illos igitur taciti dimittemus, et labore non neceſſario ſuperſedebimus: tum quod plerique omnes non diſerte quidem de fermentato, ſed generatim de pane, quidam de communi, et cibario ad ſacrificium delato loquuntur: tum quod in vtramque partem variae expoſitiones expromuntur, quae cum bene longae ac copioſae, tum ita ſunt ancipites, vt rei aeſtimatorem etiam ſub cultro relinquant. Id tamen vnum, vt eruditi obſeruant, *y)* pro antiquiſſimo, panis fermentati in euchariſtia Latinorum eſu dicentibus palmam addicit: quod per vocem panis ſimpliciter poſitam, non alivs, atque communis temere poſſit intel-

t) *Liturg. pag. 372. ſequ.*

v) *Conieſt. de perpetuo azymi vſu cap. III. p. 43.*

x) *Diſſert. de azymo cit. cap. X. pag. 168.*

y) vid. IO. DALLAEVS *de Cult. Relig. Latin. lib. III. cap. II. pag. 289.* conf. AVGVSTINVS CALMETVS *loc. cit.*

ligi;

;i; nisi forte singularem ac fermenti pertem vel temporis, vel loci, vel attri-itorum rationes innuant. At Patres itinos tantum non omnes de pane eu-iaristico similiter, ac de pane cibario it vulgari loqui, nemo, nisi cuius men-m praesumta opinio excaecat, negaue-t. Nos quod instat agamus, ac reliquum ineris spatium conficere nitamur.

§. VI.

§. VI. Ex silentio omnis vetustatis et adeo ipsius Photii de azymo. Vbi de origine consecrationis sine fermento.

Est, credo, quantiuis pretii, quando zymum antiquitus obtinuisse infitiantur ropterea, quod antiquitatem omnem sque ad Photium nihil quidquam ea de e tradere, minimeque praecipere anim-duertunt. z) In telo hoc excipiendo et etundendo MABILLONIVS a) operam ponit, regeritque, nec a Photii tempore ad Cerularii vsque aetatem atque vltra de pane sine fermento consecrando esse quidquam sanctum: si ergo SIRMONDI illa argumentatio valeat; indidem fluere, neque a Photii et Cerularii tempore, cum litigium de azymo quam maxime excanduit, Latinos panem a fermenti admixtione purum sacrificasse. Quod cum sit praeposterum, pingue, sibique contrarium; eiusdem monetae fore putat, quid-

z) SIRMONDVS *Disquis. cit. cap. III. p. 112.* BONA *loc. cit. pag. 364.* conf. DALLAEVS *lib. cit. cap. III. pag. 297. sequent.*

a) *Differt. modo citata pag. 173.*

quid ex ſilentio ante Cerularii aetatem expromunt. Iſta ratione illud quidem debilitatur, quod a tabulis decretorum publicis ea de cauſſa plane mutis deducitur, argumentum; at manet tamen ſua vis alteri demonſtrationi, quae inde dimanat, quod per octo ferme ſaecula atque vltra de pane non fermentato in epulum myſticum recepto vix vola, vel veſtigium incorruptum deprehendatur: manet ſuum robur probationi, quam ex eo petunt, quod ipſi etiam Graeci per eum temporis tractum conſuetudinem ſine fermento conſecrandi nec leuiore, quemadmodum dici ſolet, brachio notarint, quod IACOBVS BASNAGIVS magni facit. *b*) Cui etiamſi idem ſilentium antiquitatis de pane fermentato obiiciatur; *c*) tamen id ſuccurrit, quod difficile ſit negare, patres eccleſiae vetuſtiores panis eiusmodi memoriam prorſus intactam praeteriiſſe. Quotiescumque enim corpus Chriſti in coena ſacratiſſima confectum eſſe canunt,

b) *Hiſtoire de l'Egliſe lib. XIII. cap. III. §. VI. Tom. II. p. 821. Quand il n'y auroit, que ces des preuves contre ſes azymes, l'une tirée du ſilence de tous les Peres ſans exception juſqu'à Raban Maur au tems de Photius, et de la chaleur, qu'ils ont eûë pour cette queſtion de le moment, que Rome eût changé le pain levé en azymes; elles ſeroient ſuffiſantes, pour demontrer, que l'ancienne egliſe a communie avec du pain levé.*

c) MABILLONIVS *Diſſertat. product. cap. VII. p. 132.*

et

: alteram mysterii partem panem appel- nt, id quod numquam non faciunt, vt orum etiam testimoniorum, quando ommunem atque vsitatum adhibitum aisse narrant, atque eucharistiam fermen- i nomine notant, commemorationem mittamus; fermentatum, vel cibarium otius, quam panem, praeter morem do- nesticum, sine fermento factum significa- :i, paullo ante constituimus. *d)* Hoc igi- :ur ambabus tenent, neque prius eripi sibi patiuntur, quam argumentis aliunde haustis panem illum sanctissimum fermento caruisse aduersarii planum faciant. De reliquo haud est nullius, quod in primis addunt et consectantur, *e)* Photium, in exprobrandis Latinorum moribus censorem longe acerrimum de pane azymo plane obmutuisse. Cum igitur minima quaeque in reprehensionem eius incurrerent; haud paullo videtur verisimile, ritum sine fermento eucharistiam instruendi, qui prae reliquis oculos Graecorum subterfugere haud potuisset, quemue acerbe ac penitus semper exosi sunt, et qui post Latinis fuit vitio datus, siquidem in consuetudinem peruulgatam iam tum venisset, neutiquam Photium fuisse praeter-

d) §. *V. praeced. pag.*

e) SIRMONDVS AC BONA *loc. cit.* IO. ANDREAS SCHMIDIVS *Differt. de Oblat. Euch.* §. *VII. pag. 16.* DALLAEVS *de Cult. Rel. Lat. lib. III. cap. I. p. 287.*

missurum. *f)* Proxime ergo a certo abesse censent, illo temporis interuallo, quod Photium et Cerularium interiacet, morem Graecis contrarium prodire coepisse, vel, vt putant multi *g*) paullo ante Photium sensim et gradatim ab vsu pristino recessisse fermentatum, et surrogatum in eius locum azymum adrepsisse. Quem nec vbique diffusum, nec vsu diuturno corroboratum, nec omnium consensu approbatum morem in quaestionem non postulasse Photium nihil mirum. Id sane non est dissimulatione occultandum, eo ipso aeuo multum de prisco curriculo in caerimoniarum eucharisticarum studio ecclesiam Latinam deflexisse, nouo quodam ardore inflammatam panes consecrandos summa cura studioque praeparandi: quam rem tot decreta publica, tot ecclesiae eius temporis doctorum praecepta euidenter docent. *h*) Ita viri

f) quid Graecis quibusdam ea de caussa insederit, in luce posuimus, *Part. I. cap. III. §. II. p. 34.*

g) vid. GRAVESONIVS *Hist. Eccles. Saec. VIII. Coll. VI. Tom. III. p. 91.* SAMVEL BASNAGIVS *Annal. Politico-Ecclesiast. Tom. II. p. 628.*

h) ANSELMVS HAVELBERGENSIS *Dialogi aduersus Graec. lib. III. cap. XVIII. in Spicilegio D'Achery Tom. I. p. 204. sequ.* conf. EDMVNDVS MARTENE *de antiqu. monach. ritibus lib. II. cap. VIII. Tom. I. p. 233. sequ.* CAROLVS DV FRESNE *Gloss. med. et inf. Latinit. in voce oblata edit. nouiss. Tom. IIII. pag. 1272. sequ.* IO. BONA *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. pag. 393. sequ.* IO. ANDREAS

erudi-

uditiſſimi coniectura ducuntur ad ſuſpi-
ndum, eadem aetate paullatim apud
atinos inueteratum fermentati honorem
caruiſſe, ac tandem prorſus occidiſſe: et
cri ordinis homines, quibus huius rei
ura erat, cum in mandatis haberent,
uod ex THEODVLPHO apparet, *i*) vt
*anes, quos Deo in ſacrificium offerrent, ni-
ide et ſtudioſe fierent*, itemque *vt panis et
inum et aqua, ſine quibus miſſae nequeunt
elebrari, mundiſſime atque ſtudioſe tracten-
ur, et nihil in his vile, nihil non probatum
inueniatur*, iisdem de cauſſis cruſtula illa
candidiora, vt eſſent quam mundiſſima,
ſine fermento coxiſſe. Sincera igitur fide
et commemorabili candore LVDOVICVS
THOMASSINVS vltra Latinorum conſue-
tudinem agit, hanc in ſententiam locu-
tus: *k*) *Cum inceſſiſſet nouus amor et noua
cura nitoris et munditiei panum conſecran-
dorum, vnde et iis elaborandis praepoſiti
ſunt presbyteri; ſimillimum veri eſt, tum
coepiſſe presbyteros conficere, et offerre, ni-
tidiuſculos, candidiores panes hos infermen-
tatos.* Quam coniectationem ad mentem
IOANNIS BONAE *l*) quam maxime appo-

SCHMIDIVS *Diſſert. cit.* §. *XVI. pag. 31.* vide infra *cap. ſequentis III.* §. *VI.*

i) in *Capitulari ad parochiae ſuae ſacerdotes* §. *V. Concil. edit. Labb. Tom. VII. pag. 1178.*

k) *de veteri et noua eccl. diſcipl. Part. III. Lib. I. cap. XIIII.* §. *III. p. 46.*

l) *Liturg. pag. 387.*

fitam adiuuant ea ipfa teftimonia, quae ex ALCVINO, RABANO MAVRO, atque ELDEFONSO, huic aetati proximis ecclefiae doctoribus, pro azymi vetuftate adferuntur, quorum argumentum infra enucleabimus. *m*) Sunt haec pleraque, vt dixi, propius fidem, fed, ne extra oleas vagemur, redimus, vnde per diuerticulum deflex imus, ad filentium illud Photii de azymo, cuius gratia de natalibus caerimoniae illius in facris Latinis perbreuiter differuimus. Neque id alio confilio fecimus, nifi, vt documento effet, Photii aetate, fi vel maxime modus panis myftici fine fermento faciendi, iam tum emerfit, atque in eius confuetudinem Italia, Germania, Gallia, Britannia, Hifpania, aliaeque occidentis regiones venerunt, *n*) eumdem tamen ritum vel omnem ecclefiam Romanam nondum peruafiffe, vel tanti a Latinis non habitum, vel promifcue etiam alteram panis fpeciem vfurpatam, vel denique rem Graecis ad id tempus non fuiffe fatis apertam, cum ab eius reprehenfione abftinuerint, eaque, quibus Photium fcriptores nonnulli *o*) onerarunt, fuco haud careant. Itaque hoc idem filentium viri doctrina praeftantiffimi in maximis firmamentis

m) *Cap. fequ.* §. *IIII.*

n) MABILLONIVS *Differt. adlegatae cap. VIIII. pag. 155-161.*

o) *Part. I. cap. III.* §. *II. p. 34. feq.*

con-

tra azymi perpetuitatem facientibus
onunt. Neque vel oratione MABILLONII p) et CIAMPINI, q) qui multa alia
dem censu etiam a Photio neglecta,
ae in numero vituperationum omissa
tradunt, quae tamen eo iam tempore
d Latinos in more posita, Graecisque
sa ac contraria fuerint, vel MAIMBURGII, r) aliorumque Graecos vsum
mi illo tempore in erroribus habuisse
antium auctoritate franguntur.

CAPVT III.

ARGVMENTA, QVIBVS PERPETVVS AZYMI IN ECCLESIA LATINA VSVS OSTENDITVR.

§. I.

§. I. A Seruatoris apostolorumque exemplo.

atis opinor, operae oratoribus, pro antiquitate panis fermentati apud occidentales consecrati loquentibus datum
; audiatur iam altera factio, quae pro
rpetua azymi in ecclesia Romana dignite decertat. Huic multum animi est ac
luciae in exemplo Seruatoris, eiusque
scipulorum. Illum ex sententia Latinorum

p) cit. loc. cap. X. p. 173.
q) Coniect. de azymi vsu cap. III. p. 41. et cap. VI. 134. sequ.
r) Histoire du Schisme des Grecs Lib. III. Tom. I. 297.

norum coenam facram fine fermento inftituiffe, et plerisque a multis iam faeculis hanc fententiam haefiffe, eaque Graecos panis non fermentati contemtores diu multumque fuiffe exercitos, fuit, cum pluribus perfequeremur. *s*) Tanti magiftri et praemonftratoris veftigiis inceffiffe apoftolos, atque, vt erant ceteris in rebus inftitutorum fummi doctoris cultores ftudiofiffimi, ita de ritu hoc ipfo ad exemplum eius efformando fuiffe fine dubio follicitos fibi perfuadent. *t*) Et fide maius effe ducunt, Chriftianos illi aetati proximos, caerimoniam a teftatore fummo atque apoftolis, quafi hereditate, relictam fibi euelli paffos effe, vel iudicio neglexiffe, *v*) cum faepenumero iufto propius ad Iudaicas caerimonias multorum ingenium ad patrios mores procliue declinaret. Flocci haec omnia pendunt alii, qui, fi vel maxime largiantur Chriftum coenam myfticam azymo dediffe, cum alium eo tempore fumere nefas effet, at vero hoc eius exemplum lege, et neceffitate apoftolos obftrinxiffe praecife abnuunt. Neque enim cauffam fuiffe iudicant, cur apoftoli praeter neceffitatem, quod Chriftum in loco facere oportebat, in re tam leui fequerentur. Quod non

s) *Part. II. cap. VIII. §. I. p. 172.* atque etiam *cap. VIIII. §. I. p. 211.*

t) IO. CIAMPINVS *de perpetuo azymi vfu cap. III. p. 43.*

v) Idem *cap. II. pag. 33.*

tantum

tum statuit IO. BONA, x) sed eidem
udicationi ipse etiam MABILLONIVS
odam modo subscripsit. y) Manet igi-
· in ambiguo, et vacillat haec adsertio,
amsi Christum coenam extremam azy-
s constituisse daremus, vtrum apostoli
Christiani illud panis genus, non nisi
ıtis temporibus inter Iudaeos adopta-
m, ad eucharistiam vocauerint. Facile
ıec omnia ac radicitus perimuntur, si
:mo stat pede sententia VECCHIETTI,
E DOMINIS, CALMETI, TOINARDI,
EYLINGII, ZELTNERI, aliorumque,
ui Christum pridie, quam in crucem a-
eretur, pascha Iudaicum nullo pacto pol-
ıxisse, quemadmodum demonstraui-
ıus, z) strenue euincunt.

§. II.

§. II. A consuetudine in victu quotidiano azymos panes comedendi.

At illi, vt scenae seruiant, adferunt, quod grauius pondus habiturum sperant. Scilicet adfirmat IO. CIAMPINVS, inter homines sortis tenuioris panem sine fermenti admixtione effectum eo tempore fuisse longe vsitatissimum: a) vix esse ergo dubium, quin Christiani pro summa rerum difficultate atque angustiis idem alimentum, quo vulgo in vitae cultu ac paratu alebantur, hoc est, azymum in epu-

x) *Rer. Liturg. p. 365. et epist. ad Mabillonium in Ouvrages Posth. loc. cit. p. 82. et 89.*
y) *respons. ad Bonam* in *Ouvrag. Posth. pag. 86.*
z) *Part. II. cap. VIIII. §. I. p. 211. sequ.*
a) *Coniect. cit. cap. II. p. 41. sequ.*

lum

lum Domini adſciuerint. Hoc ad ſpeciem aliquid, re vera nihil eſſe, alii obſervant. *b*) Conferunt ſe illi quidem ad PLINII, CELSI ac GALENI teſtimonia, quibus tamen nihil propemodum efficiunt, niſi quod azymis aliquando corpus refeciſſe valetudinemque curaſſe homines, itemque gentes quasdam panes ſine fermento praeparatos in victu adhibuiſſe, ſignificant. Sed neutro, id, quod volunt, conſequuntur. Neque enim alterum illud de viribus azymo recuperandis vim legis in conſuetudine quotidiana hominum habuiſſe vſpiam docent, quin potius, iisdem illis auctoribus, pani fermentato ſingularis ſanandi ſeruandique corporis facultas non poteſt non adſcribi. Ita PLINIVS, cum panem *innumeras paene continere medicinas* ſtatuiſſet, diſerte addit: *c*) *ad omnia autem haec fermentatus, qui vocatur autopyros, vtilior.* Nec CELSVS *panem, ſi ſine fermento eſt, magis adſtringere d*) non fatetur: nec GALENVS *ſaluberrimos eſſe panes fermentatos et concoctu quam facillimos* aliquoties inculcare dubitat. *e*) Cur igitur azymo potius, quam fermentato pauperes veſcerentur, cum

b) vid. PHILIPPI IACOBI HARTMANNI *Commentar. de rebus geſtis Chriſt. ſub apoſtolis. cap. XVIIII. in not. p. 466. et ſequent.*

c) *Hiſt. Natur. lib. XXII. cap. XXV.*

d) *de re medica lib. II. cap. XXX.*

e) *de aliment. facult. lib. I. cap. VIIII.*

fermen-

nentatus eo etiam esset salubrior, et,
it PLINIVS *f*) *validiora sint corpora,*
e fermentato aluntur? cum nec mino-
vel pretio, vel opera azymi praepara-
constaret? De altero tenendum est,
n deesse quidem populos pane non fer-
ntato, immo vero nec farinaceo vi-
ntes: *g*) verum nihil illi ad Latinos,
nil ad Graecos. Ac fateatur, licet, PLI-
VS *h*) alium esse procerum Romanorum,
um vulgi panem; lautitias tamen cae-
curas in pane expressas, et excogitatam
alimento luxuriam, neutiquam fermen-
um vel omissum, vel admixtum innuit.
Quapropter equidem prae me fero vulga-
em panis fermentati per Italiam ea aeta-
e vsum vel illic perspici, vbi varia panis
ermentandi coquendique ratio a PLINIO
xponitur. *i*) In orientalibus certe re-
gionibus, vnde vis doctrinae purioris in
omnem terrarum orbem erupit, fermen-
tatum potius, quam azymum esu com-
muni tritum fuisse, tot leges diuinitus
conditae de pane fermentato paschatis
tempore ex omnibus vndique finibus ex-
pellendo demonstrant: at in Latinis siue
occidentalibus terris fermentatum panem
in consuetudine vsquequaque fuisse prae-
ter Plinium TACITVS, vir morum patrio-

f) *Hist. Nat. lib. XVIII. cap. XI.*
g) ibidem *cap. III. et XI.*
h) *Hist. Nat. lib. XVIIII. cap. IIII.*
i) *Lib. XVIII. cap. XI.*

rum

rum iuxta, atque externorum apprime gnarus prodit, quippe qui panem Iudaicum nullo fermento temperatum, in *rituum ceteris mortalibus contrariorum* numerum ac censum refert: *k*) vt aliorum, quae huc spectant, commemorationem transgrediar.

§. III. *A testimonio quodam Epiphanii maxime controverso, quod explicatur.*

§. III.

In subsidium caussae laborantis testes ex omni antiquitate permulti vocantur. Prae reliquis EPIPHANIVM adeunt, qui Ebionitas ad imitationem ecclesiae mysteria semel, circumacto quoque anno per azyma, alteram autem partem mysterii per aquam meram celebrasse refert. *l*) Ex quo loco ita probari posse putat CAESAR BARONIVS *m*) vsum azymorum eo iam tempore obtinuisse, *vt nulla dubitatio supersit*. Idem testimonium a partibus illis stare videtur MABILLONIO, *n*) eiusque adstipulatoribus, quorum haec est declaratio: si ecclesiae morem secuti Ebionitae azymum consecrarunt; quis est, qui ecclesiam eodem panis genere consecrasse neget? *Si igitur*, scribit BARONIVS, *o*) *illi ad imitationem sanctorum in ecclesia in azymis mysteria conficiebant, hoc enim no-*

k) *Histor. lib. V. cap. IIII. §. I. sequ.*
l) cuius verba attulimus *Part. I. cap. I. §. III.*
m) *ad a. 34. N. XXXXVI. Annal. Tom. I. p. 279.*
n) *Dissert. de azymo et ferm. cap. X. pag. 167.*
o) *cit. loc.*

mine

e antiqui eucharistiam nominabant, nul- st dubitatio, maiores omnes eumdem ser- è ritum, vt in azymis eadem mysteria ?a confecerint. At vnde hoc illi, nisi a ipsorum patribus, apostolis Domini, et a Christo id facere didicissent? Vim ar- nenti facile eludunt, et adspectum te- huius haud moleste ferunt azymi im- natores. Etenim haec ipsa verba pa- potius fermentati, quam azymi anti- :atem docere censent, neque sibi, vt arebit, nimium hic permittunt. Rem, potero breuitate, planam faciam. ncinit et fatetur vtraque factio, EPI- ANIVM adfirmare, Ebionitas azymis aqua mera sacram coenam celebrasse, ue haec mysteria eos ad imitationem *ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*, siue sanctorum in lesia perfecisse. Neque enim discri- n singulare in eo ponendum, quod voces *τῶν ἁγίων* alii *τοὺς ἁγίους* siue san- s ecclesiae ciues; alii *τὰ ἅγια*, siue sa- in ecclesia, hoc est, ipsam eucharisti- intelligunt. *p*) Vtraque certe opinio :o consonat, Ebionitas quadam in par- ,eram ecclesiam fuisse imitatos. Cum :ur EPIPHANIVS adiecerit, *κατὰ μί-*

) Per *ἁγίων* intelligendum esse epulum salutare, is mysteria *τὰ ἅγια κατ' ἐξοχὴν* appellentur, IO. LLAEVS arbitratur, atque ex concilii Laodice- *anone XIIII. περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς ἑτέρας παροι- μετακομίζεσθαι*, ex ZONARA atque aliunde con- urae per se satis firmae robur petit, *de Cult. Rel. Latin. libr. III. cap. II. p. 294.*

μησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ grauis oritur dissensio, quorsum ea verba trahenda, et quid sit, quod ad exemplum ecclesiae fecerint, et ex quo potissimum similitudinem duxerint? Ex eone, quod azymis? vt explicat BARONIVS, atque alii, in quibus Lutheranos nonnullos quoque esse *q*) haud dissimulo: an ex eo, quod aqua sola? an ex eo, quod singulis annis semel? an denique ex eo, quod eucharistiam, quocumque etiam modo ac tempore celebrarent, celebrauerint tamen? Si generatim EPIPHANII locus perlegatur, is profecto rem in sacrificio oblatam ac tempus ad imitationem ecclesiae composita fuisse nullo plane pacto adfirmat. Fac enim ad illa omnino animum retulisse scriptorem sacrum; habebis, fateor, quod voluisti, ciuitatem Dei azymo fuisse delectatam: at vero velis, nolis, eiusdem probationis vi habebis et illud, ecclesiam sanctissimam eodem tempore meram aquam loco vini in Domini infudisse calicem: habebis illud, Christianorum coetum quotannis semel tantum ad eucharistiam accessisse. Quod ineptum, atque alienum ab omni similitudine veri esse, nemo non fatebitur. Quis enim est, qui adstruat, eo tempore solam aquam

q) vid. *Harmon. Euangel. Chemnitio-Lysero-Gerhard. cap. CLXXI. Tom. II. p. 1087.* IO. ANDREAS QVENSTEDT *Antiquitat. Bibl. Sect. III. Num. II. §. II. p. 376.*

praeter

aeter institutionem ac praeceptum
ıristi in sacra coena bibisse turbam
ıristi, quam Ebionitae sint imitati? Quis
l in animum inducat credere, gentem
:i singulis tantum annis panem mysti-
m dispensasse, quod de Ebionitis refert
IPHANIVS, cum illa contra quam fre-
entissime epulo lautissimo pasceretur?
ım igitur ad haec EPIPHANIVM spe-
ısse, plane commentitium sit; vereor, ne
ısdem sit census, si sacrificium non fer-
entatum cogitatione illum tantum com-
exum fuisse censeamus. r) Non sane
:, cur in hoc vno Ebionitas institutum
ıristianorum secutos esse fingamus. Hae-
t hic aqua: neque habent, quo se ver-
nt aduersae expositionis adsertores,
ıam vt dicant, ideo de azymis solum
verba explananda, quia pane fermenti
:perte populum Iesu sanctissimum tum
mporis corpus Domini confecisse, sit
comperto. s) At! at! quae est de-
um, obsecro, petitio principii, nisi haec
t? Hoc est ex praeiudicata opinione
ugnare, et per circulum effugere. Si tibi
m antea obstinata mens est, si eo tem-

r) Huc redit argumentatio IO. BONAE *Rer. Lit.* *b. I. cap. XXIII. p. 368.* conf. IACOBI SIRMONDI *)isquisitio cit. cap. II. p. 102.*

s) Ea de caussa Latinos bene multos haustae a :neris opinionis nimium tenaces atque omnia ad ıodulum suum pedemque examinantes libere gra- iterque exagitat BONA *p. 366.*

pore ſine fermento eccleſiam conſecraſſe iam antea conſtituiſti; neque opus eſt hoc teſtimonio, neque etiam, ſi maxime velis, tibi illud ſuffragabitur. Quapropter, cum nihil ſit, cur de azymo pane ſolum voces *ad imitationem ſanctorum in eccleſia* intelligendae ſint, reſtat id, quod aliunde etiam ex EPIPHANIO, IOANNES BONA probat, *t*) Ebionitas, in eo ſe ad eccleſiae verae diſciplinam compoſuiſſe, quod ſacram coenam celebrauerint. Conſecrarint ſane azymum, conſecrarint aquam meram, et fecerint id per annum ſemel; tamen celebrarunt euchariſtiam. Quod cum obſeruauerint homines Iudaicis ritibus alioquin adſuefacti, vere addit EPIPHANIVS, eos eccleſiam veram imitatos, ab eiusdem coenae myſterio exemplum ac ſpecimen eius rei faciendae petiiſſe. Ita nihil pro conſecrationis fermento deſtitutae vetuſtate adferre hoc teſtimonium in aperto eſt ac propatulo, *v*) et BARONIVS qui tam magnifice hoc loco ſuperbit, aliis merito ludibrium debet. Peropportune ad hunc locum notat DALLAEVS: *x*) *Epiphanius illud tantum ab eccleſia mutuatos et imitatos eſſe intelligit, quod, vt haec, ita et ipſi* (Ebionitae) *ſuum quoddam haberent et baptiſma et euchariſticum*

t) *epiſt. ad Mabillonium* in eius *Ouvrages Poſthumes Tom. I. p. 83.*
v) SIRMONDVS *loc. cit.*
x) *De Cult. Relig. Lat. loc. cit. pag. 295.*

fer-

*rculum. Hactenus imitatio, quam si vl-
ı tendas, ridiculus fies. Cetera, quae
ıuuntur de anniuersario, de azymis, de aqua
ıra, non eo adiicit Epiphanius, vt Ebionaeos
Christianis haec quoque habere significet:
od quantumuis crassum sit, et delirum, Ba-
nius tamen pro sua sapientia posuit, vt
a azyma in veteri ecclesia inueniret.* Ne-
ıe satis habent, qui pro vsu fermentati
tustissimo depugnant, vim aduersario-
m reprimere, sed suo illos gladio iugu-
ıt, et hac ipsa machina azymi antiquita-
m prosternunt. Eo enim progrediun-
r, vt ab EPIPHANIO Ebionitas obiur-
ri doceant, quod, etiamsi mysteria ad
emplum ecclesiae obeant, ea tamen imi-
tio sit admodum manca, cum vestigia
us secuturi, in deuia aberrent. Idcirco
ɔtari Ebionitas, quod loco panis fermen-
ti appeterent azyma, quae ex discipli-
ı Mosaica, vt fuisse existimantur Iudaeis,
ıam Christianis similiores, sine dubio
petenda esse duxerint: quod loco vini,
quam meram in conuiuio mystico hau-
rent, ex ingenio scitisque quarumdam
ı Iudaeis sectarum, quae vini contemtu
ı magnam gloriam venerant: quod de-
ique nec saepius, sed semel tantum per
nni spatium eucharistiam sumerent, pla-
ıe morem Israëlitarum, qui dies festos
zymo comedendo sacros, circumuoluto
quoque anno, agebant, expressuri. Ita
Ebionitis quidem documento fuisse ec-
clesiam, vt eucharisticam coenam obi-
V 3 rent;

rent; sed reprehensionem effugere haud potuisse, quod Iudaicis caerimoniis admixtis, epulum noui foederis incorruptissimum, imitatione mutila, deprauauerint, ac polluerint. Et vix videtur caussa subesse, cur panis non fermentatus sit ex eo numero eximendus, vt fert eorum commentatio, qui contra nituntur; cum reliqua, scilicet aquae merae consecrationem, atque sacrae coenae vsum anniuersarium sine vlla dubitatione EPIPHANIVS Ebionitis vitio verterit. Videntur ergo SIRMONDO, y) BONAE, z) aliisque ingeniis in omni eruditionis genere exercitatissimis a) iidem homines azymorum caussa in crimen et inuidiam vocati: a qua opinione nequaquam deiiciuntur, nisi per illa tempora coetum Dei azymo mysterium perfecisse aliunde aduersarii euincant. Id adeo clarum esse, ait DALLAEVS, b) *vt quiuis id intelligat, qui nimirum non alios*

y) *Disquis. de azymo cit. loc. cap. II. p. 102. sequ.* conf. MABILLONII *Differt. de azymo et ferm. cap. X. p. 167.*

z) *Liturg. cit. p. 369.*

a) vid AVGVSTINVS CALMETVS *Differt. sur la derniere Paque de J. C. Tomo VII. du Commentaire sur la Bible, pag. 65.* IAC. BASNAGIVS *Histoire de l' Eglise lib. XIIII. cap. III. §. IIII. Tom. II. p. 820.* IO. FRANCISCVS BVDDEVS *Instit. Theol. Dogm. lib. V. cap. I. §. XIIII. p. 1156.* PHILIPPVS IAC. HARTMANNVS *Comment. de rebus gestis Christ. sub Apost. cap. XVIIII. in not. pag. 408.*

b) *loc. cit. p. 295.*

azy-

ymitarum patriarchas edit, quam Ebioeos haereticos, semi-Iudaeos. Quod si :re et constanter dicitur, nescio, an mul-.m ponderis habitura sit ratiuncula illa, ıa IO. MABILLONIVS supra dictis ocırrit, *c*) si EPIPHANIVS azymi vsum ıter errores computasset, ad eius alicubi escendisset accusationem. Ita, quo in ransuersum euntes sese tuentur, patroıus contra azymi esum in mysterio Chritiano vetustissimum ipse pugnat, vel cer-:e e caussa ereptus, eam orbam et debili-:atam relinquit.

§. IIII.

§. IIII. A suffragiis conciliorum et veterum ecclesiae doctorum.

Idem vsu venit, quando in variis patrum antiquissimorum testimoniis, *d*) in primis in concilii Toletani decimi sexti saeculo VII. habiti auctoritate delitescunt, et panis nitidi nomine, neque enim aliud ibi inueniunt, quod e re sua esse existiment, fermenti expertem intelligunt. *e*) Depelluntur enim ex hoc ipso propugnaculo ab iis, qui contrarium indidem eruvnt, quemadmodum aliquanto ante exposuimus. *f*) Aduocat porro IOANNES

c) *Ouvrages Posthumes Tom. I. pag. 87.* conf. *Dissert. de azymo cap. X.* ibidem *p. 167.*

d) vid. CIAMPINVS *Coniectur. de perpetuo azymi vsu cap. III. p. 44. sequ.*

e) MABILLONIVS *Dissert. adductae cap. VIII. p. 146. cap. X. p. 169.* CIAMPINVS *cit. loc. p. 56.*

f) *Cap. anteced. §. V. pag. 289.*



MABILLONIVS *g*) caussae suae adiutorem, ISIDORVM HISPALENSEM, qui epistola ad Redemtum scripta, saeculo ineunte septimo, modum sine fermento corpus Domini capiendi viguisse testificetur; *h*) sed testimonium hoc auctoris, nec ipsis Latinis semper fide digni, *i*) vel ambiguum, vel adeo suppositum, esse alii reclamant. Deinde ex temporibus proximis BEDAM, EGBERTVM EBORACENSEM, in primis eorum discipulum, ALCVINVM, qui in epistola ad Lugdunenses sub exitum saeculi VIII. missa *k*) Hispanos carpit, quod sal pani consecrando admiscuerint, additque, *tria sunt, quae in sacrificio huius testimonii offerenda sunt, panis, aqua et vinum: panis, qui in corpus Domini consecratur absque fermento alterius infectionis debet esse mundissimus, et aqua absque omni sorde purissima* - et reliqua. Neque haec omnia ea sunt, quae scrupulum, qui aduersarios vellicat, eximant: *l*) neque, si, saeculo octauo exeunte, vsus panis azymi ab ALCVINO aliisque stabiliri coepit, quem paullo ante Photium pedetentim intrasse multi statutum habent,

g) *Praefat. ad Annal. Saec. III. Benedict. pag. 45. sqq.*

h) *pag. 696.*

i) vid. IO. DALLAEVS *de Cultib. Rel. Lat. pag.* 296. BONA *epist. ad Mabill. in Ouvrages Posth. Tom. I. p. 88.*

k) *Op. Tom. II. p. 681.*

l) vid. IACOBVS BASNAGIVS *loc. cit.*

nt, *m*) ideo caussa inferiores discedunt,
ii fermento temperatum panem ad Pho-
im vsque, atque etiam amplius regnas-
, eoque circiter tempore ritum azymi
rrepsisse, nec ita multo post per omnem
clesiam Latinam se diffudisse opinantur.
uod ipsum etiam valet contra locum,
uem ex RABANO MAVRO, Archiepisco-
o Moguntino circumferunt, qui *in insti-
utione Clericorum*, *n*) adscriptis verbis in-
itutionis, subiungit e vestigio ac praeci-
it: *ergo panem infermentatum et vinum
qua mixtum in sacramentum corporis et
anguinis Christi sanctificari oportet.* Cu-
us testimonii contra Sirmondum produ-
cti fidem, quae in dubium vocabatur, tue-
tur MABILLONIVS, *o*) illudque genui-
num atque incorruptum in manu exaratis
voluminibus vetustissimis exstare, et inte-
grum in duobus exemplis in bibliotheca
regia Gallica adseruatis exhiberi, ac pal-
marium Sirmondi firmamentum vel vno
hoc loco subuerti posse, omni adseuera-
tione aliis persuadet. Sed sit germanus
RABANI fetus, de quo tamen docti ni-
hilominus dubitant, qui et ordinem scri-
pti et auctoris ceteroqui praeclaram eru-

m) vide *cap. praeced.* §. *VI.*

n) *Lib. I. cap. XXXI. Op. Tom. VI. pag.* 12. *Col. Agrip.* 1626.

o) *Annal. Benedict. Saec. VIIII. Lib. XXVIII. Tom. II. p.* 455. vid. SAM. BASNAGIVS *Annal. Politico-Ecclesiast. Tom. II. p.* 628.

ditionem, et lacunam in codicibus manu ſcriptis loci illius deprauationem palam, et quaſi exporrectis digitis, oſtendere arbitrantur: *p*) verum ſint haec, vt vult MABILLONIVS, fixa; nec tamen liquido teſtis ille demonſtrat, fuiſſe iis temporibus panem non fermentatum a Latinis vulgo in coena Chriſti adhibitum. Neque videtur a vero eſſe auerſum, eum de ſingulari eccleſiae Moguntinae, cui praeerat, conſuetudine loqui, eamque argumento a Chriſti exemplo deſumto defendere, laudare, commendare. Qua cum expoſitione, puto, aliqua ex parte congruere illam Graecorum, quorum nonnulli Francos hoc ipſo ſaeculo in comitatu Caroli Magni Romam delatos azymi conſecrandi conſuetudinem in Italia diſſeminaſſe, vt ſupra memorauimus, *q*) augurantur. Deinde cum ſingularibus atque ad id tempus inauditis, immo nec poſtea ab eccleſia Latina generatim in collegium reliquarum cooptatis rationibus nitatur, quibus non praeſtantiam, ſed adeo neceſſitatem azymi efficit; non videtur, quid moris eo tempore fuerit oſtendere, ſed quid ipſe eo de ritu ſentiat, declarare voluiſſe. *r*) Ceterum, quam adfectant, viam contra

p) BONA *Rer. Liturg. p. 376.* et *Ouvrages Poſthum. Mabillonii Tom. I. p. 83.* quibus adiungatur DALLAEVS *libr. cit. cap. III. p. 303.* IACOBVS BASNAGIVS *cit. loc. §. VI. p. 821.*

q) adi *Part. I. cap. III. §. I.*

r) IO. BONA loco memorato.

Sirmon-

nondum muniunt auctoritate ELDE-
NSI, episcopi, qui in scripto, quod ex
iotheca Vaticana desumtum exhibet
BILLONIVS, s) panem eucharisticum
iel iterumque vocauit azymum. t)
nc esse saeculi noni testem tradit MA-
LONIVS v) fide ipsius ELDEFONSI
motus, vtpote qui in scripto citato
etur, se librum hunc ipsum anno
CCXXXXV. conscripsisse. x) Magnam
illo antiquitatis indice LVCAS HOL-
ENIVS, nec non alii fiduciam posue-
nt: et sane videtur hoc testimonio vsus
ymi panis in eucharistia saeculo VIIII.
ceptus aliquantulum defendi posse: ne-
ie potest non fateri BONA hoc, si vere
stiterit, non minimi fore momenti. y)
eque tamen caussa cadunt, qui eo tem-
re azymi caerimoniam lucem adspexis-
atque in Hispania forte iam tum obti-
ere potuisse, non penitus abnuunt. Tum
ero, quae est multorum coniectura, il-
id non est nisi vndecimi aut XII. saecu-
, z) quem annorum numerum ipsum

s) Inscribitur: *Reuelatio, quae ostensa est Venera-
ili Viro Hispaniensi* ELDEFONSO, *Episcopo*, ac de-
cripta exhibetur in MABILLONII *Ouvrages Post-
umes Tom. I. lib. II. pag. 189 - 197.*

t) ibidem *pag. 189. et 190.*

v) *loc. cit. p. 185.*

x) ELDEFONSI *Reuelatio p. 189.*

y) *epist. ad Mabillon. in Mabillonii Ouvrag. Posth.
Tom. I. pag. 82.*

z) IACOBVS BASNAGIVS *Histoire de l'Eglise*

volu-

volumen manu exaratum bibliothecae Vaticanae prae se ferre animaduertunt.

§. V.
Ab effato Leonis VIIII.

§. V.

Ne quid forte ponderis hisce moliminibus desit, lancem in libra depressuri appendunt effatum LEONIS VIIII. viri, vt putant, falli aut fallere nescii, hoc est, Pontificis Maximi. Is semel, iterumque ac saepius in litteris ad Cerularium et Petrum Acridanum saeculo XI. datis fatetur, per mille annos et eo amplius ad suam vsque aetatem azymo pane ecclesiam consecrasse. *a*) Habent hanc orationem pro exploratissima multi Latinorum cum ANTONIO AVGVSTINO, *b*) vt quiduis potius, quam, Latinos vmquam fermentato sacrificasse in animum inducant credere. In iisdem castris LVDOVICVS MAIMBVRGIVS, *c*) ROBERTVS BELLARMINVS *d*) atque alii latent; at vero quosdam tanto, tamque perspicuo

loc. cit. p. 821. BVDDEVS *praefat. ad Parerga Historico-Theol. p. 19.* MABILLONII *Ouvrages Posth. p. 186.*

a) testimonia Leonis citata ac descripta legas, licet, *Part. II. cap. VIIII. §. II. p. 234. sequ.*

b) in *epist. ad Latinum Latinium: Leonis VIIII. testimonio constat, semper Latinos fermento abstinuisse in dominicae coenae mysteriis. Obseruat. Latinii Tom. II. p. 173.*

c) *Hist. du Schisme des Grecs Lib. III. Tom. I. p. 297.*

d) *de Sacram. Euchar. lib. IIII. cap. VIIII. Op. Tom. III. p. 618.*

oraculo

culo haud adquiescere NICOLAVS
MNENVS *e*) ingemiscit. Interim res
integra: et ex hoc laqueo se extricant
im illi, quibus tanti auctoris, quem su-
vulgarem mortalium conditionem po-
nt, responsum pro decretorio haben-
m. Patet enim aditus ad refugium,
o nec illius detrahant auctoritati, ne-
e tamen suae quicquam victoriae ex
idiis decerpi patiantur. Respondent
mirum *f*) magnis illis opinatoribus, non
ictum azymo vescendi morem, sed
gina, eo panis genere rite posse eucha-
tiam administrari, per mille annos et
tra vsque ad Leonis VIIII. tempora nul-
modo impugnatum hoc loco intelligi.
a fretus opinione IOANNES BONA hoc
lem LEONIS testimonium in demon-
randa azymi Latinorum eucharistici per-
etuitate vel pro nullo habuit, vel eius
uit omnino immemor, dum scriberet: *g*)
*ec Humbertum, nec reliquos scriptores, qui
rimitus aduersus Graecos de azymis acer-
rime decertarunt, hanc perpetui moris prae-
scriptionem in suae caussae defensionem et
robur adferre ausos esse, scientes, nihil in ea
praesidii fore, quod serius a Latinis recepta
azyma non ignorarent.* At enim, ne quid
de HVMBERTO dicam, de LEONE certe,

e) *Praenot. Mystag. Resp. III. pag. 177.*
f) BONA in *Mabillonii Ouvrag. Posth. Tom. I. p.* 83.
g) *Rer. Liturg. lib. I. cap. XXIII. p. 375.*

primo

primo azymi a Graecis impugnati vindice, indicio manifesto constat, eum et hoc telum in aduersarios locis supra commonstratis audacter vibrasse. Hic igitur, vt mihi quidem videtur, latior effugiendi rima iis relicta est, qui vtrumque panis genus apud Latinos antiquitus vsitatum fuisse existimant. Neque enim diffiteor, epistolam illam LEONIS non tantum de doctrina, sed etiam de vsu azymi in eucharistia antiquo ac perpetuo apertissime planissimeque loqui. Velut est hoc, vbi *primorum martyrum, exercitum innumerabilem vtriusque sexus, azymis Latinorum saginatum idololatriae impetum fregisse*, adseuerat. *b*) Purioribus sacris initiati multo expeditissimam vsque quaque elabendi viam circum circa vident, *i*) qui omnes homines ex communi mortalium indole, diiudicant, atque eadem quasi regula examinant. Illi vnius Pontificis auctoritatem multorum fide dignioribus testimoniis in contrarium prolatis parem ponere, iniquum, at superiorem facere, eodem loco esse putant, ac veritatem de medio, vel de coelo solem tollere.

§. VI.

§. *VI.* *A silentio antiquitatis de azymi origine.*

Neque vero voces solum testium, sed et vetustatis de azymi ciuitate sacra dona-

b) *epist. aduersus praesumtiones Cerularii cap. XXIII. Concil. Tom. IIII. p. 59.*

i) vid. IACOBVS BASNAGIVS *cit. loc. pag.* 820.

ti

lentium eiusdem ritus perpetuitatem :are arbitrantur. Panis non fermen- vſu ſaeculo X. vel certe XI. eccleſiam inam regionesque occidentales ferme nes Chriſtum profeſſas ſeſe obleuiſſe, : Sirmondi adſtipulatores infitias eunt, :, ſi velint, poſſunt. Aut igitur a pri- s temporibus idem mos per omnia ſae- la ad iſtam aetatem defluxit: aut fuit, m, pane fermentato reiecto, alterius nis eſus in eccleſiam Latinam admitte- tur. Si prius verum eſt; habent quod)lunt azymi patroni: ſin poſterius fidem eretur; inſtat MABILLONIVS, k) cur go ſilent de iſta nouae rei introductio- e etiam illi, qui leuiſſimorum rituum rigines, abrogationes, mutationes, an- ie ac ſollicite perſcripſerunt. Quid eſt, uod de caerimonia tam ſancta, tam de- iique vſque quaque peruulgata rite ſur- roganda atque obſeruanda ne verbulo quidem praecipiunt decreta? Sine qui- bus fuiſſet, vix credibile eſt, ex omni oc- cidentali eccleſia, at quam ampla? fer- mentatum panem, antea ex opinione Sir- mondi ſacris deſtinatum, proſcribi, et ho- die quoque mire collaudatum azymi con- ſecrandi modum inferri potuiſſe. l) Cum igitur ſacrificium ſine fermento in rem ſa- cram Latinorum ſaeculo XI. fuerit vbi- que introlatum; nec tamen veſtigium, vel

k) *Cap. VII. Differt. cit. pag. 122. ſequent.*
l) IO. MABILLONIVS ibidem *p. 134.*

vola

vola factae mutationis in panis mystici alterutro genere aut deligendo, aut abdicando in omni antiquitate appareat; non posse non constitui, putant, idem illud sacrificandi institutum iam inde vsque a Christo in ecclesia Romana fuisse in more sacro positum. Vix persuadent haec vniuersa, nedum cogant. Primum enim satis multa adesse signa fermentati panis eucharistici, vel ex superioribus perspicitur: deinde, quod ad silentium decretorum attinet, multa sane sunt, et ea longe grauiora quae sensim ab ecclesia Latina fecundissima illa caerimoniarum parente fuerunt arcessita, ac postea vsu firmata et progressionibus aucta ad reliquas occidentis terras transuolarunt, quorum originem in tabulis incorruptis, ac legibus publicis difficilius, quam Nili fontes, indagaueris: nisi legum quarumdam occasione arrepta, latius per se homines rituum amantissimos gradatim processisse dixeris. *m*) Verum tamen quis est adeo

m) Possem id equidem, si exemplis omnia comprobandi et locus et caussa esset, vel vno panis in eucharistia frangendi ritu pluribus perdocere: quem LEO VIIII. sua aetate, hoc est, saeculo XI. vsitatum fuisse in *epistola ad Cerularium et Leonem Acrid.* supra citata liquido monstrat, qui tamen hoc ipso saeculo XI. exeunte euanescere coepit, atque paullo post, decretis ac legibus tacentibus, exspirauit. Ita panum maiusculorum in mysterio locum tenuissimae placentulae, quibus hodie quoque maxima hominum pars in eucharistia vtitur, per se nullis ta-

excors

:ors et plumbeus, vt ista omnia ideo, ıa de initiis eorum vel leges vel monuıta alia silent, per omnia saecula inde Christo floruisse iudicet? Neque enim onum, si testimonia eiusmodi vel iniurn temporum attriuisse, vel hominum iniosorum fraudem dedita opera supessisse, vel ea aliis de caussis de medio olata esse, suspiceris. Et cum alia perılta praecepta de singulari panes mystiıs coquendi ratione ac studio, quorum ud alio grauius curam eius rei suscipemandat, saeculo VIII. et temporibus oximis tradita sint, quae paullo ante aduximus: *n*) quamuis ista, quibus fermenetiam admixtio a pane sacro abesse iuetur, velut hoc, quod ex ISIDORO HIPALENSI, ALCVINO, RABANO MAVo didicimus, suo iure videantur quodamnodo interpolata; quid, amabo, obstat, quo minus ab illis fermenti exclusionem ex panibus nitidissimis profectam fuisse licamus? Inde fluxit, vt, qui posteris temporibus artem panis mystici coquendi vel describerent, vel traderent, suum ipsi ingenium secuti varia, quae panibus quam mundissime faciendis conducerent, adiicerent, eaque de caussa fermentum saepius, ne candori panis sacri lautissimi ob-

bulis ac praeceptis publicis fixae occuparunt: quas deinde tanto cum strepitu tot scriptores praedicant.

n) vid. *cap. huius* §. *IIII.*

 esset,

esset, repudiarent. *o)* Ceterum ista aetate, cum azymi vsus per omnem occidentem serperet, nec opus fuit lege vel decretis, si, ex opinione Bonae, vtroque pane pro-

o) Cuiusmodi est decantatum illud RAYMVNDI:
Hostia sit modica: sic presbyteri faciant hanc:
Candida, triticea, tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non salsa sit hostia Christi.

Non equidem diffiteor, in CAROLI DV FRESNE *Gloss. Latinit. et vet. et nou. edit. Tom. IIII. p. 1272.* in voce *oblata* scribi: *Expers frumenti* non *fermenti*, vt mihi visum est scribere; sed vereor, ne RAYMVNDVM sensus communis expertem fuisse iudicent, qui eum hoc loco nomen *frumenti* vsurpasse censent. Cum enim *hostiam* iubeat esse *triticeam*, triticum autem perinde atque alia frugum genera, vnde panis fieri solet, ad frumenta non modo PLINIO teste, *Hist. Nat. lib. XVIII. cap. VIII.* sed ipsa rerum natura magistra, non possit non referri; pugnans et perabsurdum caneret, *si hostiam triticeam* vellet esse *frumenti expertem.* Si quis autem sit, qui existimet, per frumentum forte vilius quoddam, vel non satis purgatum tritumque frumenti genus innui, is quidem sciat, id ipsum iam antea monuisse RAYMVNDVM, *vt munda, candida, ac tenuis sit oblata:* deinde ab omni sermonis Latini vsu explicationem illam abhorrere obseruabit. Ne RAYMVNDI quidem aetate alia, praeter communem illam frumenti significationem, vocis vis regnauit, nec scriptores, qui per ea tempora de pane mystico praeparando disseruerunt, frumenti vocem aliter, quam par est, adhibent, quando *hostias de frumento electo et purissimo*, vt vult *Liber ord. S. Vict. Paris. manuscr. cap. XX.* vel ex *electis* frumenti *granis*, vt ANSELMVS ait *Dial. aduersus Grae-*

miscue

cue gaudebant Latini, ità facile fer-
ıtum pani addere, facile demere po-
:unt, vt fuerunt in ratione panem fa-
n coquendi et insignite solliciti, et va-
temporibus varii. *p*)

§. VII.

§. VII. A forma et conditione panis eucharistici Latinorum.

Ad extremum rationibus, quas per-
ıti sumus, quasi appendiculam quam-
ı adnectemus eam, quam a conditione
is mystici Latinorum figuris litteris-
ornati petunt. *q*) Latinos iam anti-
; temporibus panes mensae sacrae de-
atos characteribus et simulacris signas-
osque ex diluto similae effecisse IOAN-
; MABILLONIVS perdocet: quo in

ib. III. cap. XVIII. in Spicil. Dacher. Tom. I. 4. coquere iubent. Ita non potui, quin *fer-i* vocem loco *frumenti* adscriberem: quae scri-li ratio multum quoque firmamenti ac roboris sumit, quod aliae eius generis leges eadem aetate conditae *hostiam fermenti expertem* de-ant: velut haec, quam ex libro manuscripto *ermaniae consuetudinibus* depromunt: *Super ta-m singula eligantur grana, mola ex alio frumen-undetur, multipliciter farina purificetur, massa fermento conficiatur, maceretur ab ipsis:* et rel. . DV FRESNE *loc. cit.* et ALOYSIVS NOVA-VS *Agni Eucharist. cap. LXVIII. sequ.* Minus : dignus obseruatione fuisset hic locus, nisi vi-:tiam eruditissimos illa RAYMVNDI verba ma-:scripsisse animaduerterem.

ı vide supra *cap. praeced. II. §. VI. p. 293.*

ı *Differt. adleg. cap. VIII. p. 135.* et *Praefat. ad ul. Bened. III. §. LIII. sequ.*

genere piſtores fermento maſſam depſiticiam ſubigere diffitetur. *r*) Inde cogit Latinos iam antiquitus panibus fermento deſtitutis fuiſſe in epulo omnium apparatiſſimo cibatos. Potuiſſe tamen et hoc panis genus praefermentari, ſtatuunt adverſarii, qui multis verbis de praeparatione illa panis euchariſtici perantiqua, ſine fermenti omiſſi commemoratione, loquuntur, et IACOBVS SIRMONDVS *s*) et IOANNES BONA. *t*) Neque laeua mente iidem illi, qui a fermentati panis antiquitate ſtant, adferunt, gentes etiam pleraſque orientales panem conſecrandum, quem tamen non, niſi admixto fermento depſunt, ex maſſa multo puriſſima coquere, in eoque litteras ac figuras inſcribere. *v*) Quam adfirmationem CHRISTOPHORI ANGELI, *x*) IACOBI GOARI, *y*) PETRI ARCVDII, *z*) ac THOMAE

r) ibidem et in *Ouvrages Poſth. Tom. I. p. 87.*

s) *Disquiſ. de azymo cap. IIII. p. 115.*

t) *Liturg. cit. l. p. 387.* et *epiſt. ad Mabill. in Ouvr. Poſthumes Tom. I. p. 83.*

v) Figuras ac ſimulacra in panibus Graecorum myſticis expreſſa, ne ad remotiora te ablegem, vide in IO. ANDREAE SCHMIDII *Diſſert. de Oblat. Euchariſt.* in tabella adnexa. Sunt placentae mediocres variis plerumque crucis imaginibus ornatae, quibus litterae IC. XC. et N. K. hoc eſt, Ἰησοῦς Χριστὸς Νικᾷ, interſeruntur.

x) *Enchirid. de ſtatu Graecorum hod. p. 32. et 34.*

y) *EuchＯlog. p. 117.*

z) *Concord. eccl. orient. et occid. lib. III. de Euch. cap. XXXVIII. p. 272.*

SMITH,

TH, a) virorum notitia rerum Grae-
im instructissimorum suffragia de ex-
itissima panis sancti coctione lata ner-
us confirmant.

CAPVT IIII.

GVMENTA PRO VSV PA- S VTRIVSQVE ANTE PHO- TIVM PROMISCVO.

§. I.

§. I. Sententia Bonae ex superioribus vltro citroque prolatis nascitur.

:que hae fere sunt vtriusque factionis rationes, quas consideranti duo sunt, quidem sententia, quae apparent. m, idque praecipuum, quod demon-ionem hic audias omnino nullam, qua zymi vnius, aut solius fermentati pa-er saecula illa antiqua vsus in sacrifi-atino stabiliatur. Itaque nihil erit, vel soli azymo, vel fermentato pani m adsignare possis. Alterum est, quod rgumenta quaedam satis grauia, quae ecrationem non fermentatam ante ium in ecclesia Latina ostendere pos- at illis haud paullo grauiora, quae em fermentatum in ecclesia eadem per tempus obtinuisse peruincunt. Si duabus lancibus momenta vtrimque ata appendantur, et calculi accurate intur, aut paria eadem in re contra-n partibus rationum pondera inue-

epist. de eccl. Gr. hod. statu pag. 200.

nies, aut erunt ea, quae pro alterutra sententia adferuntur, grauiora. Fac pari vtramque valere nisu; neutri poteris accedere, neutram amplecti: namque eadem vi te reuocabit altera, ad suam te quaeque rapiet diiudicationem. Ne igitur non constet vtrique sua dignitas ac veritas, erit omnino conclusio diuidenda, et constituendum, aeuo prisco nunc imbutum fermento, nunc destitutum panem in Latina ecclesia ad eucharistiam fuisse delatum. Sin grauiores sunt, vt non sane per caliginem videntur esse, probationes pro fermentato adductae; erunt tamen alterae illae alicuius ponderis, impedientque, quo minus fermentatum vnum in consuetudine fuisse colligas, idque eo magis, quod fermentati panis solius consecratio, quemadmodum dixi, ratione nulla comprobatur. Cum igitur panem azymum ante Photium etiam aliquando Latinos adhibuisse ostendere videantur documenta nonnulla: cum porro fermentatum eodem tempore fractum fuisse pluribus, longeque maioribus rationibus, veluti clauo trabali, figatur; necesse est, existimet homo a partium studio alienus, ante saeculum VIIII. et X. Latinos interdum et alicubi panem fermenti expertem, at fermentatum plerumque vsurpasse. Atque ab hac origine manauit, quae IOANNI BONAE adscribitur, opinio media, quae vtriusque panis esum sacrum vetustate corro-

roborat; *b*) ita tamen, vt Latinos ante
›tium fermentato potius ac saepius,
m azymo consecrasse statutum habeat
leliberatum.

§. II.

Non est igitur, quod singularem hac caussa commentationem a me exspe-
:. Sumunt coniunctim et vno fasce
ıplectuntur omnia, quae a partibus
mque et certatim adferuntur: quibus-
ı nituntur pro azymi sacrificio non pe-
ıs negando, pluribus, pro vsu panis
nentati communiori. Prae reliquis
nibus in scena ponunt exemplum apo-
orum, quos vtroque panis genere sine
:rimine corpus Iesu confecisse cre-
ıt, et consuetudinem veterum Chri-
norum, quos ad certum panis genus
: adstrinxisse, esse verisimile negant.
: atque aliis exercitus vtriusque decer-
onibus, quas proximis superioribus pa-
is enucleauimus, *c*) permulti, qui in
ıcursatione hac se medios esse volunt,
nci aiunt, pane cibario plerumque my-
:ium Domini antiquitus fuisse appara-
n, attamen sine fermento consecrandi
ım iisdem temporibus non omnino in-
litum fuisse. De reliquo, cum in Grae-
etiam fuerint ingenii subacti ac tem-
:ati homines, qui in hac eadem regione

§. II. Firmamentis vtrimque positis sustinetur.

·) vid. *Part. III. cap. I. §. I. p. 252. sequ.*
) *cap. II. §. I. sequ.* et *cap. II. §. I. sequent.*

 versa-

versarentur, vt ecclesiam et orientalem et occidentalem vtroque panis genere epulum salutare olim adornasse faterentur, non est ab hoc loco alienum, mentem eorum, et, quibus adiuuentur, subsidia, NECHITE, Archiepiscopo Nicomediensi, interprete, perbreuiter exponere. Is vero in disputatione saeculo XII. cum Anselmo Hauelbergensi agitata his fere vocibus vtitur: *d*) *Romana ecclesia in hoc* (azymi ritu) *non a Graecis, nec Graeci ab illa discordabant; sed tam isti, quam illi, modo fermento, modo azymo, iuxta quod opportunitas offerentium suadebat, indifferenter in ministerio altaris vtebantur: nec quisquam eorum, qui communicare vellent, siue Graecus, siue Latinus aliquod scandalum in hoc patiebatur. Quod etiam ex hoc verius credi potest, quia cum in vrbe Romana simul habitaret turba Graecorum et Latinorum, non solum Latini, verum etiam quampluri-mi Graecorum praefuisse leguntur in sancta Romana ecclesia.* Quod indicio est, non nouam esse, quae de vsu panis vtriusque in ecclesia Latina promiscuo circumfertur, sententiam. Sic obsoletis saepe mercibus noui colores inducuntur: ita aliis scenis, aliis modis, alio apparatu eamdem plerumque comoediam agunt mortales.

d) vid. ANSELMI *Dialog. lib. III. cap. XIII.* in *Spicileg. D'Achery Tom. I. pag.* 200.

CAPVT

CAPVT V.

SSENSIO REFORMATORVM AB IIS, QVI AZYMVM CONSECRANT.

§. I.

§. I. *Occasio illius dissensionis a Pontificiis.*

tamus promissis, pedemque transferimus ad eos, qui, vt vocantur Reformiti, ita etiam ritum azymi in sacra coedistribuendi emendarunt, et aliam masque ad exemplum Christi expressam ciem epulo Christiano induere studuent. Vtique, si vmquam examen subient ritus Latinorum auita consuetudine opagati, altissimisque defixi radicibus, m certe excussi sunt, cum libertas Chriana vinculis legum intolerabilium adc constricta e tenebris tandem, quod t Dei immortalis beneficium, auspicato rorumperet. Erat haec LVTHERI, WINGLII, et CALVINI, neque enim audi mihi fore puto veritatis esse diligntem, erat diuina et immortali laude gnissima virtus, qua in sanandis ac recandis rei sacrae partibus aegris, eiusue maculis, quas multas susceperat, endis celso et erecto animo versabanır. Etenim cum Dei hortum lolio ac erilibus auenis ita fecundum esse animduerterent, vix vt herbis frugiferis locus xcrescendi esset; sedulo eum colendum, ppas tribulosque ac dumeta exstirpanla, neque, quod male adoleuerat, sub fale relinquendum esse iudicabant. Di-

 verso

verſo tamen, vt fit in rebus humanis, ſtudio operae eiusdem ſocios, intrepidos ſacrorum Latinorum oppugnatores ductos fuiſſe, mentiar, ſi negem. Satis habebat LVTHERVS, immo praeclare de populo Dei actum putabat, ſi, ipſa cauſſae arce expugnata, errores doctrinae propulſaret, et, quicumque adhaeſerant, morum rituumque naeuos vitioſos, atque adeo deteſtabiles abſtergeret, in quo ſtrenue ac feliciter, bene iuuante Deo, elaborauit; *e*) ſed de caerimoniis libertati Chriſtianae relictis, quas a vetuſtate acceptas, temporum diuturnitas corroborauerat, abdicandis, atque immutandis, ne res medias etiam de medio tollere, nimiumque ſibi in Latinos permittere videretur, parum ad id tempus cogitauerat. Itaque panem a fermenti admixtione purum, vtpote qui iam pridem obleuerat omnem occidentem, in eccleſiis expurgatis retinuerat: tum quod panis eſſet: tum, ne odio quodam abreptus etiam leuioris momenti res et tolerandas, ad inuidiam aduerſariis faciendam, abiiceret: cum alia permulta eſſent, eaque grauiora, quae mutationem ſubirent: *f*) tum ne populus Dei per multam annorum ſeriem pani eiusmodi ad-

e) *Confeſſ. Auguſt. pag.* 28. *ſequ.* conf. *Solida Declaratio Num. X. de Caerimoniis eccleſiaſticis. pag.* 789. atque *Articuli Smalcald. Part. III. N. XV. p.* 337.

f) vid. *Confeſſ. Aug. pag.* 30. *ſequ. Apolog. ad Art. XV. pag.* 205. *et* 212. *Solida Declaratio pag.* 792.

ſueſa-

efactus vel hac mutatione turbaretur.
ALVINVS contra, atque amici, vt quis-
ue erat Latinis infestissimus, ita etiam in
tibus huius generis ab ecclesia Romana,
uam poterant maxime, sese disiunge-
ant, eam demum perpulchram esse ec-
lesiae effigiem rati, in qua nec vola au-
toritatis pontificiae, nec ruga supersti-
ionis auitae appareret. Complures enim
itus per se neque improbos, neque no-
xios vel idcirco valere atque e sacris ab-
esse iusserunt, quod originem a matre cor-
rupta et ad speciem tantum magnifica tra-
here, ac, nisi quam diligentissime ei rei
caueretur, mentes vix dum discussis su-
perstitionum tenebris denuo offundere
posse videbantur. g) Cum igitur praefa-
tionem aliquam mutationis faciendae fa-
cile inuenirent, atque ex communi liber-
tate ritus eiusmodi figere ac refigere salu-
tis publicae caussa ipsis integrum esset,
tanto libentius magna cum fiducia animi
ad id ferebantur; quanto maiori princi-
pum quorumdam auctoritate, ac multo-
rum consensu in re per se licita adiuua-
bantur. Atque ea potissimum ansa fuit
panem non fermentatum cum aliis caeri-
moniis de loco sancto deiiciendi, et Pon-
tificiis etiam hoc nomine dicam scri-
bendi.

g) *Catechismus Heidelberg. quaest. XCVIII. Con-
fess. Basil. Artic. X. et cet.*

§. II.

§. II.

§. II. Certatio eadem de re cum Lutheranis.

Augustanae confessionis Theologos, qui vulgo Lutherani appellantur, in litis huius partem nullam traherent, neque suam illi esse hanc disceptationem, vel suam agi rem ducerent; si Reformati vel necessitatem sacra azymo obeundi impugnarent, vel turpem et dicto maiorem Pontificiorum hac in re superstitionem, vel effusum et nimium antiquitatis amorem in medium deposcerent. Inferrent sane signa ecclesiae Latinae iis vitiis admodum obnoxiae, haberentque Lutheranos, in hac ipsa postulatione adiutores. Etenim in sacratissimo mysterio pane pasci fermenti experte, id quod faciunt Lutherani, non est, azymum reliquo panis generi anteferre: non est ex praecepto aut exemplo Christi, quae in re ita leui sunt, credo, nulla, caerimoniam eiusmodi in rebus necessariis ponere; non est denique, panis eiusdem administrationem religionibus a Dei cultu alienis commaculare. Quae si cum animis considerentur, consentire hic putes Protestantes, et Lutheranos, Reformatos: quia vtrique, etsi hi plerumque fermentatum, illi azymum consecrant, amice tamen in aduersariis hoc loco coarguendis conspirant, atque errores illos pari studio, cane et angue peius fugiunt. Verum tamen, si scripta quorumdam perlustrentur, et res, intentis oculis, circumspiciatur, dum contra

Pon-

itificios arma capiunt, plerumque ita
.atinos coniiciunt tela, vt ne in visce-
is Latinorum tantum ea haerere, sed
eorum latus Lutheranos quoque sau-
e voluisse, speciem prae se ferant. Pa-
ınt haec, velis detectis, vbi ea, quae
llo post dicemus, in apricum educen-

Huc tantum illam in rem THEODO-
ZWINGERI *b*) verba adferam, qui,
ı ecclesiam Basileensem placentulas
nento carentes eiecisse admodum tri-
›het, subiicit tandem: *Ast, Deo bene-
nte, applaudente tota ecclesia Basileensi,
ratulantibus aliis ecclesiis Reformatis,
entibus, et frendentibus interim aduer-
is, et tumultuante hoc ipso Censore i*)
em paullo ante *Lutheromanitam* voca-
at) *anno* CIↃ IↃ CXXXXII. *exacti orbiculi
mi, et in locum* illorum *panis cibarius,
quam magis sacramentalis, analogicus
ϛτοιχαϛικὸς substitutus fuit.* Ita non
ulte solum, quasi cuniculis, verum
ım in luce atque in oculis omnium Lu-
ranos petunt, non modo quod azymo
ıe consecrant, sed quod illius vsurpan-
ıecessitatem Theologos eosdem profi-
i arbitrantur. Vereor sane, dum haec
ibo, ne fidem adsertioni multi non ha-

) *Theatr. Sapient. Caelest. lib. IIII. cap. XVIII.
1101.*

) SEBASTIANVS SCHMIDIVS, Prof. Theol. Argen-
.t. variis Disputationibus eodem tempore contra
ormatos inclitus tangi videtur.

beant

beant propterea, quod nemo vnus omnivm, qui sunt et fuerunt doctrinae Lutheranae, azymi vsum necessarium esse vmquam docuit, qua de caussa ne quid temere Reformatis adfingere videar, testem appello principibus eius ecclesiae doctoribus adnumerandum, PETRVM VAN MASTRICHT, *k*) qui et Pontificios, et Lutheranos panis fermento destituti esum sacrum in numerum necessariorum referre valde adseueranter ac palam loquitur. Quod recte an secus, iure an iniuria faciat, haud difficili negotio diiudicari poterit, quando de momento controuersiae ex confessione Lutheranorum bona fide disferetur. *l*)

§. III.

§. III. Pugna contra placentulas eucharisticas non est ab hac palaestra remota.

Finitima huic esse videtur, neque festinantius transeunda dimicatio, quam contra placentas minutas sine fermento factas, quas *hostias* vulgo nominant, ferunt: *m*) vnde, si quid ad hunc locum pertinebit, adsumemus. Crustula illa mensae sacrae dedicata panem esse negant, vel certe vix, ac ne vix quidem, veri panis verbo appellari posse multi Reformatae ecclesiae antesignani contendunt. In primis obstinato animo id olim egerunt

k) *Theol. Theoretico-Pract. Part. II. pag.* 887.

l) *Part. IIII. cap. IIII. §. III.*

m) de insigni Reformatorum in panem eius generis odio, ac fastidio confer *Part. IIII. cap. III. §. III.*

Anhal-

ıhaltini, atque omnium copiosissime ıd persecutus est CHRISTOPHORVS ıSSONIVS, vel, vt vero nomine eum scribam, CHRISTIANVS BECMANNS, n) et MARCVS FRIDERICVS WENLINVS, o) qui integris exercitationis aliquot hostiolas eiusmodi ex omni nis genere exterminauit. Quorum in:utum bene magna aliorum multitudo iisdem in finibus adsensu suo non du-auit comprobare. Sed et in aliis regio-ous DAVIDI PAREO, q) IOANNI DALEO, r) FRIDERICO SPANHEMIO s) IO. HOORNBECCIO, t) non multo tior de hostiolis praesumtio insedit. ıorum in re media iusto nimiam perui:iam fregerunt doctores Lutherani, qui ıssam placentularum eiusmodi in se suscepe-

ı) *Anatomia Vniuersal. Triumph.* wieder *D. Hoën* ı *D.* Wellern. *Part. III. cap. XXVI. p. 174.*

ı) *Exercitat. Theol. Vindic. Cassellis 1652. Exercit.* *equ. p. 1629 - 1662.*

ı) vid. Bericht und Lehre göttlichen Worts was ı den *Cerimonien* zu halten? Zerbst *1596. P. II. N.* *pag. 84.* Erinnerungs-Schrifft etl. von Adel und ädten in Anhalt und der darauf erfolgten gnädigen rantwortung. Zerbst *1696. pag. 87. et 103.* conf. *ssert. monitoria* wieder *D. Hoën. pag. 106. sequ.*

ı) Bedencken vom Brodt und Brodt-Brechen im . Abendmahle. Amberg *1600. pag. 29.*

·) *de Cultib. Relig. Latin. lib. III. cap. VI. p. 319.*

·) *Dissert. de dissens. Graec. a Latin. Op. Tom. II.* *555.*

·) *Summa Controu. Relig. lib. XI. p. 946.*

cepe-

ceperunt. Vt sunt MATTHIAS HOE, v) AEGIDIVS HVNNIVS, x) BALTHASAR MEISNERVS, y) IOANNES GERHARDVS, z) GEORGIVS MYLIVS, a) GEORGIVS MOEBIVS, b) inprimis CHRISTIANVS KORTHOLTVS, qui singularem eo de argumento dissertationem euulgauit. c) Nos, quid ex hac concertatione ad nostram quaestionem spectet, age, videamus. Duo potissimum d) esse animadverto, quibus hostiolae illae, quas ex farina triticea atque aqua vi ignis coqui omnium confessione constat, ab alio pane triticeo, quo Reformati etiam instruunt eucharistiam, differunt, si qua est hic diversitas quaerenda: primum quod admodum sunt paruae, denique quod fermento

v) Abgenöthigte Antwort auf ein *Calvinisch* Ausfoderungs-Büchl. *p. 114. sequ.*

x) *de Sacramentis cap. XIIII. Op. Tom. I. p. 1086.* et Wiederlegung des Embdischen Berichts und Streit. Wittenb. *1595. p. 22. sequ.*

y) *Philos. Sobr. Tom. I. Sect. III. p. 391. Colleg. Adiaph. Disp. VIIII.* et *de Sacram. Disp. XX. p. 322. sequ.*

z) *Loc. Theol. Tom. V. de S. Coena cap. VII. p. 32.*

a) *Carolstadius Rediuiuus in ditione Anhalt. Ien. 1603. Part. II. §. 194. sequ.*

b) *Vindic. Hutterian. pag. 535.* conf. IO. ADAMI SCHERTZERI *Colleg. Anti-Socin. pag. 908.*

c) *Disquis. de hostiis, siue placentulis orbicularibus, num verus sint panis? Ienae 1657.* et aliquoties edita.

d) reliqua leuioris sunt momenti, neque obseruatione singulari digna.

destI-

ftituuntur. Qua id ratione Reformati idam carpant, paucis dabimus, vt eo, orfum oratio nostra tendit, perueniaıs. Quid est igitur, quod in hostiolis prehendant? Quod paruae sunt? Si parcas eas panis nomine reddit indignas, quitur, vt partem cuiuscumque panis se panem negemus. Quod adeo paruae, nec saturent hominem, nec corpus nuiant? Neque illud, necesse est, in coea sacra fiat, vt pulchre monet concilium Jicaenum, deinde vtroque vitio, si quid ft hic vitii, frustulum panis cibarii quodumque laborabit. Ergo nec fragmenta anis in coena sacra Reformatorum sumta runt panis. Quod Christus maiores paıis particulas discipulis comedendas dedit? At neque constat, quanta fuerit, quam quisque cepit, particula: neque praeceptum ea de re vsquam reliquit. Tum vero eadem ianua ad illam quaestionem deveniendum esset, quantum vini discipulis exhibuerit, multumne ex poculo maiusculo an parum ex minori? Sunt haec, puto, nullius. Quemadmodum gutta vini est vinum, ita mica panis nomine panis haud spolianda. *e*) Et, si in leuibus eiusmodi rebus, quod Christus in loco ac tempore fecit, valet; eodem iure omnes aliae, oportet, circumstantiae obseruen-

e) vid. Ven. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS Unterricht vom unverletzten Gewissen. Pred. *XXX*. *pag.* 580.

tur: verbi cauſſa, coena illa non niſi ſub veſperam, quin immo, quod ſi paſchatis tempore Chriſtus inſtituit, non niſi azymo pane eſſet danda: *f*) id, quod tamen nec ipſis Reformatis videtur. Verum ne extra oleas vager, et quod volo, via compendiaria adſequar, ad aliud deſcendo. Reiicient igitur illas, quod tam paruae ſunt, vt vix frangi poſſint? hic vero video multos, et illos moderatiſſimos Reformatos eſſe longe peruicaciſſimos. *g*) Qui impulſi exemplo Chriſti, panem myſticum frangentis, admoniti codicis diuini de pane fracto loquendi ratione, permoti myſterio pariter, ac ſignificatione panis comminuti, quem ipſum Chriſti in crucem ſublati et quaſi tormentis fracti memoriam eſſe volunt, inuitati tandem rei figura, quae ſimiliter vnius omnes piorum animos corporis Chriſti participes fieri declaret, quemadmodum vnius omnes panis fragmenta ore accipiunt: ſimilibusque imaginibus inducti ritum panis frangendi non modo accommodatum et congruentem, vt aequum erat facere; ſed neceſſarium, etiamſi non ad *ſubſtantiam*, tamen ad *integritatem* ſacrae coenae eſſe, numquam non adſtruxerunt. *h*) Ac licet

f) MATTHIAS HOE *Triumph. Caluiniſt. p. 633.*
g) vide ſcriptores modo excitatos. Quibuscum coniungatur GEORGIVS MYLIVS *Diſp. de Fractione panis in Euch. §. LX. pag. 15. ſequ.*
h) FRID. SPANHEMIVS *Elench. Controuerſ.*

aequior

juior sit sententia, quam HIERONY-
S ZANCHIVS, cum sociis quibusdam
plectitur, *i*) cuius etiam Marpurgenses
Rintelenses fuisse, conuentus Cassellis,
no CIↃ IↃ C LXI. habitus testatur; *k*) ple-
ue tamen panis in partes diuidendi mo-
n vltra, quam par est, efflagitant atque
culcant, quod sexcenta eam in rem
ta volumina lucide exponunt. Habent
habuerunt Augustanae confessionis
neologi Vitembergenses, *l*) Marpur-
nses, *m*) itemque alii, *n*) quos multos
n ante commemorauimus, *o*) quibus

Tom. III. p. 916. conf CONRADVS SCHLVS-
SELBVRGIVS *Theol. Caluinist. Tom. III. Art. X.*
. 89.

) *epist. ad Ottonem a Grunrade Epist. lib. I. Op.*
n. VIII. p. 74. Neque introducenda est fractio,
ita et reclamante maiori ecclesiae parte, ne hanc
caussam schisma fiat aliquod, et, dum volumus
ngere panem, frangamus simul et dissipemus corpus
'esiae.

k) vid. SPANHEMII *Elench. Controuers.* sepa-
m edit. *pag. 336.* ISAACI FAVSTII *Irene Siren*
Exercitat. ad Colloqu. Cassellanum. Argentor. 1663.
8. sequ.

l) Nothwendige Antwort auf die hefftige Schrifft
Anhalt ꝛc. durch die *Facultät* zu Wittenberg *1597.*
. 3. sequ.

m) *Motiuen* und Ursachen der zu Marpurg beur-
ubten Theol. warum sie die Heßischen *Synodal*-Ab-
iede nicht annehmen können. Giessen *1606. pag.*
sequ.

n) ISAACVS FAVSTIVS *loc. cit.* IACOBVS
MARTINI *Partit. Theol. Disput. XXIII. §. XXVII.*
u.

o) §. hoc ipso ineunte.

contumacem hanc ac praefractam de pane eucharistico frangendo opinionem debilitarent. At illi, quibus eo nomine hostiolae non placent, quod minutae atque ad frangendum sunt ineptae, nihil hic ad nos, quia vno ore hostiolas istas respuunt, siue fermento admixto, siue sine fermento parentur. Restat igitur alterum: vtrum placentulae illae Reformatis nullo sint loco, propterea, quod fermento carent? Reclamant quidem omnium fere testimonia, etiam eorum, qui crustula illa consecrata ex omni panis genere tollunt. Namque iidem illi, qui hostiolis panis nomen denegant, euidenter et perspicue declarant, nullam se fermenti omissi rationem inire, sed azymum pro pane habere. At enim vero ingenue profitemur, quod infra, vbi de momento quaestionis sermo erit, clarius elucebit, *p*) quotiescumque placentulas eucharisticas vel extra omnem panis speciem collocant, vel contemtui habent, toties a caussis proscriptionis nec hanc, quod sine fermento fiant, esse omnino segregandam.

§. IIII.
Et scriptis et facto Reformati vsum azymi adspernantur.

§. IIII.

Non igitur, reor, iniquius fecisse nonnullos, qui inuidiam in hostiolas conflatam ad hanc quoque caussam retulerunt. Neque est, quod Lutheranos, qui ea in re iniuriam a Reformatis certis, sibi fieri mo-

p) *Part. IIII. cap. III. §. II. et III.*

leste

ſte ferunt, maleuolos et acerbos eſſe WINGERVS *q*) conqueratur. Sunt illi uidem, quod obſcurari nequit, plerique lius moderationis, cuius erat CALVIVS *r*) aliquando etiam BEZA, *s*) et mul- primi ordinis viri, quorum ſcita atque nſtituta ſectantur, qui, panis azymusne n fermentatus ſit diſtribuendus, non ita nultum videntur curare. *t*) At vero euol- enti eorum ſcripta non poterit non eſſe n propatulo, eos ipſos, qui moderatius em aeſtimant, aperte ac dilucide vel in ſu azymi naeuos quaerere, vel certe pani fermentato vno ore primas deferre, vt ex eorum ſcriptis diſcemus. *v*) Quod animi conſilium non tam legibus ac tabulis, quam ipſo facto et exemplo produnt, cum in plerisque locis religioni Reformatae addictis, regula conſuetudinis peranti- quae abrogata, ad fermentatum tranſierint: non obſcuro documento, caerimoniam illam in ſordibus ac faecibus ex ſuperſtitione maiorum eccleſiae adhaerentibus eſſe numerandam, abſtergendam, eluendam.

§. V.

§. V. Sed ſunt, quae azymi vſum retinuerunt, eccleſiae Reformatae.

Deflectet autem a vero, qui eumdem omnibus ſoccum aptare, atque eodem

q) *Theatr. Sap. Caeleſt. loc. cit.*

r) *Inſtitut. Relig. Chriſt. lib. IIII. cap. XVII.* §. *XXXXIII. Op. Tom. VIIII. p.* 380.

s) *Epiſt. Theol. XII. pag.* 100.

t) vide *Part. IIII. cap. III.* §. *IIII.*

v) *Part. IIII. cap. III.* §. *II. III. et V.*

cunctos numero complecti voluerit, vti generatim Reformatos panem non fermentatum in coena Domini adspernari sibi persuadeat. Sunt potius in illis etiam ecclesiis haud paucae, quibus mensam sanctam panibus sine fermento coctis apparare sollemne est. Nolim equidem in eam familiam coetus Anglicanos referre, cum compertum habeam, illos pane quidem triticeo, eoque purissimo eucharistiam instituere; *x*) sed idem panis sacri genus vulgo praefermentari inde pateat, quod libri illorum liturgici cibarium illud esse volunt, cuiusmodi vsu domestico receptum est ac tritum. *y*) At olim Reformatos etiam in Anglia panibus a fermento puris, et adeo placentulis orbicularibus in mysterio locum dedisse, HIERONYMVS ZANCHIVS, *z*) MARCVS FRIDERICVS WENDELINVS, *a*) et SEVERINVS LINTRVPIVS *b*) declarant. Ecclesiam Tigurinam aliasque illi coniunctas azymum

x) HENRICI RVDOLPHI BENTHEMII Engelländischer Kirch-und Schulen-Staat. *cap. XI. p. 246.*

y) Engl. *Liturgie* vom H. Abendmahl §. *V. pag. 241.* Damit auch alle Gelegenheit abgeschnitten werde zu einem Miß-Verstand oder Aberglauben, so einer oder der andre des Brodts und Weins halber sich machen möchte; soll es genug seyn, daß es solches Brodt sey, wie man täglich ißt, doch vom besten und reinsten Weitzen, so man immer möglich bekommen kan.

z) *epist. ad Grunrade Epist. lib. I. Op. Tom. VIII. pag. 76.*

a) *Exercitat. Theol. Vind. Exerc. CII. pag. 1654.*

b) *Anglia Lutheraniz. denuo edit. 1710. p. 38.*

m inde a renatis et inſtauratis ſacris in
›nuiuio Chriſtianorum communi coluis-
:, teſtis eſt eiusdem coetus ſacerdos, LV-
OVICVS LAVATERVS. *c*) *Poſthaec*, ait,
*er totam eccleſiam miniſtri azymum panem
i catinis circumferunt, et accipit quisque
ua manu particulam de exhibito pane, et
oſtea reliquam partem dat proxime adſiden-
i.* Quam panibus ſine fermento veſcen-
li conſuetudinem hodie quoque illic ob-
inere docet IO. BAPTISTA OTTIVS,
tidem Tigurinus, qui rationes illius ritus
naud immutati ſubiungit. Illas vero ocu-
lis ſubieciſſe iuuabit, cum prae ceteris
ad hanc controuerſiam illuſtrandam fa-
ciant, easque ab homine Reformato pro-
fectas, ipſi etiam Lutherani quibusdam
ſeuerioris frontis Catonibus, triſtibusque
ac maledico dente omnia carpentibus cen-
ſoribus, cum reliquis firmamentis, oppo-
nere queant. *Vtimur pane azymo*, in-
quit, *d*) *non quaſi ex neceſſitate, ſed quia
id in ipſo reformationis puncto non fuerat
immutatum, conſtitutis poſtea eccleſiis man-
ſit. Quod autem ne nunc quidem fermenta-
tus adhibeatur, hinc eſt: quia cum conſue-
tudinibus et ritibus coniunctae ſunt eccleſiae,
quas ſaepe memorauimus, ſub pace religioſa
in Turgoia et apud Rheguſcos inter Pontificios
viuentes, quae vſum fermentati, azymo*

c) *de ritibus et inſtit. eccleſ. Tigurinae edit. Tiguri* 1702. *pag.* 57.
d) ibidem *pag.* 60. *ſequ.*

beant propterea, quod nemo vnus omnivm, qui sunt et fuerunt doctrinae Lutheranae, azymi vsum necessarium esse vmquam docuit, qua de caussa ne quid temere Reformatis adfingere videar, testem appello principibus eius ecclesiae doctoribus adnumerandum, PETRVM VAN MASTRICHT, *k*) qui et Pontificios, et Lutheranos panis fermento destituti esum sacrum in numerum necessariorum referre valde adseueranter ac palam loquitur. Quod recte an secus, iure an iniuria faciat, haud difficili negotio diiudicari poterit, quando de momento controuersiae ex confessione Lutheranorum bona fide disferetur. *l*)

§. III. Pugna contra placentulas eucharisticas non est ab hac palaestra remota.

§. III.

Finitima huic esse videtur, neque festinantius transeunda dimicatio, quam contra placentas minutas sine fermento factas, quas *hostias* vulgo nominant, ferunt: *m*) vnde, si quid ad hunc locum pertinebit, adsumemus. Crustula illa mensae sacrae dedicata panem esse negant, vel certe vix, ac ne vix quidem, veri panis verbo appellari posse multi Reformatae ecclesiae antesignani contendunt. In primis obstinato animo id olim egerunt

k) *Theol. Theoretico-Pract. Part. II. pag.* 887.

l) *Part. IIII. cap. IIII. §. III.*

m) de insigni Reformatorum in panem eius generis odio, ac fastidio confer *Part. IIII. cap. III. §. III.*

Anhal-

haltini, atque omnium copiosissime
.d persecutus est CHRISTOPHORVS
SSONIVS, vel, vt vero nomine eum
scribam, CHRISTIANVS BECMAN-
S, *n*) et MARCVS FRIDERICVS WEN-
LINVS, *o*) qui integris exercitationi-
is aliquot hostiolas eiusmodi ex omni
mis genere exterminauit. Quorum in-
tutum bene magna aliorum multitudo
) iisdem in finibus adsensu suo non du-
tauit comprobare. Sed et in aliis regio-
ibus DAVIDI PAREO, *q*) IOANNI DAL-
AEO, *r*) FRIDERICO SPANHEMIO *s*)
c IO. HOORNBECCIO, *t*) non multo
iitior de hostiolis praesumtio insedit.
Quorum in re media iusto nimiam perui-
aciam fregerunt doctores Lutherani, qui
caussam placentularum eiusmodi in se sus-

n) *Anatomia Vniuersal. Triumph.* wieder *D. Hoën* und *D.* Wellern. *Part. III. cap. XXVI. p. 174.*

o) *Exercitat. Theol. Vindic. Cassellis 1652. Exercit. C. sequ. p. 1629 - 1662.*

p) vid. Bericht und Lehre göttlichen Worts was von den *Cerimonien* zu halten? Zerbst *1596. P. II. N. VI. pag. 84.* Erinnerungs-Schrifft etl. von Adel und Städten in Anhalt und der darauf erfolgten gnädigen Verantwortung. Zerbst *1696. pag. 87. et 103.* conf. *Dissert. monitoria* wieder *D. Hoën. pag. 106. sequ.*

q) Bedencken vom Brodt und Brodt-Brechen im heil. Abendmahle. Amberg *1600. pag. 29.*

r) *de Cultib. Relig. Latin. lib. III. cap. VI. p. 319.*

s) *Dissert. de dissens. Graec. a Latin. Op. Tom. II. p. 555.*

t) *Summa Controu. Relig. lib. XI. p. 946.*

cepe-

ceperunt. Vt ſunt MATTHIAS HOE, *v*) AEGIDIVS HVNNIVS, *x*) BALTHASAR MEISNERVS, *y*) IOANNES GERHARDVS, *z*) GEORGIVS MYLIVS, *a*) GEORGIVS MOEBIVS, *b*) in primis CHRISTIANVS KORTHOLTVS, qui ſingularem eo de argumento diſſertationem euulgauit. *c*) Nos, quid ex hac concertatione ad noſtram quaeſtionem ſpectet, age, videamus. Duo potiſſimum *d*) eſſe animadverto, quibus hoſtiolae illae, quas ex farina triticea atque aqua vi ignis coqui omnium confeſſione conſtat, ab alio pane triticeo, quo Reformati etiam inſtruunt euchariſtiam, differunt, ſi qua eſt hic diverſitas quaerenda: primum quod admodum ſunt paruae, denique quod fermento

v) Abgenöthigte Antwort auf ein *Calviniſch* Ausfoderungs-Büchl. *p. 114. ſequ.*

x) *de Sacramentis cap. XIIII. Op. Tom. I. p. 1086.* et Wiederlegung des Embdiſchen Berichts und Streit. Wittenb. *1595. p. 22. ſequ.*

y) *Philoſ. Sobr. Tom. I. Sect. III. p. 391. Colleg. Adiaph. Diſp. VIIII.* et *de Sacram. Diſp. XX. p. 322. ſequ.*

z) *Loc. Theol. Tom. V. de S. Coena cap. VII. p. 32.*

a) *Carolſtadius Rediuiuus in ditione Anhalt. Ien. 1603. Part. II. §. 194. ſequ.*

b) *Vindic. Hutterian. pag. 535.* conf. IO. ADAMI SCHERTZERI *Colleg. Anti-Socin. pag. 908.*

c) *Diſquiſ. de hoſtiis, ſiue placentulis orbicularibus, num verus ſint panis? Ienae 1657.* et aliquoties edita.

d) reliqua leuioris ſunt momenti, neque obſervatione ſingulari digna.

tituuntur. Qua id ratione Reformati dam carpant, paucis dabimus, vt eo, orsum oratio nostra tendit, perueniamus. Quid est igitur, quod in hostiolis prehendant? Quod paruae sunt? Si paruitas eas panis nomine reddit indignas, sequitur, vt partem cuiuscumque panis e panem negemus. Quod adeo paruae, nec saturent hominem, nec corpus nutriant? Neque illud, necesse est, in coena sacra fiat, vt pulchre monet concilium Nicaenum, deinde vtroque vitio, si quid it hic vitii, frustulum panis cibarii quodcumque laborabit. Ergo nec fragmenta panis in coena sacra Reformatorum sumta erunt panis. Quod Christus maiores panis particulas discipulis comedendas dedit? At neque constat, quanta fuerit, quam quisque cepit, particula: neque praeceptum ea de re vsquam reliquit. Tum vero eadem ianua ad illam quaestionem deueniendum esset, quantum vini discipulis exhibuerit, multumne ex poculo maiusculo an parum ex minori? Sunt haec, puto, nullius. Quemadmodum gutta vini est vinum, ita mica panis nomine panis haud spolianda. *e*) Et, si in leuibus eiusmodi rebus, quod Christus in loco ac tempore fecit, valet; eodem iure omnes aliae, oportet, circumstantiae obseruen-

e) vid. Ven. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS Unterricht vom unverletzten Gewissen. Pred. XXX. pag. 580.

tur: verbi cauſſa, coena illa non niſi ſub veſperam, quin immo, quod ſi paſchatis tempore Chriſtus inſtituit, non niſi azymo pane eſſet danda: *f*) id, quod tamen nec ipſis Reformatis videtur. Verum ne extra oleas vager, et quod volo, via compendiaria adſequar, ad aliud deſcendo. Reiicient igitur illas, quod tam paruae ſunt, vt vix frangi poſſint? hic vero video multos, et illos moderatiſſimos Reformatos eſſe longe peruicaciſſimos. *g*) Qui impulſi exemplo Chriſti, panem myſticum frangentis, admoniti codicis diuini de pane fracto loquendi ratione, permoti myſterio pariter, ac ſignificatione panis comminuti, quem ipſum Chriſti in crucem ſublati et quaſi tormentis fracti memoriam eſſe volunt, inuitati tandem rei figura, quae ſimiliter vnius omnes piorum animos corporis Chriſti participes fieri declaret, quemadmodum vnius omnes panis fragmenta ore accipiunt: ſimilibusque imaginibus inducti ritum panis frangendi non modo accommodatum et congruentem, vt aequum erat facere; ſed neceſſarium, etiamſi non ad *ſubſtantiam*, tamen ad *integritatem* ſacrae coenae eſſe, numquam non adſtruxerunt. *h*) Ac licet

f) MATTHIAS HOE *Triumph. Caluiniſt. p.* 633.
g) vide ſcriptores modo excitatos. Quibuscum coniungatur GEORGIVS MYLIVS *Diſp. de Fractione panis in Euch. §. LX. pag.* 15. *ſequ.*
h) FRID. SPANHEMIVS *Elench. Controuerſ.*

aequior

uior sit sententia, quam HIERONY-
S ZANCHIVS, cum sociis quibusdam
ɔlectitur, *i*) cuius etiam Marpurgenses
Rintelenses fuisse, conuentus Cassellis,
10 CIↃ IↃ C LXI. habitus testatur; *k*) ple-
ue tamen panis in partes diuidendi mo-
ı vltra, quam par est, efflagitant atque
ulcant, quod sexcenta eam in rem
ta volumina lucide exponunt. Habent
habuerunt Augustanae confessionis
ıeologi Vitembergenses, *l*) Marpur-
ıses, *m*) itemque alii, *n*) quos multos
ı ante commemorauimus, *o*) quibus

Tom. III. p. 916. conf CONRADVS SCHLVS-
ɹBVRGIVS *Theol. Caluinist. Tom. III. Art. X.*
. 89.

) *epist. ad Ottonem a Grunrade Epist. lib. I. Op.*
n. VIII. p. 74. Neque introducenda est fractio,
ita et reclamante maiori ecclesiae parte, ne hanc
caussam schisma fiat aliquod, et, dum volumus
ıngere panem, frangamus simul et dissipemus corpus
lesiae.

k) vid. SPANHEMII *Elench. Controuers.* sepa-
im edit. *pag. 336.* ISAACI FAVSTII *Irene Siren*
Exercitat. ad Colloqu. Cassellanum. Argentor. 1663.
68. sequ.

l) Nothwendige Antwort auf die hefftige Schrifft
Anhalt rc. durch die *Facultät* zu Wittenberg *1597.*
ıg. 3. sequ.

m) *Motiuen* und Ursachen der zu Marpurg beur-
ubten Theol. warum sie die Heßischen *Synodal*-Ab-
ɉiede nicht annehmen können. Giessen *1606. pag.*
. sequ.

n) ISAACVS FAVSTIVS *loc. cit.* IACOBVS
ARTINI *Partit. Theol. Disput. XXIII. §. XXVII.*
qu.

o) §. hoc ipso ineunte.

contumacem hanc ac praefractam de pane eucharistico frangendo opinionem debilitarent. At illi, quibus eo nomine hostiolae non placent, quod minutae atque ad frangendum sunt ineptae, nihil hic ad nos, quia vno ore hostiolas istas respuunt, siue fermento admixto, siue sine fermento parentur. Restat igitur alterum: vtrum placentulae illae Reformatis nullo sint loco, propterea, quod fermento carent? Reclamant quidem omnium fere testimonia, etiam eorum, qui crustula illa consecrata ex omni panis genere tollunt. Namque iidem illi, qui hostiolis panis nomen denegant, euidenter et perspicue declarant, nullam se fermenti omissi rationem inire, sed azymum pro pane habere. At enim vero ingenue profitemur, quod infra, vbi de momento quaestionis sermo erit, clarius elucebit, *p*) quotiescumque placentulas eucharisticas vel extra omnem panis speciem collocant, vel contemtui habent, toties a caussis proscriptionis nec hanc, quod sine fermento fiant, esse omnino segregandam.

§. IIII. Et scriptis et facto Reformati vsum azymi adspernantur.

§. IIII.

Non igitur, reor, iniquius fecisse nonnullos, qui inuidiam in hostiolas conflatam ad hanc quoque caussam retulerunt. Neque est, quod Lutheranos, qui ea in re iniuriam a Reformatis certis, sibi fieri mo-

p) *Part. IIII. cap. III. §. II. et III.*

leste

e ferunt, maleuolos et acerbos esse INGERVS *q*) conqueratur. Sunt illi dem, quod obscurari nequit, plerique ıs moderationis, cuius erat CALVI- s *r*) aliquando etiam BEZA, *s*) et mul- rimi ordinis viri, quorum scita atque ıtuta sectantur, qui, panis azymusne fermentatus sit distribuendus, non ita ltum videntur curare. *t*) At vero euol- ıti eorum scripta non poterit non esse ɔropatulo, eos ipsos, qui moderatius ı aestimant, aperte ac dilucide vel in azymi naeuos quaerere, vel certe pani mentato vno ore primas deferre, vt ex um scriptis discemus. *v*) Quod ani- consilium non tam legibus ac tabulis, ım ipso facto et exemplo produnt, cum plerisque locis religioni Reformatae lictis, regula consuetudinis peranti- ae abrogata, ad fermentatum transie- ıt: non obscuro documento, caerimo- ım illam in sordibus ac faecibus ex su- rstitione maiorum ecclesiae adhaerenti- s esse numerandam, abstergendam, ıendam.

§. V.

§. V. Sed sunt, quae azymi vsum retinuerunt, ecclesiae Reformatae.

Deflectet autem a vero, qui eumdem nnibus soccum aptare, atque eodem

q) *Theatr. Sap. Caelest. loc. cit.*
r) *Institut. Relig. Christ. lib. IIII. cap. XVII.* §. XXXIII. *Op. Tom. VIIII. p.* 380.
s) *Epist. Theol. XII. pag.* 100.
t) vide *Part. IIII. cap. III.* §. *IIII.*
v) *Part. IIII. cap. III.* §. *II. III. et V.*

cunctos numero complecti voluerit, vti generatim Reformatos panem non fermentatum in coena Domini adſpernari ſibi perſuadeat. Sunt potius in illis etiam eccleſiis haud paucae, quibus menſam ſanctam panibus ſine fermento coctis apparare ſollemne eſt. Nolim equidem in eam familiam coetus Anglicanos referre, cum compertum habeam, illos pane quidem triticeo, eoque puriſſimo euchariſtiam inſtituere; *x*) ſed idem panis ſacri genus vulgo praefermentari inde pateat, quod libri illorum liturgici cibarium illud eſſe volunt, cuiusmodi vſu domeſtico receptum eſt ac tritum. *y*) At olim Reformatos etiam in Anglia panibus a fermento puris, et adeo placentulis orbicularibus in myſterio locum dediſſe, HIERONYMVS ZANCHIVS, *z*) MARCVS FRIDERICVS WENDELINVS, *a*) et SEVERINVS LINTRVPIVS *b*) declarant. Eccleſiam Tigurinam aliasque illi coniunctas azymum

x) HENRICI RVDOLPHI BENTHEMII Engelländiſcher Kirch-und Schulen-Staat. *cap. XI. p. 246.*

y) Engl. *Liturgie* vom H. Abendmahl §. *V. pag. 242.* Damit auch alle Gelegenheit abgeſchnitten werde zu einem Miß-Verſtand oder Aberglauben, ſo einer oder der andre des Brodts und Weins halber ſich machen möchte; ſoll es genug ſeyn, daß es ſolches Brodt ſey, wie man täglich iſt, doch vom beſten und reinſten Weitzen, ſo man immer möglich bekommen kan.

z) *epiſt. ad Grunrade Epiſt. lib. I. Op. Tom. VIII. pag. 76.*

a) *Exercitat. Theol. Vind. Exerc. CII. pag. 1654.*

b) *Anglia Lutheraniz. denuo edit. 1710. p. 38.*

iam

ı inde a renatis et instauratis sacris in ıuiuio Christianorum communi coluis- testis est eiusdem coetus sacerdos, LV- VICVS LAVATERVS. c) *Posthaec*, ait, *totam ecclesiam ministri azymum panem catinis circumferunt, et accipit quisque manu particulam de exhibito pane, et 'ea reliquam partem dat proxime adsiden-* Quam panibus sine fermento vescen- :onsuetudinem hodie quoque illic ob- ere docet IO. BAPTISTA OTTIVS, lem Tigurinus, qui rationes illius ritus ıd immutati subiungit. Illas vero ocu- subiecisse iuuabit, cum prae ceteris hanc controuersiam illustrandam fa- nt, easque ab homine Reformato pro- tas, ipsi etiam Lutherani quibusdam erioris frontis Catonibus, tristibusque maledico dente omnia carpentibus cen- ibus, cum reliquis firmamentis, oppo- re queant. *Vtimur pane azymo*, in- it, d) *non quasi ex necessitate, sed quia in ipso reformationis puncto non fuerat mutatum, constitutis postea ecclesiis man- Quod autem ne nunc quidem fermenta- r adhibeatur, hinc est: quia cum consue- dinibus et ritibus coniunctae sunt ecclesiae, 'as saepe memorauimus, sub pace religiosa Turgoia et apud Rheguscos inter Pontificios uentes, quae vsum fermentati, azymo*

c) *de ritibus et instit. eccles. Tigurinae edit. Tigu-* 1702. *pag.* 57.
d) ibidem *pag.* 60. *sequ.*

iam per ſeſqui ſaeculum obtinente, non facile recipere poſſunt, ſine calumniis atque iniuriis eorum, inter quos viuunt, quaſi quotidie in religione aliquid immutaretur. Quibus calumniis ne locus detur, manet panis azymus, absque vlla tamen coactione. Praeterea iam olim BELLARMINO Reformatos nimiae in panem azymum indignationis accuſanti, *e*) CASAVBONVS Geneuenſium exemplo occurrit, *f*) qui, quantumuis doctrinae Caluini tenaciſſimi, panem fermento ſubactum, cuius vſum in euchariſtia a primo ſtatim factae reformationis momento appetitum auide arripuerant, anno quadrageſimo ſaeculi decimi ſexti, reliquerunt, ad morem conſecrandi priſcum reuerſi. Et fuit, cum Reformati Baſileenſes panis non fermentati conſecrationem legibus ac placitis praeceptorum ſuorum neutiquam repugnare, illuſtre per multos annos documentum ederent. *g*) Ad quem numerum accedunt aliae Reformatorum copiae, quae pro libertate Chriſtiana, vt prae ſe fert ipſe DAVIDES PAREVS, *h*) panis fermentati

e) *de Sacram. Euchariſt. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. p. 697.*

f) *Exercitat. Baron. XVI. cap. XII. pag. 411.*

g) THEODORVS ZWINGERVS *Theatr. Sap. Caeleſt. loc. cit.*

h) Vom Brodte und Brodt-Brechen *pag. 88.* In ſolcher Freyheit brauchen etliche der Reformirten Kirche geſäuert, etliche ungeſäuert Brodt ohne Maaßge-

longe

ge amantissimus, nec ab azymo in my-
:io Iesu abstinent. Mihi in praesenti
icula haec fuerunt eo consilio arcessen-
vt, si qua forte, velut sunt hic non-
llae Reformatorum censurae iusto gra-
res, durior in azymum sententia, vel
am vituperatio obueniat, non esse eam
iltorum, minimeque omnium, liquido
nstitueretur.

CAPVT VI.

RGVMENTA REFORMATORVM PRO VSV PANIS FERMENTATI.

§. I.

§. I. Pane obuio testator sapientissimus sacram coenam obiit.

Quapropter cum alia plane mente, ac Graeci contra Latinos, Reformati panem fermenti expertem dicant, neue etiam tanta animorum contentione, quemadmodum illi, in arma praecipites iant; eorum argumenta superioribus aud admiscenda esse, sed singularem sibi ocum postulare suo mihi iure ac merito identur. Sunt autem illa ipsis partim cum Graecis communia, partim propria; vtraque tamen alio modo disputata, neque omnino pratermittenda. Constat igitur, peruulgatam esse et plurimorum Reformatorum consensu comprobatam deci-

ung der andern, und ohne Gedancken einiger Noth nach iedes Orts Gelegenheit und Erbauung.

ſionem, fermentato potius, quam non fermentato pane ſacram coenam eſſe inſtruendam. *i*) Idcirco omnes ingenii neruos eo intendunt et collineant, vt panem fermento temperatum in euchariſtia azymo multum praeſtare conſequantur. Princeps reliquarum omnium eſt ea, quam factum Chriſti ſuggerit, ad quod longe aliter, atque Graeci et Latini, recurrunt. Neque enim illam bene longam ac ſatis litigioſam declamationem ſuam eſſe ducunt, quonam panis genere Seruator morti proximus coenam apparatiſſimam dederit, azymone an fermentato? quam diſputationem ancipitem et longo anfractu circumſcriptam Graecos cum Latinis ingreſſos eſſe ſupra aperuimus. *k*) Nihil hoc momenti habere arbitrantur ad hanc rem, quam parant, et recte, ſecusne vel Graeci vel Latini ſentiant, ſua negant referre. Id vero ponunt ac tenent, Chriſtum, quocumque etiam tempore, quocumque porro pane conuiuium myſticum adminiſtrauerit, id certe panis genus adhibuiſſe, quod eo tempore in menſa collocatum et ad manus erat. Si paſchatis tempore coenam inſtituit, vſus eſt azymo, hoc eſt, eo pane, qui per dies ſeptem in re Iudaeorum familiari vnus regnabat: ſin alio die; comedit vel eumdem iſtum, qui cum agno paſchali ex lege erat coniun-

i) vide *Part. IIII. cap. III. §. V.*
k) *Part. II. c. VIII. §. 1. p. 172. et VIIII. §. 1. p. 211.*

gendus,

ıdus, vel certe illum, qui accumbenti ıesto fuit. Ac profecto Reformati tanm non omnes, etiam illi, qui Dominum ſchatis tempus antecepiſſe credunt, *l*) ıe fermento epulum nouiſſimum datum ıri ſtudio et candore adfirmant, ac vel ſeo cibarios panes coenam myſterii pleiſſimam adeuntibus de meliore quaſi noı commendant. Cui rei demonſtranlae cauſſa GERHARDVM IOANNEM VOSIVM, *m*) IO. DALLAEVM, *n*) ISAACVM ;ASAVBONVM, *o*) SAMVELEM BASNAGIVM, *p*) IO. CASPARVM SVICERVM, *q*) PETRVM RAVANELLVM, *r*) et DAVIDEM PAREVM, *s*) in teſtimonium cito: qui Chriſtum, quamcumque etiam coenulam paſchalem extremam egerit, tamen azymo euchariſtiam inſtruxiſſe non ſolum tuentur, verum etiam ex hoc ipſo exemplo panem communem potius, quam ſingularem in coena Domini manducare iubent. Ei numero IO. HOORNBECCI-

l) ibidem *cap. VIIII. §. I. p. 172.*

m) *Tract. Theol. V. Diſp. XVIIII. Theſ. VI. Op. Tom. I. pag. 429.*

n) *de Cult. Relig. Latin. lib. III. cap. IIII. pag. 310.*

o) *Exercit. XVI. in Baron. cap. XII. XIII. ſequent. pag. 409.*

p) *Annal. Politico-Eccleſiaſt. Tom. II. pag. 626.*

q) *Theſaur. Eccleſiaſt.* in voce ἄζυμος. *pag. 105. ſequ.*

r) *Bibliotb. Sacr. Tom. I. p. 288.*

s) *cit. loc. pag. 88.*

VM,

VM, t) LVDOVICVM CAPPELLVM, v) IO. CLOPPENBVRGIVM, x) SAMVELEM BOCHARTVM, y) atque adeo ipſos doctores Anhaltinos, z) cum innumeris aliis adſcribamus, licet. Neque vero eſt, quod in re conclamata et certa de tot teſtibus ſimus ſolliciti, cum et his carere potuiſſemus, niſi operam hanc nobis quidam iniunxiſſent ex Theologis Lutheranis, in primis IO. AFFELMANNVS, a) qui ſynodum Caſſellanam erroris arguit, quod Chriſtum in ſacratiſſimo epulo eiusmodi panem ſumſiſſe adſtruxerit, qualem eo tempore, quo coenam illam obiit, reliqui Iudaei in prandiis et coenis edebant. Cenſet igitur vir clariſſimus, vſum panis cibarii ac vulgaris ſynodum Caſſellanam ea commentatione munire, quod Chriſtus

t) *Summa Controu. Relig. lib. XI. pag. 945.*
v) *epiſt. ad Cloppenburg. Amſtel. edit. a. 1643.*
x) *epiſt. ad Ludouicum de Dieu* ibidem *p. 8. ſequ.* atque *ad Cappellum pag. 96. ſequ.*
y) *Hierozoic. Part. I. lib. II. cap. L. p. 560. ſequ.*
z) vid. Anleitung wie man das Wittenberg. Buch mit Nutzen leſen möge. Zerbſt 1597. *pag. 30.* Da der HErr Chriſtus das Nachtmahl einſetzte, nahm er dazu nicht unkräfftig *oblat*; ſondern recht kräfftig und natürlich Speiſe-Brodt, wie es ihm der Haus-Herr in dem Gaſt-Hofe, da er das Oſter-Lamm aß mit ſeinen Jüngern, hatte aufgetragen, und von dergleichen Brodt man gantzer ſieben Tage in gantz Judäa leben muſte: daſſelbe Brodt nahm er und ſprach: dieſes thut et rel.
a) *Syntagm. Exercit. Academ. Part. I. Diſp. XXXI. pag. 901.*

ha praeuerterit, atque fermentato
:, quo reliqui Iudaei vsque ad diem
hatis vescebantur, coenam nouissi-
ı apparauerit. In qua suspicione eum
verba significant, quae illico subiun-
b) *Absurde et contra historiam euange-
n: neque enim auctoritate vel rationi-
Iosephi Scaligeri mouemur.* Is autem
EPHVS SCALIGER *c*) Christum ante-
isse pascha, probe pensitatis omnibus,
stituit. Cum vero, vt ostendimus,
ormati, qui Seruatorem in paschate vl-
ɔ celebrando Iudaeos anteuertisse fe-
t, tamen azymo instituisse diserte tra-
ıt; tum vero quam minime synodus
Tellana, quae communem opinionem
Christo vna cum Iudaeis coenam pa-
alem capientis amplectitur, illum eu-
ristiam pane non fermentato dedisse,
;at: quin potius azymum, siue eumdem
ıem, quo reliqui Iudaei tempore in-
utionis per continuos dies septem, in
ndiis ac coenis alebantur, sumsisse
ınstrat. Inde efficere adnituntur per-
acissimi quique, nostrum esse eodem
ıis genere in mysterio pasci, quo reli-
i homines in regionibus nostris epulas
lgo instruere consueuerunt. Quam
ndem argumentandi viam alios Refor-
ıtae ecclesiae magistros pleno agmine

;) ibidem.
:) *de Emendat. temp. edit. Colon. 1629. pag. 567.*
u.

inire

inire obſeruo. *d*) Cum enim, vt quam clariſſime haec omnia exponam, eorumque ſententias quibusdam obſcuriores viſas in bono lumine collocem, cum in probe ſtabilitis atque apertis habeant, teſtatorem optimum ac maximum non aliunde adquiſitum vel ſupervacaneo ſtudio ante praeparatum, verum eam panis ſpeciem diſcipulis diuiſiſſe, quae eo tempore adhiberi ſolebat a reliquis Iudaeis, ſiue illa fermento fuerit ſubacta, ſiue ab eius admixtione integra; quae nos, inquiunt, cauſſa moueat, vt ſingularem panis modum a communi et quotidiano diſtinctum ſollicite excogitemus? Quin exemplum in illuſtri poſitum ſecuti eiusmodi panem conſecramus, qui in epulis noſtris vſurpatur? *e*) quin tempori ſeruimus, cui Dominus vnus omnium longe prudentiſſimus ſeruiebat, quando azymo inſtituit? Si azymus familiari conſuetudine receptus eſſet, apponeremus azymum: nunc, cum panes, ſiue ſint illi triticei, ſiue ſiliginei, ſiue hordeacei, ſiue farrei, in communi praefermentari ſoleant; non eſt, quod morem vulgarem, nullo exemplo, nulla religionis vi aut lege, in pane euchariſti-

d) vid. HERMANNI WITSII *Oeconomia Foed. Dei lib. IIII. cap. XVII. §. VI. p. 684.* SAMVELIS BASNAGII *Annal. Politico-Eccleſiaſt. Tom. II. pag. 626.* FRANCISCI BVRMANNI *Synopſis Theol. lib. VII. cap. X. p. 365.*

e) MATTHIAS MARTINIVS *Summa ſacramentor. Bremae, 1615. p. 228.*

co

leligendo migremus. In hoc exponis Reformatorum cardo vertitur, vt : cogant, panem fermento imbutum, vitam toleramus, et in re familiari imur, libis farinaceis fermento caibus esse in mensa sacra maxime anrendum. *f*) Hac ipsa fermentati comidatione ab auctoritate Domini panem ium primo discipulis diuidentis de-:a, necessitas illa, qua Latini nonnulmem fermento destitutum adhibenı esse praecipiunt, *g*) subuertitur et uit, vt vere ait BVDDEVS. *h*) Idem e-illud potius monet, eo pascamur in lis mysticis pane, quem in conuiuiis ictu quotidiano apponi, terique animertimus. Dum haec nimis exigue ad ulos reuocant Reformati certi, quannecessitatem azymo consecrandi per-:gia hac ratione conuellunt, ad alteı extremum delabi quibusdam viden-

Constituere eos quidem autumant: ı Christus eiusmodi panem discipulis ribuerit, qui in promptu et cuius ipsi ı erat copia; ideo etiam gentem et cieius non posse non alieno, atque vsi-», communi ac domestico, hoc est fer-ıtato panis genere eucharistiam ador-

| CHRISTOPHORVS MASSONIVS *Anatom. uersal. Triumph. p. 183.*
vide *Part. IIII. cap. II. §. I.*
ı *Instit. Theol. Dogmat. lib. V. cap. I. §. XIIII.* 1155.

nare.

nare. *i*) At enim vero, ne quid temere in alios coniiciam, neue auribus cuiusquam quicquam dare videar, profiteor, ac prae me fero, esse quidem in Caluini adstipulatoribus, qui panem cibarium pariter, et communem sine exceptione ac praecise consecrare iubent, sed vix vllam illos quidem habere fermenti admixti rationem, si ex verbis suis iudicentur, quod equidem alio loco commemorabo. *k*) Deinde hoc argumentum ab instituto Christi petitum multi non, nisi coacti Latinorum oratione in contrariam partem inde deriuata, proferunt, et telum potius retorquent, quam in aduersarios immittunt. Vnde magni nominis Theologus, HERMANNVS WITSIVS, *l*) *non in eo*, inquit, *Latinis adsentimur, quod exemplum Christi in tam tenui circumstantia perpetuae legis vim habere volunt.* Quod ex ipso etiam THEODORO BEZA, *m*) PETRO VAN MASTRICHT, *n*) FRANCISCO BVRMANNO,

i) infra *Part. IIII. cap. III. §. I.*
k) *Part. IIII. cap. III. §. III.*
l) *loc. cit.*
m) *Quaest. et Respons. Christ. Part. II. p. 201. Atqui Christus azymis primum benedixit. Rs. Nempe, quoniam eo tempore coenam hanc instituit, quo non nisi azymis panibus licuit Iudaeis vti. Sic autem argumentum retorqueo: Si Christus ad coenam hanc eo, qui tum vsitatus erat, pane vsus est, idem nobis quoque faciendum, id est, communem vsum adsumendum praecepit.*
n) *Theol. Theoretico-Pract. Part. II. p. 888.*

, *o*) permultis aliis, in primis IOANNE LLAEO *p*) eminet, qui explicitius adt, *si a facto Christi concludendum, quod ini quidam faciunt, et sapientiam eius tari velimus*, id quod hoc loco iidem ini se facere gloriantur, *vtendum est e non ingenio nostro exquisito, sed apud tes nostras vsitato, communi ac famii.*

§. II.

§. II. Consecratio panis vulgaris vetustate est robustissima.

Quam orationem iam inde ab vltima Christianae aetate, apostolorumque nporibus ducta consuetudine satis conne illustrant. Apostolos ipsos, ferunt, n panes quotidie frangerent, toties: ad agapas conuenirent, rem diuinam : fermento confecisse, nullum est indim; sed vel panis vtrumque genus fuit promiscuo, vel etiam esus non fermencum ceteris caerimoniis Iudaicis anuatus, eiusque loco spiritualis azymon celebratio et fermenti malitiae exsio, de qua PAVLLVS *q*) monet, fuit nmendata. Id vel ideo propius fidem : iudicant, quod Christiani eo aeuo rumque ex munusculis sacris adlatis nmune illud mysterii sanctissimi pabun delegerint. Quis enim tam inutiliet superstitiose sollicitos fuisse puta-

) *Synops. Theol. cit. loc.*
) *de Cultib. Rel. Lat. lib. III. cap. IIII. p. 312.*
) *1. Cor. V. 7. 8.*

verit Christianos, vt certam panis speciem ab alio panis domestici genere diuersam huic vsui dedicasse, contra auctoritatem omnium scriptorum ausit adfirmare? Immo vero cum ab apostolis primum ad Asiaticos et Graecos, ab his ad Latinos et doctrina, et ministrae eius caerimoniae transmigrarint, orientales autem gentes ex confessione omnium statim a principio fermentatum consecrarint, quid obstat, quo minus Latinos olim fermentato pane mysterium obiisse veri sit longe simillimum? Vsum profecto panis fermento temperati per prima illa saecula curiose satis suo semper tempore ac loco FRID. SPANHEMIVS r) adnotauit. Ad quam consuetudinem probandam varias patrum scriptorumque ecclesiae consensiones in palaestram producunt, qui panem eucharisticum panem communem, vsitatum, et fermentum vocauerint. In qua demonstratione iis eriguntur praesidiis, quibus azymi perpetuitatem etiam Latini doctissimi prosternunt, cum quibus, vt supra aliquoties addidimus, s) eamdem in hac caussa, quamuis ceteroquin distractissimi, viam fere ingrediuntur, atque in explodenda azymi eucharistici antiquitate con-

r) *Hist. Christ. ad Saec. II. Op. Tom. I. p. 623. saec. III. p. 721. saec. IIII. p. 858. saec. V. p. 969. saec. VI. pag. 1069.*

s) *Part. huius cap. I. §. IIII. p. 264. c. II. §. IIII. sequent. p. 278.*

iunctim

ctim, alii aliis auxiliis nixi, operam ac
lium impendunt. In quibus ne mul-
adducam, IOANNES DALLAEVS, *t*)
AVEL BASNAGIVS, *v*) et IACOBVS
NAGIVS, *x*) non vltimae caueae ſcri-
res induſtriae iuxta, atque eruditionis
le excellunt.

§. III.

§. III. Panis communis myſterio optime reſpondet.

Tandem panem fermento leuatum
is de cauſſis, digniſſimum exiſtimant,
prae azymo in menſa Domini pona-
Eſſe eum communiorem, ſuauio-
, ſalubriorem, et cibationi vſibusque
gis aptum: quae adfectiones ad myſte-
concinniorem ſignificationem valeant
pterea, quod corpus Chriſti animam
ninis pii, recreet, reficiat, paſcat, nu-
t, conſeruet, eique ſuauitate diuina
ſi animulas inſtillet. *y*) Contra fer-
nto carentis eſum foederis antiqui di-
linae proprium, atque cum reliquis
rimoniis ad tempus genti Iudaicae in-
ctis abrogatum iam dudum exa-

) *de Cultib. Relig. Latin. lib. cit. cap. V. p. 315.*
) *Annal. Politico-Eccl. loc. adducto.*
) *Hiſtoire de l'Egliſe libr. XIIII. cap. III. §. III.*
. II. p. 819. ſequ.
) vid. DANIELIS CHAMIERI *Panſtrat. Ca-*
. Lib. VI. cap. IIII. Tom. IIII. p. 153. SAMVEL
NAGIVS *loc. cit.* THEODORVS ZWINGE-
Theatr. Sap. Cael. cit. loc. DAVID PAREVS
encken vom Brodt und Brodt-Brechen *pag. 89.*
PETRVS VAN MASTRICHT *loco adlegato.*

ruiſſe; z) Idcirco, vt a Iudaeis, quam fieri poteſt longiſſime, Chriſtiani nominis homines ſint alieni, fermentatum potius, veluti ſignum noui teſtamenti, eſſe in conuiuio memoriae Chriſti, fideique ſacro adoptandum. Azymi conſecrationem Pontificum auſpiciis inauſpicato in agro eccleſiae ſuperſtitionibus obſito ſucceuiſſe, quorum decretis, auctoritatique cedere, ritumque male intromiſſum peſſime amplecti ac fouere, non ſane libertatem, ſed ſeruitutem eſſe appellandam. *a*) Reliqua, quibus pani fermentato dignitatem conciliant, non multum a biis remota, quae in Latinis profligandis Graeci pleno ore iactant, *b*) ne eamdem, quod dici ſolet, tundere incudem videamur, oratio noſtra de induſtria potius, quam ex feſtinatione praeterlabitur.

§. IIII. De Lutheranorum cauſſae dictione.

§. IIII.

At enim vero alia etiam in cumulum hunc congeri haud difficulter potuiſſent, ſi pila, quae vndique placentulis eucharisticis iniiciunt, colligere animus eſſet. Nimirum ſunt illae tenuiores, quam ipſorum opinio de nutritione mentis ſignificanda poſtulat: minores, quam quae con-

z) PAREVS *loc. cit.* THEODORVS BEZA *Quaeſt. et Reſponſ. adductis pag. 201.* FRANC. BVRMANNVS *Synopſ. Theol. lib. VII. cap. X. §. XVI. pag. 365.* ZWINGERVS *cit. loc.*

a) vide ſcriptores modo adlatos.

b) vide *Part. II. cap. VIII. §. I. ſequent.*

fringi

ıgi in menſa Domini poſſint: denique ulacro Ieſu in crucem ſublati ornatae: ;e ſingula carptim permultis variisque !ationibus oppugnant. Sed nolumus, falcem in alienam meſſem immittere, actum agere, cum illa, quae noſtrae ıeſtioni ſunt finitima, ſupra fuerint ſuo ıeque loco interſerta. Iisdem ex cauſ- 'eſponſiones, quibus Lutherani Refor- :is occurrunt, explicare nihil attinet. mum quod multas cum oratione, quam ıecis Latini ex aduerſo ſtruuunt, *c*) con- ere, per ſe patet: deinde, quod non ı azymum, qui ipſis Reformatis leuio- :antum animaduerſione notatur, quam ſtiolas ab aduerſariorum inuaſionibus 'endunt: tum quod Auguſtanae con- ionis doctores ſi firmamentis ſuperio- us vſus panis fermentati defenditur, etiam laudatur, neque neceſſitatis opi- ı ſe admiſcet, tantum abeſſe video, vt ɔugnent; vt contra eumdem modum ıerſis impulſi rationibus, quas IOAN- S GERHARDVS *d*) memorat, diſerte ıedicent: poſtremo, quod in fine vo- ninis *e*) in hunc campum commode deundi, et ſententiam illam ſtrictim at- ıgendi locus aperietur.

:) *Part. II. cap. VIIII. §. I. ſequent.*
d) *Loc. Theolog. de S. Coena cap. VI. Tom. V.* ;. 30.
e) *Part. IIII. cap. III. et IIII.*

PARS IIII.

MOMENTVM CONTROVERSIAE EX CHRISTIANORVM DISSIDENTIVM SENTENTIA.

CAPVT I.

EX MENTE GRAECORVM.

§. I.

§. I. Omnes fere maximi habent hanc quaestionem.

FAstigium operi imposituri defungamur et hoc, quem nobis imperauimus, labore et locum de momento litigii pertractemus, qui vel ideo non per lancem saturam exquirendus est, quod ad historiam nostram apprime spectat, quid quisque disceptantium chorus de caussae pondere sentiat, cognoscere. Erit proinde nostrum, per praecipuos religionis Christianae coetus, quorum in hac ipsa acie spectata est vel pertinacia vel moderatio, ire, atque in ipsis partium castris, quae cuiusque fuerit, aut etiam num sit ea de re sententia, perdocere. Ordiamur a Graecis, quos initium controuersiae fecisse didicimus. Hi vero, si in vniuersum spectentur, tantum non omnes postulationem illam, azymusne an fermentatus consecrandus sit, permagni pendunt: quidam, sed ii admodum pauci, rem flocci aestimant. Haud clam me

eſt, Latinos bene multos, etiamſi ſum-
m e re tam leui prorumpentem diſcor-
m ipſi deſcripſerint, ſaepe etiam certis
cauſſis fide maiora de nimia contro-
ſiae vi tradiderint, quod ex ſuperiori-
; ſatis enitere arbitror, *f*) tamen et hic
:um Graecorum concentum cantare.
bent nempe non pauci curiae Roma-
: adulatores imaginarium quemdam de-
lum Graecorum germanorum et Pho-
ıorum. *g*) Quo diſcrimine facto, illos
n tanti habere negant, *his in hac cauſſa*,
loquitur NICOLAVS COMNENVS, *h*)
anire inprimis moris eſſe, putant. At
im, vt omnino falſa ac nulla eſt haec
tinctio, ita non Photianos modo, niſi
:te omnes Graecos eo vocabulo deno-
'e placeat, ſed Graecos generatim com-
ehenſos neceſſitatem fermenti panibus
:ris immiſcendi eccleſiae imponere,
rdatiores Latini profitentur, in quibus
men fere ducit eccleſiae Romanae pa-
r ac magiſter, SCOTVS. *i*) Rem ſane ſua

f) *Part. II. cap. III. §. VII. pag. 100.*

g) NICOLAVS COMNENVS *Praenot. Myſtag. ſp. III. Sect. V. §. XIII. pag. 180. O Graeciam in-'icem, quae eſt, vt ex his hominibus* (contra azy-um inſurgentibus) *cenſeatur, quando nonnulli hos mines Graecos appellant, cum re ipſa non Graeci 1 Photiani ſint, hoc eſt, Graeciae hoſtes, Graeciae decus, et, vt ita dixerim, Graeciae putidiſſima, foe-ſſima carcinomata.*

h) *cit. loc. Sect. IIII. §. I. pag. 161.*

i) *lib. IIII. diſtinct. XI. Quaeſt. VI. pag. 52.*

natura indifferentem in doctrinae fidei caput Graecos vertiſſe, *k*) omnemque propemodum orientem, quatenus Chriſto nomen dedit, cuius multo maxima pars, quemadmodum ſupra latius oſtendimus, fermentatum adamat, magna conſenſione eidem opinioni eſſe adfixum viri docti recte obſeruant. Nec fidem excedunt, quae FRIDERICVS SPANHEMIVS ediſſerit: *l*) *Azymum exſecrantur magna conſenſione Graeci ſub quatuor patriarchis: - habentque inter praecipuas* αἱρέσεις et *καινοτομίας Romanae eccleſiae iſtud* ὀβολιαῖον ἀζύμου Φύραμα, nimium, licet, ſibi ſumat, dum omnem orientem ita animatum eſſe ſine exceptione adſeuerat. Neque fallitur EVSEBIVS RENAVDOTIVS, cum ſcribit *m*) *azymum panem, vt Graeci, ita Syri et orientales reliqui, exceptis Armenis,* [quibus tamen alias inſuper orientis gentes addas neceſſe eſt, *n*)] *negant legitime offerri poſſe.* Itaque tametſi ex iis, quae ante monuimus, quo loco ea quaeſtio apud Graecos ſit, manifeſto indicio perluceat; ſi vel ad ſummam rixae cum Latinis coeptae contentionem, *o*) vel ad inſignem ſegregationis faciendae materiam ac ſe-

k) ISAACVS CASAVBONVS *Exercit. Baron. XVI. cap. XII. p. 411.*

l) *Differt. de Graec. a Lat. diſſenſ. perpetua Op. Tom. II. p. 555.*

m) *Collect. Liturg. Orient. Tom. II. pag. 64.*

n) vide *Part. II. cap. VII. §. II.*

o) *Part. II. cap. III. §. I. ſequ. p. 73. ſequ.*

men,

n, *p*) vel ad magnum foederis cum La-
s ineundi impedimentum, *q*) vel ad
tinacem etiam a concilio Florentino
in re disiunctionem, *r*) animum co-
tionemque referas: ad quae loca dis-
ationis nostrae, ne crambem bis co-
n apponere videamur, lectorem able-
nus; tamen hoc loco sigillatim ipsa
aecorum confessione, quanti sit apud
hoc argumentum, iuuabit declarare,
maior dictis vel ipsius ALLATII fides
stet, *s*) quippe qui, *corpus Christi in*
mo non confici secundo statim loco in
recenset, *quae Graecorum mentibus ita*
niter inhaeserunt, vt vix modo quacum-
machina auelli possint.

§. II.

§. II. Nam necessitatem fermentatum consecrandi vulgo vrgent.

Quo igitur numero caussam nostram
aeci habeant, documentum dat confes-
et doctrina, qua panem fermentatum
sacrosancto coenae mysterio non esse
n manducandum, constanter edicunt.
ot enim sunt, amabo, qui panis fer-
ntati necessitatem inde eliciunt, quia
ristus pane, neutiquam azymo coenam
imam dedit? *t*) Quot esse putas, qui
ntentiam, azymum esse panem, vel pe-

p) ibidem §. *VI. p. 94.*
q) *Part. II. c. IIII.* §. *I. sq. p.* 103. *et c. V.* §. *VI. p.* 142.
r) ibidem *cap. VI.* §. *I. sequent. p.* 146.
s) *de Consens. lib. III. cap. X.* §. *II. pag.* 1054.
t) *Part. II. cap. VIII.* §. *I.* iterum §. *III.* atque
mtidem *p.* 172. *et* 191.

nitus negant, vel in ambiguis atque incertis ponunt? *v*) Quorum testimonia supra in medium vocata rem totam quam apertissime plenissimeque definiunt. His enim rationibus permoti in animum inducunt credere, aliisque iniungere, ab omni Christianorum coetu panem fermento subactum, sine vlla exceptione, suo iure esse offerendum, vt claris verbis praecipit MACARIVS ANCYRANVS. *x*) Eodem redit iudicium NICETAE SEIDI, *y*) IEREMIAE, patriarchae, *z*) ac METROPHANIS CRITOPVLI, *a*) qui esum azymi libertati Christianae subiectum esse, haud ambigue diffitentur. Neque alia opinione abreptus IOANNES, Russiae Metropolita, litteris ad Pontificem Romanum missis peroraturus addit: *b*) *oro et me in-*

v) ibidem §. *III.*

x) *Κατὰ πᾶσαν ἀνάγκην οὐ δι' ἀζύμων, ἀλλὰ δι' ἐνζύμων ἄρτων τὴν μυστικὴν θυσίαν δεῖ ἐπιτελεῖν πάντας τοὺς χριστιανούς.* apud LEONEM ALLATIVM *de Consens. lib. III. cap. XIIII. p. 1165.*

y) de ritu azymorum et duobus aliis dissensionum capitibus iudicium laturus adiicit: *ἃ καὶ ὡς χείρονα τῶν ἄλλων οὐ σχίσμα μόνον εἰσάγουσιν, ἀλλὰ καὶ αἵρεσιν προφανῆ· ἢ γὰρ ἂν συνέβημεν πάλιν εἰς ἕνωσιν, εἰ μὴ τὰ τρία* [quibus *τὸ ἄζυμα προσάγειν* adnumerat] *διεκώλυε ταῦτα, ὥς τι στερρὸν μεσότειχον.* vid. L. ALLATIVS *de Consens. lib. III. cap. XII. §. IIII. p. 1112.*

z) *Censura in Conf. Aug.* in *Actis Wirtemberg. Resp. I. cap. X. p 86. et Resp. II. cap. IIII. pag. 241.*

a) *Confess. Eccl. Orient. cap. VIIII. pag. 90.*

b) vid. HERBERSTEIN *Comment. Rerum Moscouit. pag. 32.*

clino

o ad sanctos pedes tuos, vt ab huiusmodi ribus, qui inter vos sunt, cesses, et ma- e ab azymis abstineas. Si leuia haec et ifeunda videantur, accipe his etiam ora, quae paullo ante ibidem memo- it: *quintus error est de azymis, qui qui- error est principium et radix totius hae- s.* Indidem deriuemus, licet, quod nenos, qui panem a fermenti admix- ne liberum in mysterio adhibent, ad ec- iam Graecorum transituros non reci- nt in suorum numerum, nisi, sacra- nto dato, sacrificium non fermenta- n antea detestentur, omnesque, quibus placet, diris inferis deuoueant. *c*) iam veterem abiurationis, vt ita dicam, mulam IO. BAPTISTA COTELERIVS oculos ponit: *d*) *Si quis in panem ob- ionis non immittit fermentum et sal, ana- ma sit.* Quid? quod simpliciter confi- i, azymo posse rite consecrari, pro sa- legio habuerunt? Nihil in concilio orentino Graecis erant Latini detractu- de ritu fermentatum offerendi; sed id tissimum moliebantur, vt etiam azymo e a Latinis eucharistiam celebrari posse, iblice prae se ferrent; at Graeci tot La- iorum inuitationibus, tot promissis, tot ichinationibus, vix, aut ne vix quidem

c) vid. IO. BONA in *Mabillonii Ouvrages Posthu- s Tom. I. lib. II. pag. 94.* SAMVEL BASNAGIVS *nal. Politico-Eccles. Tom. II. pag. 627.*
d) *Constit. Apostol. lib. V. p. 237.*

eo

eo pertracti ſunt, vt Romano quoque more corpus Chriſti veraciter confici, ſimpliciter admitterent. Cum contra de Spiritu Sancto, de purgatorio, de primatu Pontificis Romani, repudiato ad ſpeciem priſtino itinere, voluerint, noluerint, nihil huc refert, quam proxime Latinis accederent. *e*) Hanc vero nudam confeſſionem de azymo in lucem editam, quae fermentati panis honoribus nihil derogabat, in magni criminis loco poſuerunt, vehementemque in modum, quaſi praecipitem, minime legitimam ac fraude expreſſam ſunt deteſtati. Quod cum ex ſupra dictis *f*) haud paullo euidenter eniteat; non eſt, quod rem conteſtatiſſimam pluribus ſignis faciam planam, tabulisque muniam. Scilicet hanc eamdem eccleſiae inuſtam panis fermentati neceſſitatem probe teſtificantur tot condita eam in rem volumina, quorum pars magna in manibus eſt, maior in bibliothecarum cuſtodiis, parietumque tenebris latet, quorum vel indices tam acris pertinaciae teſtes ac praecones exiſtunt multo certiſſimi.

§. III. Indigniſſimo odio in azymi vſum feruntur.

§. III.

Sunt haec quidem adeo perſpicua, vt nebulis offundi ac fallaciis eludi nequeant; tamen ad aliud argumentum, ſcilicet ad

e) vide *Decretum concilii Florent. Part. II. cap. V. §. II. p. 128.* adductum.

f) *Part. II. cap. V. §. VI. p. 142.*

conui-

uicia et criminationes in ſacrificium
ı fermentatum improbe congeſtas, de-
io, vnde maximam Graecos hanc rem
ſſe ſignis luce meridiana clarioribus
rietur. Non iam ego ad ea redibo,
e alio loco de alienatione Graecorum
atinis monui; *g*) neque ea colligam,
e per omne opus fuerunt ſpargenda,
quae aliis etiam ex cauſſis Graeci in
inos iactitarunt; Sed ſummatim ſtri-
nque attingam probra et maledicta,
bus ritum conſecrandi Latinum inſi-
te appetiuerunt, verberarunt, vulnera-
t. Latinos iam vsque ab incunabulis
ıtrouerſiae per multa ſaecula per ludi-
ım inuidioſo *azymitarum* nomine a
aecis eſſe dedecoratos, nos commemo-
e meminimus. *h*) At vero obruunt nos
e, eaeque multo etiam grauiores ver-
:um inuidiae: apparent aliae contu-
liarum notae, quibus infeſtum ſine fer-
nto ſacrificium fixerunt homines opi-
ıſſiſſimi. Nimirum ſunt, qui ea prae-
ione vſi Latinos ad puerilium et ſtulto-
n Iudaeorum gregem transſcribant, *i*)
omnique Chriſtianorum coetu am-
tatos *k*) Leopardis ſimiles, videlicet

·) *Part. II. cap. III. §. VI. p. 94.*
ı) *Part. II. cap. I. §. IIII. p. 51.*
) *epiſt. III. de azymis:* Οὐ δὲ ἀζύμων δεόμεθα ὡς οἱ ... ὡδεῖς καὶ ἔκφρονες Ἰουδαῖοι καὶ οἱ σύμφρονες τούτων ἐπα-
LEO ALLATIVS *de Conſenſ. lib. III. cap. XIIII.*
I. pag. 1163.
:) COTELERIVS *Mon. Eccleſ. Graec. Tom. II.*

nec

nec Christianos nec Iudaeos esse decernant: *l*) sunt, qui ritum azymi consecrandi ***principium et radicem totius haereseos*** appellitent: *m*) sunt, qui a sacris ordinibus arceant omnes pane non fermentato Latinorum cibatos: *n*) sunt denique, qui azymi amatores fulmine minarum caelestium percutiant. *o*) Alii sacrificium sine fermento factum pro carne mortua habent, nequaquam pro viuo Christi corpore; *p*) sed pro lapide *q*) et luto, *r*) vel si quid est istis vilius. Esse hoc, inquiunt alii, institutum neutiquam Dei ciuium; sed paganorum *s*) atque ho-

vbi DOMINICVS queritur: *Latinos Graeci* κρίνουσιν ἀφωρισμένους, ὅτι περ ἄνευ μίξεως ζύμης τὴν εὐχαριστίαν θύομεν. *pag.* 120.

l) vid. CERVLARII et PETRI ACRID. *epist. ad Ioannem Tranensem* apud BARONIVM et CANISIVM *locis supra cit.* itemque HVMBERTI *Dialogum* in *Baron. Annal. Tom. XI. pag.* 782.

m) IOANNES metropolita Russiae apud HERBERSTEINIVM *loc. cit.*

n) MAXIMVS MARGVNIVS a NICOLAO COMNENO eam ob rem refutatus *Praenot. Myst. Resp. III. Sect. V. p.* 181.

o) THOMAS SMITH *de statu eccl. Graec. pag.* 121. conf. *Part. II. cap. III. §. IIII. p.* 86.

p) ἰστέον, ὅτι οἱ τὰ ἄζυμα προσκομίζοντες νεκρὰν σάρκα καὶ οὐχὶ ζῶσαν προσφέρουσι, IO. DAMASCENVS *Op. edit. Paris.* 1712. *T. I. p.* 647.

q) HVMBERTVS *Dial. cit. pag.* 770.

r) *Tractat. contra errores Graecorum* in *Bibl. Patr. Max. Tom. XXVII. p.* 600. et HVMBERTVS modo adlegatus.

s) *Auctor de initio haeres. apud Lat.* ταῦτα πάντα

minum

num a vera doctrina alienorum: *t*) quipquo furiis inferis potius, quam seruai summo litent: *v*) esse istud impun iuxta, atque abominandum sacrifici, *x*) esse hanc caerimoniam lacrimis plorandam, et germano Dei populo ignae offensioni, *y*) esse Latinos non risti sed azymi cultores atque adoratos. *z*) Quapropter omnium planissime uet, satis vere loqui CHRISTIANVM PVM, *a*) cum *Graeci omnes*, inquit, *gant azyma esse aptam sacramento matem, ideoque Latinos carere vera euchari, et esse haereticos azymitas.* Neque em excedit, quod vel inde caedes erule, famosissimus ille GOTTFRIDVS NOLDVS *b*) narrat. Cum enim essent Graecis, qui panem sine fermenti ad-

κα ὑπάρχουσι καὶ ἔξω τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. ap. ALTIVM *de Consens. lib. II. cap. V. p. 553.*

) LEO *Archiep. Bulgar. epist. cit. de azymis.* conf. TELERII *Mon. Eccl. Gr. Tom. III. p. 506. sequ.*

) *Tract. contra Graec. paullo ante adduct.*

) DVCAS *Hist. Byzant. cap. XXXVI. p. 143.*

) PETRVS ANTIOCHENVS *epist. ad Dominic. ad Coteler. l. c. Tom. II. p. 122.*

) οὐ χριστολάτρας ἀλλ' ἀζυμολάτρας MAXIMVS MARNIVS *not. 95. ad Trull. Synod.*

) *Concil. edit. Venet. 1725. pag. 312.*

) Kirchen- und Ketzer-Historie *Part. I. lib. XI. cap. §. XII. §. 339.* Das lange verdrüßliche Gezäncke Griechen und Lateiner vom ungesäuerten Brodt im ndmahl: worüber so viel Mißbrauch des Nahs Gottes, Fluch, und Lästern, auch offt Mord und tschlag vorgegangen ist.

mixtio-

mixtione consecratum adeo respuerent, vt vel in extremo vitae halitu illo mortales posse refici, diffiterentur: ignisque supplicium subire, quam de azymi Latinorum sanctitate ac mysterio quicquam comprobare mallent; accidit, vt monachi aliquot Graeci saeculo XIII. viui comburerentur. Quod antiquum incerti auctoris monumentum, anno CIↃCCLII. Constantinopoli diuulgatum, atque a PETRO STEVARTIO ex codice bibliothecae Bavaricae descriptum *c*) commonstrat. Id enim huncad modum: *d*) *Michaëlem* (Cerularium) *Graeci vsque hodie sequentes Latinos azymitas voce publica asserere non verentur. Vnde in tantam exsecrationem et contemtum apud eos deuenit mysterium sacramenti, vt non solum in mortis articulo ex eo sumere recusent; verum etiam incendii supplicium potius eligant sentire, quam simpliciter confiteri. Probat hoc Cyprius, qui nostris temporibus duodecim monachos Graecos isto errore laborantes nouos diaboli martyres per flammas ignis produxit. Dicebant enim praedicti monachi sacramentum Latinorum lutum esse, et non sacramentum, et quod sacrificantes vel sumentes ex eo more gentilium daemoniis immolarent.* Ex qua

c) *Biblioth. Patrum Magn. Colon. 1622. Tom. XV.* habetur hic *Tractatus contra errores Graecorum. p. 1043. sequ.*

d) *loc. cit. pag. 1053.* et *Bibl. Patr. Max. Tom. XXVII. pag. 600.*

inter-

:rnecina mentis pertinacia, ex odio in
mum plusquam Vatiniano, ex pleno
.uiciorum cumulo, qui nisi superua-
eum esset, nullo negotio maiore con-
ıeliarum accessione ex Graecorum
ptis augeri posset, satis, opinor, quo
gradu eam controuersiam plerique
ıecorum collocarint, intelligitur.

§. IIII.

§. IIII. Sunt tamen pauci, qui de rei leuitate confitentur.

Fuit tamen nullo non tempore in tan-
numero azymi conuiciatorum mani-
us quidam eorum, qui de leuitate cauſ-
ingenue docerent, et vtroque panis
ıere corpus Christi rite accipi, non
leste, sed sua sponte darent. *e*) In ma-
ıis sane turbis a Michaële Cerulario
ıtis PETRVS ANTIOCHENVS, si quis
ıs, vehementissimus in propulsatione
ymi eucharistici heros, cum multo acer-
sime sacrificium Latinorum perstrinxis-
, re plenius cognita, aequiorem tan-
m de ista sacrificandi regula sententiam
it, *f*) a qua DEMETRIVS CHOMATE-
's *g*) non multum abest. Et sunt non-

:) vid. MABILLONII *Dissert. de pane euchari-
o azymo et ferm. cap. II. Ouvrages Posth. Tom. I.
116.*

f) vid. COTELERII *Mon. Eccl. Graec. Tom. II.
122. sequ.* et LEO ALLATIVS *de Conf. lib. III.
).XII. p. 1117.* ὡς ἔγωγε τὴν ἐμὴν γνώμην φανερῶ-
ν ἂν ἕτερον ἐπεζήτην ἀδιάφορον καταλιπὼν σὺν τοῖς ἄλλο-
ς καὶ τὸ περὶ τῶν ἀζύμων ζήτημα.

g) *Responſ. ad Conſt. Cabasilam* apud ALLATIVM
cto loc. p. 1104.

Aa nulli,

nulli, Latinis tamen, quam Graecis similiores, verbi cauſſa GEORGIVS SCHOLARIVS, *b*) HILARION, *i*) IOANNES PLVSIADENVS *k*) et IOANNES VECCVS, *l*) qui vtrumque panis genus paris eſſe dignitatis pronuntiant. Verum enim vero ſunt illi ſolito mitiores cauſſae diſceptatores admodum pauci, et vix totidem, quot Thebarum portae aut Nili oſtia. Equidem non ſum neſcius, eſſe in Latinis, qui Graecis germanis ac genuinis omnibus idem haerere ac placere nugentur. Qui quidem fontem moderationis perſequuntur illum, quod Graeci incorrupti, panem euchariſticum, cuiuscumque antea fuerit generis, in corpus Chriſti transmutari, eaque ratione, ſtatim a conſecratione, nec azymum eſſe nec fermentatum credant: non eſſe igitur, quod de panis ſpecie ſollicitius laboretur: atque hanc ipſam Graecos modeſtiae ſuae in hac lite diiudicanda rationem reddidiſſe. Sed taceo, vix eſſe inter Graecos, qui dogma transſubſtantiationis, vt verbum horribile ac nouum vſurpem, ex ſententia Romanorum plane admittant, quod dilu-

b) *Expoſ. pro Syn. Florent. Sect. I. cap. II. Bibl. Patr. Max. Tom. XXVI. p. 573.*

i) περὶ ἄρτου μυστικοῦ τῶν Ἑλλήνων in MEVRSII *Variis diuin. p. 143.*

k) Διαλεξ. περὶ τῆς διαφορᾶς μέσον Γραικῶν καὶ Λατ. in ALLATII *Graecia orthodoxa Tom. I. p. 638.*

l) in *epiſt. ad Pontif. Rom.* apud ALLATIVM *de Conſ. lib. II. cap. XV. p. 721.*

cide

e ab ingeniis exquisitissimis, THOMA
TH, m) FRIDERICO SPANHE-
), n) IOANNE GVILIELMO IANO, o)
ie aliis demonstratum est: quicquid
) ALLATIVS, p) PETRVS ARCV-
'S, q) RICHARDVS SIMON, r) et LV-
'. MAIMBVRGIVS s) in contrarium cor-
int, quos plerosque curiae Romanae
si mancipio stilum dedisse non tenui
imento patescit. Deinde si orientales
iac caussa eamdem, atque Latini viam
tarent; ne pilo tamen minus fermen-
fauerent: cui rei indicio sunt Mosco-
e, qui, quamuis ea ex parte Romanis
ximi, tamen fermentatum adeo cu-
t ac suspiciunt, vt qui maxime. At
m esse Graeciae de praesentia Christi
mysterio mentem, praeter CYRILLI
CARIS, patriarchae Constantinopoli-
i confessionem, t) alioqui multis no-

) *Epist. de eccl. Gr. hod. statu pag. 113. et 115.*
) *Dissert. de diss. Graec. a Lat. perpet. Part. V. seq. Op. Tom. II. p. 538.*
) *Diss. de Liturg. Oriental. Vitemb. 1724. Propos. pag. 49. sequ.*
) *de Consens. lib. II. cap. XV. §. I. p. 729. sequ.* et *rcit. XXII. sequ. contra Robertum Creyghthonem.*
) *de concord. eccl. occid. et orient. in Sacram. III. p. 151. sequ.*
) in *not. ad* GABRIELIS SEVERI *Apolog. pag. t 99.*
) *Hist. du Schisme des Grecs lib. VI. Tom. II. pag.*
) vid. IO. AYMONII *Monumens Authentiques t Relig. des Grecs cap. XVII. pag. 247.* conf. *pag. sequ.*

minibus ſuſpectam, bene multis ac perſpicuis ſignis lucet. Quod ſi enim IOANNIS, patriarchae Hieroſolymitani et THEORIANI cuiusdam effato LEO ALLATIVS *v*) pariter, et MICHAEL LEQVIEN *x*) ſuperbiunt: ſi IOANNIS, Archipresbyteri Pluſiadeni, auctoritate mire ſe efferunt, qui panis *ſubſtantiam* non *ſpeciem* in corpus Domini conuerti pro azymi vſu tuendo pugnant; *y*) id tamen prae me fero, mihi antiquos ac recentiores Graecorum ſcriptores de hac cauſſa ſedulo euoluenti vix paucos illos, quos modo citaui, qui iſta inducti ratione ſunt in aeſtimando ritu Romano aequiores, auctores oblatos fuiſſe, at quos? nempe eos, quorum fides in ſuſpicionem facile delabitur. Nimirum eſt HILARION: eſt GEORGIVS SCHOLARIVS, ſiue GENNADIVS: eſt IOANNES PLVSIADENVS: eſt IOANNES VECCVS: ſunt forte alii, iique perpauculi: nonne vel Latinarum partium, vel ipſi Latini? *z*) Qui concilium Florentinum ſubſignarunt,

v) *Exercit. XXII. et XXIII. in Creyghtbonem*, vbi THEORIANVS in *epiſt. ad ſacerd. et monach.* ὁ θεῖος ἄρτος πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι, εἴτε ἄζυμος εἴτε ἔνζυμος ἦν, ἀδιαφόρως ἄρτος ἐστὶ καὶ λέγεται πρὸς τῶν θείων λογίων. — μετὰ δὲ τὸ ἁγιασθῆναι οὔτε ἔνζυμος, οὔτε ἄζυμος, ἀλλὰ σῶμα καὶ σὰρξ κυρίου ἐστὶν. et reliqua.

x) in *notis ad* IO. DAMASCENVM *de fide orthodoxa lib. IIII. Op. Tom. I. p. 271.*

y) Διαλεξ. *cit. loc. p. 638.*

z) vid. FRID. SPANHEMII *Diſſert. de diſſenſ. Eccl. Gr. a Rom. Op. Tom. II. pag. 487. ſequ.*

ac

parem vtrique caerimoniae dignita-
m ſtatuerunt, *a*) nihil eſt, quod nomi-
:s: cum ex conciliabulo illo maiore diſ-
nſione diſceſſerint, quam appulerant. *b*)
ures tamen, ſi hunc manipulum ſpectes,
ad reliquam Graecorum turbam ani-
um referas, rariſſimos inuenio, qui La-
iorum azymum aliquo loco habent:
mque panibus fermento temperatis non
iidem aequiparandum, neque vnquam
rogandum, neque vaſa iſti deſtinata ad-
menda eſſe, cum IOANNE, Epiſcopo Ci-
c) praecipiunt; in ſanctis tamen po-
int, atque ex rerum profanarum grege
imunt propterea, quod panis eiusmodi
ecibus conſecratur.

CAPVT II.

EX INGENIO LATINORVM.

§. I.

§. I. Neceſſitatem azymi conſecrandi docent quidam.

Non vnum eſt Latinorum de litis noſtrae pondere iudicium, quos ne vno iodulo ac pede metiamur, habito quo-

a) vid. HORAT. IVSTINIANI *Acta concil. Flo-ent. Part. II. Collat. XXII. Num. V. p. 293. ſeq.*

b) *Part. II. cap. V. §. III. ſequ. p. 130.*

c) *opuſculo de conſuetud. et dogmat. Latin.* Τὰ ἐργασμένα πρὸς αὐτῶν ἄζυμα ὀ μεταληπτέον μὲν ἡμῖν, ἀλλ' ὀδὲ κοινὰ ἡγητέον· ἡ γὰρ τοῦ Κυρίου ἐπίκλησις ἐπισφραγίζει ταῦτα, καὶ τὰ τοῦ θείου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου ἱερὰ κατακάματα τὴν λειτουργίαν αὐτοῖς, ὡς μανθάνομεν, ἱερολογεῖ. vid. LEO ALLATIVS *de Conſ. lib. III. cap. XII. §. IIII. p. 1123.*

dam delectu, in classes suas dispescemus. Fallunt enim, aut ipsi nimis sunt creduli, qui Latinos in vniuersum *aeque bene in fermentato atque in azymo confici diuinam eucharistiam* docere cum NICOLAO COMNENO *d*) autumant. Occurrunt sane non ita pauci, qui de eadem vltra, quam par est, statuunt, azymique consecrandi necessitatem iuxta, atque antiquitatem, tamquam, qui pro aris ac focis dimicant, quam possunt, acerrima contentione defendunt. Et fecerint hoc infimi ordinis homines caeco impetu acti ac perciti; modo ne viri magnae apud suos auctoritatis huic eruditorum vulgo verba praeirent. Vix natus erat aut certe vix adoleverat, si ex opinione virorum doctissimorum pendere praestat, panis sine fermento sacrificandi mos in ecclesiae occidentalis partibus, cum RABANVS MAVRVS, *e*) necessariam eius ritus obseruationem in mandatis daret. Disputent eruditi, sitne hoc testimonium germanum, an fraudulenter suppositititium; *f*) erit tamen vel RABANI, vel certe alius cuiusquam Latini, qui azymi consecrationem tanti aestimauit, ac RABANO haud multum aetate fuit inferior. *g*) Sunt autem scriptores non

d) *Praenot. Myst. Resp. III. Sect. V. §. XI. p. 179.*
e) *de Institut. Clericor. lib. I. cap. XXXI. Op. Tom. VI. p. 12.*
f) vid. *Part. III. cap. III. §. IIII.*
g) IO. BONA *Liturg. lib. I. cap. XXIII. p. 376.*

capite

ite censi etiam inter Latinos, qui fe-
n hunc ab ipso RABANO originem du-
e comprobarunt, monstraruntque
ndem tradidisse, non esse arbitrii vel
nsilii, sed plane necessarium panis fer-
nto destituti vsum. *h*) Album calcu-
i, vt ita dicam, adiicit GVILIELMVS
RANDVS, *i*) itemque alii sacrificii azy-
laudatores, qui vel perspicue idem il-
obtrudunt, vel ad exemplum pariter,
nstitutum Christi prouocantes azymi
cessitatem quamdam, sin minus verbo,
nen argumento suo videntur impone-
voluisse. Quod ipse IOANNES BONA,
nceps ecclesiae Romanae purpuratus,
stola ad Mabillonium scripta, *k*) obser-
: nec pauci, a sacris Romanorum alie-
viri primarii Pontificiis cum ceteris er-
ibus exprobrarunt, quorum memoriam
ra iniecimus. *l*) Ex illo scriptorum ni
o azymi amore correptorum numero
mo magni nominis, ROBERTVS BEL-
RMINVS aegre poterit segregari; vt-
te qui non modo praecipuum funda-
ntum in illustri Seruatoris facto po-
; *m*) sed etiam IOANNI CALVINO di-

h) vid. MABILLONII *Annal. Ord. Benedict.* *n. II. lib. XXVIII. p. 455.*

i) *Ration. offic. diuin. lib. IIII. cap. XXXXI. §. III. sequ.*

k) MABILLONII *Ouvrages Posth. Tom. I. p. 83.*

l) *Part. II. cap. VIIII. §. I. pag. 211.*

m) *Neque enim*, inquit, *dubitari potest, quin il-*

 serte

ferte respondet, esse maiorem differentiam inter consecrationem azymi et fermentati, quam inter vsum vini albi, ac rubri. *n*) Sic adfectus illos, qui imbutis fermento panibus vel tantulum fauent, male exagitat. *o*) Neque tamen aut infitias eo, aut non monendum esse duco, sexcenta Latinorum scripta a diuina Christi institutione praestantiam potius sacramenti fermento carentis, quam necessitatem deducere: quemadmodum et Lutherani quidam summae auctoritatis, exemplo Christi azymo consecrantis ad honorem caerimoniae illi conciliandum vtuntur. *p*) Neque etiam huc temere vocandi sunt, qui contrariam Graecorum de vsu fermentati panis sententiam et erroneam et pestiferam nominarunt; tametsi quidam sacris Romanis aduersarii inde extorquere conentur, morem suum in ritibus pernecessariis nec mutationi obnoxiis Latinos habere. *q*) Graecis videlicet non

lud fit melius et faciendum, quod Christus fecit. de Sacrament. Euch. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. pag. 607.

n) Nimirum *azymo*, credit, *Dominum esse vsum; sed de vino non constare, quale fuerit: deinde Deum vsum esse azymo ad mysteria significanda, vt Leuiticus totus testatur, sed de vino nihil praecepisse: ideo azymo vti ecclesiam, sed vino promiscue. loc. cit. cap. VIIII. pag.* 619.

o) ibidem *cap. VII. pag.* 607.

p) vide infra *cap. IIII. §. III.*

q) vid. IO HENRICI HOTTINGERI *Disp. de dissensu ecclesiae orient. et occident. §. XXV. p.* 13.

ideo,

eo, quod fermentato consecrant, sed
iod azymo vere ac rite consecrari pos-
obstinato animo negant, longe grauissi-
i criminis dicam scribunt. r) Tandem
ec illi, quod est meum quidem augu-
um, in hanc classem sine vllo discrimine
ahendi sunt, qui ex praescripto eccle-
astico sacerdotem Latinum panem sine
ermento offerre iubent, de quo aliquan-
o post reddemur certiores. Interim ma-
et, quod ab initio constituimus, esse in
atinis, qui iusto maius pretium, postula-
oni nostrae adsignent. Fuerunt sane,
t hoc ne praeteream, patrum nostrorum
nemoria permulti in Gallia, qui perpe-
uum azymi ritum in ecclesia Latina pu-
nacissime pertinacissimeque, veluti caput
raecipuum doctrinae Christianae, ac
ogma catholicum, tuerentur. Quod IO-
NNES MABILLONIVS, s) testis domesti-
us, auctorque turbis inde enatantibus
roximus et candide fatetur, et, quan-
umuis azymorum caussa admodum vellet,
nerito stomachatur.

§. II.

§. II. Plerique caussam in promiscuo ponunt, licet azymum fermentato anteferant.

Remissius ac moderatius rem agunt
plerique Latinorum, qui, azymi quidem
esum omni fermentato habent potiorem,
sed vtroque tamen panis genere sacra-
mentum corporis Iesu Christi confici

r) vide §. *sequent.*
s) *Ouvrages Posthum. loc. cit. pag. 102.*

posse vtraque manu largiuntur. Neque verba dat MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, Archiepiscopus Spalatensis, quando ecclesiae Romanae Theologos concedere docet, t) *capacem esse fermentatum atque azymum ad consecrationem.* In his nomen suum profitentur, ne nullum ex ingenti multitudine adducam, DOMINICVS, Venetorum patriarcha, v) ANSELMVS, Praesul Cantuariensis, x) ALGERVS, y) SCOTVS, z) ALPHONSVS DE CASTRO, a) PETRVS ARCVDIVS, Episcopus Corcyrensis, b) IACOBVS SIRMONDVS, c) IO. BONA, d) IO. MABILLONIVS, e) AEGIDIVS DE CONINCK, f)

t) *de Republ. Eccl. lib. V. cap. VI. §. 258. Tom. II, p. 204.*

v) in *Io. Baptistae Cotelerii Mon. Eccl. Gr. Tom. II. pag. 110.*

x) *lib. III. epist. CXXXIIII. Op. Tom. IIII. pag. 153.*

y) *de Sacram. lib. II. cap. X.* in *bibl. Patr. edit. Paris. 1589. Tom. VI. p. 528.*

z) *lib. IIII. Distinct. XI. Quaest. VI. p. 53.*

a) *aduers. haeres. lib. VI. haeres. II.* conf. GREGORIVS DE VALENZIA *Tom. IIII. Disp. VI.* ab initio. vid. *Bibl. Patr. Max. Tom. XXVII. pag. 602.*

b) *de Concord. eccl. orient. et occid. in VII. Sacram. lib. III. p. 151.*

c) *Disquis. de azymo cap. I. Opusc. Var. Tom. III. p. 97. sequ.*

d) *Liturg. lib. I. cap. XXIII. p. 355.*

e) *Differt. de pane eucharist. in Ouvrages Posth. Tom. I. p. 102. et 114. sequ.*

f) *Commentar. in Doctr. Thomae de Sacrament.*

IGNA-

ATIVS HYACINTHVS DE GRAVE-
, *g*) et IACOBVS HYACINTHVS
RY. *h*) Magno illi adsensorum nimbo
ıntur, quorum vt quisque est doctis-
ıs, ita fere est in aestimando caussae
ito quam aequissimus. Quapropter
ecos ob panis fermentati cultum ali-
erroris culpa teneri, inuidiamque
eo nomine conflandam esse, mani-
ɔ diffitentur: quod autem altero pa-
genere delectatos male exsecrantur,
ı vitio atque culpa ponunt. Egregie
ı in sententiam ANSELMVS CANTVA-
NSIS: *i*) *Aut ergo tanta ratione partem*
ɱ fermentarii defendant, quanta suam
ɔrant azymitae: aut, si nec illud valent,
istud volunt; saltem non reprehendant
mitas. Perquam modeste SCOTVS: *k*)
n differunt substantialiter azymus et fer-
ıtatus, et nos non negamus, vere confi-
e Graecos. Bene ac sapienter ALGE-
S, *l*) *vt multis bonis catholicis*, inquit,

uerp. 1624. Tom. I. Quaest. LXXIIII. Art. IIII.
54. et Dub. II. p. 169.
) *Hist. Eccles. Tom. III. p. 158.*
) *Exercit. de Christo eiusque Virg. Matre Exercit.*
ɔ. 341.
) *loc. cit.*
) *dicto loco*, conf. SIMON *Hist. Critique des*
ıntaux cap. VIII. p. 115. on ne doit pas mettre au
nbre des erreurs l'usage, qu'ils ont de consacrer en
n levé, - - puisque cela ne change point la nature
pain.
l) *de Sacrament. cit. loc. pag. 526.*

vide-

videtur, non est contra fidem Christianam, seu azymo seu fermentato sacrificetur. Optime omnium vel acerrimus azymi perpetui defensor, CHRISTIANVS LVPVS: *m*) *consecratio in fermento a saniore non damnatur.* Splendidissime haec moderatio in concilio Florentino eluxit, et quasi publico theatro spectata est, vbi fermentati vsum Graecis eripere nec conati sunt, sed illud tantum atque vnice egerunt, vti Graeci azymo quoque rite consecrari confiterentur: documento publico, leviorem ipsis eam controuersiam visam fuisse. Quam modestiam etiam in aduersariis, vt par est, praedicant ISAACVS CASAVBONVS, *n*) IO. ANDREAS SCHMIDIVS, *o*) et SALOMON DEYLINGIVS. *p*) Quod vero a multis inde saeculis Graecos *fermentarios* appellant, atque contra eos declamant, quam qui vehementissime; id quidem ALPHONSVS DE CASTRO, *q*) ALGERVS, *r*) ac NICOLAVS COMNENVS *s*) ea Latinos ratione facere inquiunt, *quod putent ac doceant in solo fermentato posse rite sacrificari;* id quod se-

m) *Dissert. de S. Leonis VIIII. actis aduersus schisma Cerul. cap. VIII. Concil. Tom. IIII. pag. 318.*

n) *in Baron. Exercit. XVI. cap. XII. p. 410.*

o) *de oblatis eucharist. §. X. p. 20.*

p) *Instit. Prud. Pastoral. Part. III. cap. V. §. XVII. p. 468.*

q) *loc. cit.*

r) *loco memorato.*

s) *Praenot. Myst. Resp. III. Sect. V. §. XI. p. 179.*

mel

atque iterum aperuimus. Vnde con-
itur, Graecos, Pontifici sese subiectu-
non aegre panis fermentati adhiben-
icultatem non in remotioribus tan-
locis, sed Romae adeo impetrare:
lo profiteantur, etiam more Latino
terium rite agitari posse: immo vero,
NE ALLATIO, t) RICHARDO SIMO-
, v) et LVDOVICO MAIMBVRGIO, x)
oribus, Graecorum institutum fer-
itato rem diuinam administrandi num-
m non tenere coguntur. Quod mite
noderatum Romae imperium in tole-
la ista ritus discrepantia, miramque in
hac diiudicanda aequitatem, quam
tos, et in his FRANCISCVM BVR-
NVM, y) neutiquam perspicere pla-
niror, iam olim gliscentibus concer-
onis initiis LEO VIIII. Graecorum
ritati obiecit, quando quidem eam
multis verbis decantat: z) *Ecce in hac*

de Consens. lib. III. cap. I. §. III. p. 880. et cap.). *1092. sequ.*

) *Histoire Critique des Chretiens Orientaux cap.* . *pag. 115. et cap. VIIII. p. 121.*

) *Histoire du schisme lib. III. Tom. I. p. 289. L'egli-maine non seulément souffre, que les Grecs gardent contumes dans Rome même, où ils ont des eglises s monasteres, mais aussi qu' elle les exhorte à les ver, parce qu' elle scait bien, qu'il n'y a, que la sité dans les sentimens de la foi, et le refus, qu'on de reconnoitre le chef de l' eglise, qui doive rom-l' union.*

) *Synops. Theol. lib. VII. cap. X. p. 365.*

) *epist. ad Michaëlem Constantinopol. et Leonem.*

parte

parte Romana ecclesia quanto discretior et clementior vobis est? Si quidem, cum intra et extra Romam plurima Graecorum reperiantur monasteria siue ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, siue sua consuetudine, quin potius suadetur et admonetur eam seruare. Neque a pristina hac moderatione, si plurimos eosque potissimum, qui aliquo sunt numero et honore, spectes, degenerarunt.

§. III. De modestiae huius fonte coniectatio.

§. III.

Quid sit, quod ita faciles sint caussae huius existimatores, qui rerum leuissimarum antiquitus traditarum alioqui vindices ac laudatores sunt longe studiosissimi, nullo, opinor, negotio, si qua est coniecturandi facultas, perspiciemus. Puto ego, in caussa esse indignum illud auribus Christianis commentum, de transsubstantiatione. Eodem certe tempore, quo azymi ritus inualuisse creditur, et hoc, quicquid est, monstri paullatim lucem adspexisse censent homines eruditissimi, *a*) siue *quod perinde esset vtrum consecratio fieret in azymo, ac in fermentato:* siue quod azymus panis cum placentularum minutarum ac nitidarum praeparatione pede-

Acrid. apud BARONIVM *Annal. Tom. XI. ad a. 1053. N. XXXIIII. p. 212.* et *Concil. Tom. IIII. p. 61.*

a) vid. DALLAEVS *de Cult. Rel. Latin. cap. VI. p. 324.* FRID. SPANHEMIVS *Hist. Christ. ad saec. XI. Op. Tom. I. p. 1544.*

tentim

im et gradatim introferretur. Hae
›adeo paruae fiebant, vt ne mica for-
ı fractione maiorum crustulorum de-
:ret, ac periret: *b*) id quod sollicitius
naxime euitabant, quod in corpus
isti per consecrationem panem tran-
:putarent: fiebant adeo nitidae, quo
ıiores essent, in quas corpus diuinum
ısformaretur, quod argumentum su-
tractauimus. *c*) Inde minoris hanc
m de panis genere pendi a Latinis con-
ɔ, non tam, quia de lana caprina, quod
ıt, mouetur; quam, quod nihil inter-
vtrum panis offeratur fermentatus, an
: fermento coctus, cum panis quicum-
: consecratus in Domini corpus per-
tetur. Ne videar temere ad suspican-
n duci, neue adsertio ista conuicio,
ım coniecturae propius accedat; viam,
ae me huc deduxit, ostendam. Inue-
› nimirum apud ALGERVM, *d*) scri-
›rem Latinis commendatissimum, qui
culo XII ineunte floruit, vtrocumque
nis genere, azymo an fermentato coe-
sanctissima instruatur, *vel ideo nihil in-
esse, quia panis substantia, in Christi cor-
ris substantiam transeat.* Cum quo IO-
ıNIS PLVSIADENI, *e*) hominis Lati-

b) Iidem illi *locis adlegat.*
c) *Part. III. cap. II. §. VI. p.* 293.
d) *de Sacram. lib. II. cap. X.* in *Bibl. Patr. Tom.* . *p.* 526.
e) vid. LEON. ALLATII *Graec. Orthodox. Tom.* *p.* 638.

narum

narum partium oratio eadem in caussa congruit. Deinde pleno quasi gradu in hanc sententiam discessi, cum viderem, esse alios, in Latinis viros doctissimos, ex quibus MICHAELEM LEQVIEN *f*) in scenam producere satis habeo, qui demonstraturi, Graecos quoque controuersiam hanc nullius aestimare, in omnium oculis ad rationem illam confugiunt, quoniam hi aeque, atque Latini conuersionem panis consecrati in corpus Christi admittant. Quod faciant Graeci, nec ne, nihil ad hunc locum attinet; *g*) interim patet inde ac dilucet, cur quaestionem nostram tanta contentione indignam maxima Latinorum multitudo iudicet. Mihi vero satis id fuit, ad hanc ipsam augurandi libertatem ab omni cum temeritatis, tum inuidiae suspicione vindicandam.

§. IIII. Interim omnium sententia huc redit, sacerdotibus Latinis necessario azymum esse consecrandum.

§. IIII.

Opinione lapsus in errorem raperetur, qui ex illa peruulgata Pontificiorum sententia probatum ire vellet, integrum esse Romanae ecclesiae ciuibus, vtrocumque libuerit, panis genere vel fermentato vel azymo in coena sacrosancta vesci. Neque enim latet, sed Romanae ecclesiae consuetudine, ac disciplina, in primis sollemni concilii Florentini decreto com-

f) in *adnot. ad* IO. DAMASCENI *opusc. de azymis Op. Tom. I. p. 271.*
g) vid. *Part. IIII. cap. I. §. IIII. p. 369.*

proba-

ɔatum, teſtatumque eſt, et Latinum raecum, in offerendo panis ſanctiſſi- ɟenere, ſuae quemque eccleſiae mo- ſequi oportere. *b*) Inde ſequitur, ɔanis non fermentati conſecrandi ıibus Latinis neceſſitatem eſſe ab ec- ia impoſitam, iure optimo adſtruas: : adeo certum eſt ac fixum, *vt mortali-* quemadmodum loquitur FRANCI- S TOLETVS, *i*) Romanae eccleſiae ıceps purpuratus, *peccare cenſeant ho- em Latinum, qui azymo conſecraret, li- conſecratio valida foret.* Neque hanc ɜſcripti vim, quam ſacerdotibus ſuis na inuſſit, vel caſum aliquem, vel lo- n, vel tempus labefactare aut immuta- ɔoſſe arbitrantur. Itaque nec in Grae- commoranti ſacerdoti Latino licitum alio, atque azymo pane conuiuium ſticum dare: vbi tamen addit ANTO- ɿVS DIANA, *k*) *non eſſe damnandum, ſi formet ſe eccleſiae, in qua verſatur.* Huc te omnes collineant, *praeſtare*, VT AE- ɔIVS DE CONINCK, ſollers interpres :trinae THOMAE loquitur, *l*) *vti ſa- lotem Latinum azymo, etiam in loco pere- ıo.* Quid? quod eo vſque progredi-

) Decret. concilii Florentini ſupra *Part. II. cap.* §. *II. p. 27.*

) *Summa Caſ. Conſcient. lib. II. cap. XXV. p. 158.*

) *Reſolut. CCV. §. III. Op. Tom. II. Tract. I.* . *123.*

) *Comment. de Sacrament. et Cenſ. Tom. I. Quaeſt. XIIII. Art. IIII. Dub. III. p. 171. et 174.*

vntur, vt, nec ipso mortis puncto, deficiente azymo, sacerdoti Latino panem fermento subactum distribuendi faciant potestatem? *m*) Neque adeo Latino in ecclesia sua consecrationem panis, fermentati permittunt, *etiamsi populus diu debeat sacrificio priuari, et proximus absque viatico decedere, quia vtilitas communis priuatis commodis praeferri debet*, vt idem ille ANTONINVS DIANA inibi proloquitur. Vocant hanc necessitatem *praecepti ecclesiastici obligantis sub peccato. n*)

§. V. Quae necessitas praecepti ecclesiastici examinatur.

§. V.

Non dubito fore nonnullos, qui diiudicationem istam scriptis ac sermone Romanorum tritissimam de azymis panibus praecise in sacrificio Latinorum eucharistico manducandis illi, de qua modo commemorauimus, modestiae non modo non respondere, sed adeo reclamare existiment. Et sunt profecto multi, qui ex huius modi etiam locis, Romanae ecclesiae doctores rem nullius in grauissimis maximeque fixis numerare colligant: quos si nominem, vereor, ne magnae laudis atque auctoritatis Theologi huc sint adscribendi. Ne tamen suus veritati honos non

m) ANTONINVS DIANA *Resol. CCVI. §. I. loc. cit. p. 123. sequ.*

n) GREGORIVS VALENTIA *Op. Tom. IIII. Disp. VI. §. I.* AEGIDIVS DE CONINCK *loc. cit. Dub. II. p. 170.*

constet

tet, NICOLAVM HVNNIVM o) IO. MVM SCHERZERVM, p) IO. HEN- /M HOTTINGERVM, q) FRANCI- M BVRMANNVM, r) et HARTMAN- I SPRINGLIVM s) adlego. At pro- ic diiudicentur ac discernantur fingu- ecesse est. Multum interesse, vtrum esia alterutrum panis genus a sacerdo- s ad epulum Domini deligi mandet, um alterutrius panis per se in rebus oris momenti reponat, omnium, cre- confessione iuxta, ac iudicio constat. discrimine probe inito, in quam em Latini referendi sint, age dum, di- amus. Non sane ecclesia Latina ideo farinacea sine fermento consecrare iubet, quod in fermentato pane cor- Christi manducari posse, infitietur: propterea, quod vtriuslibet vsum cipere sibi est integrum. Itaque ex ii panis genere, panem triticeum a iento immunem in aram Domini non lege t) adoptauit, sed communi m consuetudine illatum est amplexa,

Abfall der Römischen Kirche *pag. 141.*
Anti-Bellarm. Disp. XI. Thes. III. p. 542.
Disp. de dissensu eccl. orient. et occid. §. XXV.
23.
loc. cit.
Tract. de hod. haeres. Part. II. lib. II. cap. III.
5. Quis ergo negabit in azymorum vsu inter com- candum eucharistiae necessario atque peremtorie endo, et vsurpando Papistas haereticos esse?
Part. III. cap. II. §. VI. p. 293. et *cap. III. §. VI.*

et decreto Florentino publico fixit: primum, quia erat indifferens suoque arbitrio relictum: porro, quia per multa saecula in occidentalibus regionibus idem mos adoleuerat, ac viguerat: deinde, ne diuersae in eadem ecclesia essent caerimoniae: tum nę turbae a Graecis inde conflatae in visceribus Latinorum haererent, si vel nimium illis in re leui quidem, at iniquius exagitata cederent, neue intestina discordia animi diuiderentur: denique aliis de caussis, quae per se nihil habent vitii. Quo loco cum res esset, sacerdotibus ac ciuibus suis alia cuiuscumque panis consecratione interdixit. Cum igitur in eo, quod voluntati consilioque communi debetur, hominis Latini sit, imperio Pontificis atque ecclesiae, cuius fidei se tradidit, dicto esse audientem; aperte adstruunt, si Latinus contra instituta ecclesiae suae azymum consecraret, validam esse consecrationem; *v*) at illum qui consecrat, perfractis officii fideique repagulis, peccato se obstringere, non ideo, quod fermentatum adsumsit, sed quod alium panem praeter eum, quem ecclesia ipsi permiserat, pro libitu adscivit. Mihi quidem haec referenti veritas summa lex est. Neque enim aliam ex scriptoribus Latinis, si a paucis ab initio huius capitis adlatis discedo, declarationem hausi. Quam germanam esse vel

v) FRANC. TOLETVS *dicto loco.*

ipsum

ı celebratiſſimum concilium Triden-
n x) edocet: *Si quis dixerit, receptos
probatos eccleſiae catholicae ritus in ſol-
ſacramentorum adminiſtratione adhi-
onſuetos, aut contemni, aut ſine pec-
ı miniſtris pro libito omitti, aut in nouos
per quemcunque eccleſiarum paſtorem
ri poſſe, anathema ſit.* Vident mani-
, niſi qui ſponte caecutiunt, redun-
haec non ad naturam rituum, ſed ad
ſtatem eccleſiae ſacerdotes ritibus
usdam adſtringendi; magnum autem
uallum inter hoc atque illud eſſe in-
ctum, ecquis, quaeſo, eſt, quin anim-
rtat? Si quo ſane hoc fit vitio, quod
eſia Romana in rebus indifferentibus
ım ſuis ciuibus parendi iugum iniicit;
, equidem arbitror, quaeſtio rediret:
ıum, licitumne ſit eccleſiae, ex dua-
rebus mediis atque in promiſcuo poſi-
lterum deligere, ad eiusque vſum ſo-
, vel ordinis conſeruandi, vel offen-
um vitandarum cauſſa, vel alia ex ra-
e non iniqua ſubiectos ſibi filios de-
ire? Deinde, an ſacerdotes, qui ſi-
ı eccleſiae, dato ſacramento, obſtrin-
ınt, ac placitis eius ſe fore ad nutum
emperaturos receperunt, ſi aliter, at-
iuſſi ſunt, faciant, et lineas officii,
ta dicam, transſiliant, peccent? Tan-
n quaeri poſſet, an haec praecepti at-
obſequii poteſtas in rebus maioris

) *Seſſ. VII. Can. XIII. edit. Colon. Agr. 1712. p. 85.*

momenti, vrgente vltimo et maximo telo necessitatis, locum habeat: verbi caussa, si panis azymi ab ecclesia mandati non sit copia, an ecclesiae parere, et nullo, quam fermentato vti, sit satius? Ad ista omnia vtcumque visum erit, respondeas; ego tamen aut, quid sit iniquum, penitus ignoro, aut aequum esse dubito, ex lege ecclesiae de rebus, quas adiaphoras esse documentis confessionibusque et priuatis et publicis inculcat, ordinis caussa lata concludere, ecclesiam alterum illud, quod tabulis sanxit, reponere in rebus per se necessariis. Si qua vmquam gens libertati Christianae iustum statuit pretium; fecerunt id homines confessioni Augustanae adscripti. Sapienter illi, planeque ad mentem Spiritus diuini a necessariis non necessaria, a leuioribus grauia, denique ab ipsa rerum sacrarum natura colores externos et aduentitios separarunt; illis, quae mutare ac violare nefas esset, diligentius adseruatis, haec, quae ab arbitrio ecclesiae pendere animaduertebant, in seruitutem abstracta, iure suo ac manu, vt ita dicam, in libertatem adseruere. Interim nec adiaphora eius modi, quae manu miserant, cuiusuis voluntati ac libidini ecclesia purior permisit; sed caerimonias, magistratus summi auspiciis, ad tranquillitatem publicam figendi, certisque ex caussis refigendi cum curam tum gloriam sibi esse videt relictam. Quam

ob rem

em cum in regionibus purioris doctri-
luce illustratis ritus quoque medii le-
s superiorum, atque imperantium in-
tis teneantur, non integrum est sacer-
, quacumque libuerit ratione litur-
exercere. Ita nec alio, quam intro-
o panis genere corpus Domini distri-
e, nec aliis quibuscumque, quam ab
esia admissis moribus, rem diuinam fa-
, eumdem et decet, et oportet. Quis
inde coëgerit Protestantes, eiusmodi
s vel rituum genus in permagnis col-
re? Non alia de caussa hoc, quicquid
adferendum duxi, nisi, vt clarius
n appareret, peracerbos esse rerum
ores, qui Romanam ecclesiam, quae
nos ad azymi consecrationem legibus
it, morem hunc ex indifferentibus ac
iis tollere, et ad necessaria falso refer-
onuiciis crebrioribus iactant. Quo-
aspere iudicandi rationem non sex-
a modo eiusdem religionis doctorum,
publicae etiam fidei professiones re-
int, quae conceptis verbis edicunt,
n panis vtriusque per se esse ac futu-
adiaphorum. Hac mente concilium
rentinum et fermentatum et azymum
acrificium Domini admitti posse eui-
tissime declarauit: at Graecos morem
lesiae suae de fermentato sacrificandi
ere; Latinos ad exemplum ecclesiae
manae azymo litare voluit: quo prae-
ipti vinculo illa de rei leuitate iudicandi

libertas neutiquam deuincitur. Fuit hoc ſemper Latinorum propoſitum, neque verbis facta non reſponderunt, quod exemplo ex ſaeculo XII. repetito planum facturus, HILDEBERTI, Epiſcopi Coenomanenſis litteras eo de argumento conſcriptas, ſubiungam: y) *Sacerdos praeſentium lator, dum miniſtraturus ſacris adſtaret altaribus, nec in hoc praeparatum panem inueniret, de communi pane ſacrificium ſe confitetur obtuliſſe. Qua in re licet potius conſuetudo, quam fides impugnetur; nos tamen nonnullam in eo culpam attendimus, arbitrantes, grauius puniendum eſſe eccleſiae ſcandalum, quam delictum, et ſacerdotis iniuriam, quam reatus qualitatem. Quod quia in veſtra dioeceſi factum eſt, perſonam, quae peccatum peccauit, ſub veſtro ſtatuimus iudicio, quatenus ab eo paſtore transgreſſio puniatur, cuius gregem ſacrificii nouitas conturbauit. Erit igitur veſtrae deliberationis, in ſacerdotem, qui male conſecrauit, eam proferre ſententiam, quae plus patris habeat, quam iudicis.* Oculis hic cerni poſſe, opinor, quod iam pridem ante concilii Florentini tempus mitius de diſceptationis momento Latini ſenſerint, licet ſacerdotibus in eodem ritu offendentibus poenam indicerent. Neque vero is ſum, qui ſcriptores Latinae eccleſiae nonnullos extra cancellos ferri negem,

y) *Epiſt. XXXXIIII. in Biblioth. Patr. Pariſ. 1589. Tom. III. p. 925.*

quibus

bus vis praecepti de azymo confe-
ndo promulgati latius longiusque pa-
; videtur, quod vel ex iis, quae fupra
uximus, difci poteft. z) Neque etiam
otum mihi eft, aut reconditum, quod
licis fcriptis faepe tradunt, ecclefiae
ius, quam fcripturae cuiuscumque fta-
s obtemperandum effe. *a*) Hoc autem
et non folum in capite de azymo, fed
aliis quoque caerimoniis ab ecclefia
ftitutis, vel fixis. Alia haec eft, et va-
modis a multis oppugnata arx, quam
ntur etiam in illis rebus, inter quas pa-
n effe difcriminis non inuiti largiun-
In poftulatione certe de azymo ef-
anc mentem ecclefiae Latinae, quam
licitius defcripfi, vel ex eo intelligi-
, quod nec facerdotibus Graecis alio,
m fermentato pane in ecclefia fua vti,
Latinorum decretum licet, fed eadem
lege, fi quis ex Graecis facerdotibus
em fermenti expertem offerat, pecca-
dicatur. *b*) Si ergo vel in panis genere
natura cauffam neceffitatis abditam

) vid. *§. I. praeced.* conf. MART. CHEMNICII *m. concil. Trident. Part. II. p. 34. fequ.*

) *Habemus itaque, reprehenfibilem effe omnem efumtionem contra ecclefiae ritum, - - non obftante cumque colore, aut ex praxi, aut fcriptura quaque pro refiftentia et inobedientia adlegato et adto:* fcribit ad Bohemos *de communione fub vtra-* NICOLAVS CVSANVS, Card. *Op. Tom. II.* *. 9. b.*

) ANTONINVS DIANA *modo cit. p. 123.*

esse ducerent, vel ex praescripto Christi, vel aliunde azymorum esui auctoritatem tantam conciliarent; non possent Graecis alteram panis speciem permittere, vt ipse censet IOANNES BONA, *c*) minime omnium eos, ad ritum fermentato consecrandi obseruandum legibus coërcere. *d*)

CAPVT III.

EX PLACITIS REFORMATORVM.

§. *I.* *An panem fermentatum praecise consecrandum putent?*

§. I.

Videamus porro, quoniam huc delati sumus, quanti Reformatis sacris addicti quaestionem hanc habeant? Si quorumdam iudicio standum decernendumque esset, occurrerent in Reformatis bene multi, apud quos lis illa ponderis esset multo maximi. Scribit sane FRIDERICVS BALDVINVS, *e*) *non deesse inter Caluinianos, qui panem azymum necessario requirant, eo quod Christus in prima coena tali pane vsus fuit.* Sed libenter equidem fateor, me in Theologis ecclesiae Reformatae, qui sunt aliquo nomine ac merito, demonstrationis huius auctorem vel propugnatorem reperire potuisse neminem.

c) in MABILLONII *Ouvrages Posth. Tom. I. pag.* 83. *et* 89.

d) redi, si placet, ad *Capitis huius* §. *II.*

e) *Cas. Conscient. lib. II. cap. XII. Cas. VIIII. pag.* 332.

:que ad fidem pronum est, illos hono-
)anis non fermentati adeo esse velifi-
uros, qui contra eius in sancto epulo
:m plerique insurgunt, et fermentatum
eucharistia potius, quam alterum pa-
genus adhiberi postulant. Neque
:mplo Christi sine fermento coenam
uissimam instruentis azymi necessita-
n probant, sed eiusmodi panis, qui ad
nus est, atque in epulis quotidianis ap-
nitur: id, quod ex superioribus lucide
.istare reor. *f*) Quod si autem, vt res
·iter, atque obseruatio ad latus posita *g*)
ıuit, pro azymo pane, panem fermen-
um scripsit BALDVINVS, et legendum:
*ı deesse inter Caluinianos, qui panem fer-
ntatum necessario requirant, eo, quod
·istus in prima coena tali pane vsus fuit:*
rum fateor, me etiamnum dubitare,
vllus Reformatorum vsum panis fer-
:ntati necessarium diserte praeceperit?
nnium vero maxime ambigo, vtrum v-
n fermentati panis, inde deducat vnus
isquam, quod eucharistiam Seruator
ıe istius generis instituerit? Reforma-
enim etiam illi, qui Christum pascha
c vltimum antecepisse adstruunt, tamen

) *Part. III. cap. VI. §. I.*
;) Adnotatio subiuncta habet: *Caluiniani non
ıes. Nam Beza ep. 12. panis azymusne sit, an fer-
ıtatus, non magnopere putamus laborandum. Sic
niel Chamier lib. VI. de Euch. cap. IIII. optimum
'eri ait - - pane vti fermentato.*

more

more legibus praefinito, hoc eſt, panibus a fermenti admixtione integris agnum comediſſe dicunt, atque ab exemplo Ieſu panem obuium frangentis nec azymum, nec fermentatum; ſed generatim cibarium vſitatumque adſciſcere iubent. Tuetur autem, praeter IOANNEM GERHARDVM, b) et IANVM BIRCHERODIVM, i) IO. AFFELMANNVS, k) *quosdam Caluinianos fermentatum panem ſub neceſſitatis opinione vſurpare*, in iisque nominat *Anhaltinos, quos ita rem tractare videat, vt poſita ſpecie tollant genus.* Ego vero nec inter Anhaltinos, nec alios quoscumque Caluini adſtipulatores reperio, qui pro neceſſaria panis fermento ſubacti conſecratione decertent. Indagemus ergo, quo iure Theologi, quos dixi, doctrinae ac veritatis fama praeſtantiſſimi, eam ſententiam Reformatis exprobrare potuerint, quam nec Anhaltini, nec alii eo, vt propoſita eſt, modo amplectuntur.

§. II.

§. II. *Qui cibarium panem in eucharistia praefracte deſiderant, fermentatum quoque appetere videntur.*

Vt in ipſam cauſſae arcem inuadamus, veritatique accedamus preſſius, duo potiſſimum, oportet, conſideremus, quae permulti Reformatorum de panis conſecrandi genere dicturi ſub neceſſitatis prae-

b) *Harmon. Euangel. cap. CLXVIIII. Tom. II. pag.* 1088.

i) *Synopſ. Loc. Com. Theol. Hafniae* 1690. *p.* 281.

k) *Synt. Exercitat. academic. Part. I. Diſp. XXXI. pag.* 901.

ſumtio-

ntione obtrudunt. Primum, adhiben-
m esse panem quotidianis vsibus desti-
tum, cibarium et communem: deinde
ıcentulas sine fermento coctas minores
n esse non repudiandas. Inuestigemus
c loco, vtrum inde fluat, eosdem illos
e vlla exceptione fermentatum panem
mensa Seruatoris mystica deposcere?
:e in ecclesia Reformata, qui eodem pa-
commune Christianorum conuiuium
ɔeant administrari, quo in epulis ac
:tu et alimur, et recreamur, tantum abest,
diffitear; vt summum contra ea in re
ɔmentum multos ponere, prae me fe-
n. Quaerentibus autem, quid sit, quod
ɔarium et familiarem panem Theologi
ı solum ad rem diuinam faciendam ad-
nunt? respondeamus, decet, id illos
maxime ratione et consilio impulsos
:ere, non quod fermento temperatum
azymoque distinctum, sed quod eius
neris nutrimentum est, quod in regio-
ɔus nostris in vsu vulgari positum cor-
ıribus hominum alendis sustentandis ac
:iciendis seruit. Cui sententiae aucto-
ate Christi robur accedere sibi persua-
nt, qui pane eiusmodi coenam obie-
, quo per dies septem Iudaei vescebant-
r ac nutriebantur, vt ex doctoribus eius
clesiae supra didicimus. *l*) Hanc viam
:utus HERMANNVS WITSIVS, *m*) pri-

') *Part. III. cap. VI.* §. *I.*
m) *Oeconom. Foed. Dei lib. IIII. cap. XVII.* §. *VI.*
584.

mi

mi cenſus Theologus panem in coena ſalutari comedendum eſſe ſtatuit *communem et vſualem, vti Chriſtus eum vſurpauit, qui tunc prae manibus erat.* Caue putes, eum de neceſſitate fermentati panis ſermonem facere, de quo paullo poſt ſubiicit: *n*) *liberum eſt, vtrouis pane, prout occaſio tulerit in ſacro epulo vti.* Cum quo magno numero alii, *o*) atque adeo ipſi Anhaltini *p*) conſpirant, qui tamen in cauſſa *boſtiolarum* alios et vehementia, et ſtudio ſuperaſſe exiſtimantur. Vt quisque horum omnivm eſt in arceſſendo pane cibario ac vulgari pertinaciſſimus, ita eſt in cauſſa, quae ad fermentum attinet, faciliimus. Azymum enim aeque ac fermentum pro pane haud aegre habent, et quando non fermentati panis eſum a ſplendidiſſima eccleſiae menſa arcent, id eo maxime faciunt, quod a conſuetudine domeſtica ac vulgari abhorret. Itaque ſi forte in regione quadam panes fermento ſubigere ab vſitata ratione recederet, iſthic panem ſacrum non prae-

n) ibidem *pag. 685.*

o) PETRVS VAN MASTRICHT *Theol. Theoretico-Pract. Part. II. p. 887. Reformati reiectis hoſtiis panem ordinarium nutriendi aptum adhibendum docent, non autem praeciſe azymum.* IO. HOORNBEECK *Summa Contrquerſ. Relig. lib. XI. p. 945. ſequ.* IO. MVNSTER Bericht *pag. 66.* DAVID PAREVS Bedencken von Brodt und Brodt-brechen *pag. 87.*

p) MARCVS FRID. WENDELINVS *Exercit. Theol. CI. pag. 1637.* CHRISTOPHORVS MASSONIVS *Anat. Vniuerſ. triumph. Part. IIII. cap. XXVI. pag. 174.*

fermen-

entari, ſed, vt eſſet, ſine fermento
ecrari volunt. Qui igitur cibarii et
munis panis fractionem in epulo ſan-
mo praecipiunt, non ideo etiam fer-
tum vi quadam legis admiſcere iubent;
ıe litem noſtram magni pendunt; ſed
.m Chriſtianorum intereſſe iudicant,
nusne diſtribuatur, an fermentatus;
lo ſit cibarius, vſuque domeſtico re-
:us. Idque adeo figunt, vt America-
ı etiam panem ex herbis, corticibus,
ıdicibus arborum factum, atque illic
ıtum, cum hominibus nutriendis con-
andisque aptus ſit, recte iisdem in ter-
in myſterio manducari poſſe MAT-
IAS MARTINIVS, *q*) conſtituat; eum-
ı certe, ſi alius obtineri nequeat, in
tiolarum locum ſurrogari poſſe THEO-
RVS ZWINGERVS *r*) iudicet. Ex
bus omnibus haud occultis ſignis docu-
ıtisque dilucet, eos, qui cibarii panis
ıſecrandi legem quamdam eccleſiae
ıngunt, non itidem ſimpliciter fer-
ıto admixto coctum flagitare. Neque
ıen a vero aberraſſe dixerim celebres,
ıs ante nominaui, Auguſtanae Con-

) *Summa Sacramentor. pag. 228. Satis eſt, pa-
eſſe alimentarium et vſualem, vndecumque ſit
ıs, modo ſpiritualis nutritionis ſimilitudinem ſuſti-
queat. Hinc etiam Braſileenſium panis, qui ſit
ontuſis aridis radicibus, eum ad finem eſt idoneus.
ſſimus tamen eſt, qui ex vſitatiore frumento con-
ır.*

) *Theatr. Sap. lib. IIII. cap. XVIII. pag. 1103.*

feſſionis

fessionis Theologos, qui Reformatos nonnullos pro panis fermentati vsu ex quadam necessitatis opinione nimis rigide pugnare adfirmarunt: vbi sine dubio fermentati voce cibarium panem intelligunt. Cum enim domesticum et communem panem multi, quemadmodum dixi, praefracte appetant; at eiusmodi panis nostris in locis semper soleat esse fermento ingesto eleuatus; haud latenter ac sua sponte consequitur, eum, qui non, nisi cibarium, ac domesticum panem consecrari poscit, eadem necessitatis imaginariae lege deuinctum fermentatum esse desideraturum, neque temere azymo, vtpote nec communi nec vsitato, locum in conuiuii saluberrimi apparatu concessurum. Ne quid dicam, quod multi etiam, dum cibarium vnum ciuitate sacra donant, palam ac diserte azymum ad Iudaeos, atque etiam in vltimas terras amandant. Quod ipsum BEZAM, quantumuis aequum alioqui dissidii nostri existimatorem, *s*) fecisse animaduerto, quando interroganti ea de caussa hunc ad modum respondet: *t*) *Etsi ea de re nolim, vt de summa rerum contendere, libere tamen dico, naeuum esse duplicem in iis ecclesiis, quae azymo potius, quam fermentato pane vtuntur. Hoc enim et Iudaismum sapit, et minus est quotidiani cibi analogiae accommodatum.* At THEO-

s) *Epist. Theolog. XII. pag. 100.*
t) *Quaest. et Respons. Christian. Part. II. pag. 201.*

DORVS

:VS ZWINGERVS, *in coena*, ait, *v*) *enientius est abstinere a Iudaizantibus nis.* Vbi quidem, quasi detecto velo, et, quod ratione, quam hoc loco A, atque ZWINGERVS ex Iudaismo ınt, sacro cuiuscumque panis azymi maculam inurere adnitantur.

§. III.

§. III. Qui hostiolas repudiant, an etiam azymum quemcumque deuitent?

Alterum, quod per necessitatis praetionem permulti, qui iisdem in castris àntur, ab eucharistia excludunt, est utum illud crustulorum sine fermento ɔrum genus, quae in ecclesiis et La- ; et Lutheranis domicilium nacta a suis sacris, tamquam pestem propulsant. qua rei adiaphorae vituperatione, ne rda eadem oberrare videar, auribussim molestus, cum satis multumque 'a descripta sit, *x*) nihil est, quod ad- ı. Id autem explorandum esse duco, d est huius loci, vtrum illi, qui holas sine fermento coctas abrogandas le communi omnium sententia amodas esse decernunt, nostrae controiae potestatem ac meritum aliquod uant? Eorum equidem hominum bielle video genera. Alterum istorum, eiusmodi liba farinacea, verum panem omnino abnuunt; *y*) eorum alterum,

) *loco cit.*
) *Part. III. cap. V. §. III. p. 334.*
) Cui hominum generi vulgo adnumerant Fra-

qui ea, etiamsi sint panis, tamen ab vsu sacro relegant. Hi, vt ordine inuerso incipiam, placentulas minutas respuunt, non quod sunt ab admixtione fermenti purae; sed propterea, quod sunt adeo paruae, vt fractionem, quam multi in rebus nequaquam omittendis, sed plane maximis numerant, impediant, vel quod a simplicitate Christianorum alienas, ad significandamque caelestem animi nutritionem ineptas esse credunt, vel aliis de caussis, quae in aprico sunt. z) Qui ea tantum ratione illas reiiciunt, parum pensi habent, fermento careant, nec ne? Et fidem interpono, si panis communis formae iustaeque magnitudinis fermenti tamen expers, et placentula tenuissima ad frangendum haud idonea offerretur, atque Reformato eiusmodi optio eligendi daretur, fore, vt potius panem iustae magnitudinis ac formae, etiamsi fermento destituatur, quam crustulum minutum, quantumuis fermento subactum, consecraret. Res videtur esse cum iis, qui illas *verum panem* esse penitus negant. Illi quidem in percensendis pluribus caussis, quae magno cum apparatu coniunctim

tres ab *rosea cruce* nomen consecutos, quicumque etiam fuerint, quorum auspiciis *Hanouiae Sylloge* prodiit, *an hostiae sint verus ac cibarius panis?* isthic vide *pag. 45. 70. sequ.*

z) vid. MATTHIAS MARTINIVS *Summa Sacram. cit. loco.* conf. *Part. III. cap. V. §. III.*

l CHRISTIANVM BECMANNVM, *a*) e alios *b*) ob oculos ponuntur, vix uam ad id delabuntur, quod a ferto sint purae, cum tamen eas praepai modum latius curatiusque perseitur. Quare nec illi pretium discele caussae aliquod adsignare videnfed, si qui sunt duriores, fermenti sionem in leuioribus collocant. In n sententiam IOANNES HOORNCIVS: *c*) *Neque adeo in Latinis repre-*

Anatomia Vniuers. Triumph. Part. IIII. cap. I. pag. 180. sequ.
vide Erinnerungs-Schrifft etl. von Adel und ten in Anhalt und der drauff erfolgten gnädigen ntwortung. *pag. 87. et 103.* quem librum a Theo- Vitembergensibus, *scripto Vitembergae 1597.* : Nothwendige Antwort auf die hefftige in An- ußgestreute Schrifft impugnatum, vbi et haec à agitur *pag. 92.* defenderunt Anhaltini diuul- libro: Anleitung, wie man das Wittenbergische mit Nutzen lesen möge, Zerbst 1597. vbi vide 30. conf. Bericht und Lehre, was von *Cerimonien* lten. *Part. II. Num. VI. p. 84. et 85.* Die kleinen stischen *Hostien* und *Oblaten* sind gäntzlich abge- ft. in promtu est ipsis caussa: weil *Hostien* kein ot sind. et rel. IOHANNES MVNSTERVS in *Latr. pag. 53.* vocat die *Hostien* ein falsch, neuer- enes, unkräfftiges Schaum-Brodt. *Dissertatio it. aduersus D. Hoë p. 106.* Der Lutheraner Ho- sind kein recht Brodt, weil sie die vollkommene *Ma-*, *Forme*, und Eigenschafften eines Brodts nicht en. MARC. FRID. WENDELINVS *Exercit. ol. CI. sequ. pag. 1629. ad 1662.* DAVID PAREVS *. cit. pag. 58.* In geraumen Verstande sind die Ho- n Brodt, aber kein recht Brodt.
:) *Summa Controuers. Rel. lib. XI. pag. 946.*

henderemus, quod azymo vtuntur in coena, si pane solido; sed quod eius spumam et minutias farinaceas leuissimas, panis nomine vix dignas, adhibent, magis improbamus. 10. DALLAEVS *d*) culpam Latinorum fuisse minorem censet, *si tantum azymo sacrificarent*, sed quod *singulari tenuitate ac forma* panem mysticum offerant, id esse neutiquam ferendum. At alii, quantumuis acerrimi alioqui panis cibarii vindices, et hostiolarum expulsores, identidem inculcant, azymum esse panem; licet fermentatum, vtpote magis vsitatum, anteferant. Sic, in enarrandis Graecorum contra Latinos velitationibus, ad argumentum illud, azymum non esse panem, adnotat DAVIDES PAREVS, *e*) id adfirmari posse de hostiolis Latinorum, neutiquam generatim de azymo quocumque, cuius esum in epulo Christianorum salutari liberum esse diserte docet. *f*) Habet opinionis suae adscriptores Anhaltinos, MARCVM FRIDERICVM WENDELINVM, *g*) et CHRISTIANVM BECMANNVM, *h*) antistitem Serue-

d) *de Cult. Relig. Latin. lib. III. cap. VI. pag. 316.*

e) Bedencken vom Brodte im heil. Abendmahl *pag. 29. sequ.*

f) ibidem *pag. 87.*

g) *loc. cit.*

h) vid. MASSONII *Anatomia cit. p. 174.* ungesäuert Brodt, das insgemein gebacken, wird bey Mahlzeiten gegessen, das stillet den Hunger, es nähret, es hat die völlige *materie*, es hat die Eigenschafften eines natürlichen Brodtes, welches von *hostien* nicht mag gesagt werden.

stanum,

ꞁm, qui panem ſine fermento factum, pulis ac victu abſumi, famem ſedare, ꞁ, natura atque adfectionibus veri pa- ꞁaudere, ſcribit: quae ſingula ab ho- is ſint aliena. Neque diſſentiunt alii ꞁaltinorum illis antiquiores, qui con- Vitembergenſes hoſtiolas panem ve- eſſe palam infitiantur, at vero azy- n pro pane ſine vllo dubio habent: ꞁ Dominum non hoſtiolis Latinis, ſed nis, hoc eſt pane per dies ſeptem nu- ndis corporibus deſtinato atque adeo ꞁrio coenam nouiſſimam inſtruxiſſe ꞁime adſeuerant. *i*) Ex quibus colligi ꞁe credo, homines in profligandis ho- ꞁlis fortiſſimos in panis euchariſtici ge- ꞁe ponderando vix vllam fermenti ab- tis rationem habere. Quamuis enim TRVS VAN MASTRICHT *k*) *azymum ꞁ eſſe panem verum et nutriendi aptum* ꞁonſultius proloquatur, tamen conce- s verbis addit: *in hoſtiolis.* Ita haud ꞁbigue cauſſam, cur azymum eiusmodi panis loco collocare nequeat, in ho- olas tenuiſſimas coniicit, atque azy- ꞁm alioqui panis verbo inſigniri decla-

i) Reſponderant Vitembergenſes Nothwend. Ant- ꞁrt *pag. 92. b.* es gelte dem Allmächtigen gleich, wenn ꞁn nur recht natürlich Brodt nehme, es ſey gleich ſäuert oder ungeſäuert, rund oder nicht, viel oder ꞁnig: id ipſum perlibenter Anhaltini amplectun- ꞁr, Anleitung wie man das Wittenb. Buch mit Nu- ꞁn leſen möge. *pag. 2.*

k) *Theol. Theoretico-Pract. Part. II. pag. 887.*

rat. Verum enim vero ne, quae proximo superiori paragrapho dixi, iterum decantem, vnum hoc adiiciendum iudico, neque in illa hostiolis indicta lite caussam nostram sine reprehensione aliqua dimitti. Fucum facerem, si Graecis quam proxime quosdam accedere diffiterer, qui Latinis iampridem exprobrarunt, quod non panem alicuius magnitudinis, qui ad exemplum Christi frangi posset, in mensa mystica offerrent, sed *ὀβολιαῖον ἀζύμου τι φυραμα*, hoc est, rotundam atque exiguam farinae sine fermento subactae massam. *l*) Deinde cum placentulae illae non nisi magnitudine ac forma quadam externa ab alio azymo quocumque discrepent, quod luce meridiana clarius nemini non patere puto: *m*) magnitudo autem et forma eiusmodi rei aliam naturam haud induat; necesse est, qui has tales placentulas despicatui nec pro pane habent, etiam quemcumque azymum eodem referant. Ego sane viam me ignorare fateor, qua elabantur, qui azymum panem vocant, atque hostiolas, non nisi externis quibusdam adfectionibus attributisque ab alio azymo distinctas panis voce designari

l) vide αἰτιάματα τῆς λατινικῆς ἐκκλησίας *Num. VIIII.* in COTELERII *Monum. Eccl. Gr. Tom. III. p. 496.*

m) SIMONIS GEDICCI wohlgegründeter Bericht von Bildern und Altären *Part. VI.* et kurtze Wiederlegung des *Sacramenti*rischen Anhalt-Zerbstischen Buchs *Num. VII. sequ.*

posse

ıſſe, inconſiderate in dubium vocant. ɿod idem iampridem viri magni animi, ⅄TTHIAS HOE, *n*) et GEORGIVS MY- VS *o*) Reformatis quibusdam obiece- ıt. ·Haec igitur ſi ad viuum refecen- ·; eminebit, credo, in cauſſis reliquis, r hoſtiolas multi Reformatorum in cri- ɜn atque inuidiam rapiant, et illam lo- m ſibi aliquem poſtulare, quod ſunt ab nixtione fermenti purae, et conſtabit, i me fallit opinio, ſuperiori Theolo- rum ſententiae ſua auctoritas, eſſe non- llos in eccleſia Reformata, qui panis mentati vſum, non dico, ad *eſſentiam*, l certe ad *integritatem*, concinnitatem- e myſterii praeciſe requirant, et cum IDERICO SPANHEMIO *p*) azymi con- rationem inter ritus eccleſiae ſtatu ɛruptiſſimo infeliciter natos compu- ıt.

§. IIII.

§. IIII. Reformati omnes diſceptationem de azymo parui aeſtimant.

Enim vero integrae eccleſiae, non v- ıs alteriusque, ſed plurimorum ſunt, ac blicis confeſſionibus iudicandae. In ıodis igitur et ſymbolis de communi

ı) Abgenöthigte Antwort auf ein *Calviniſch* Aus- ɿerungs-Büchlein *pag. 113.*

) *de Carolſtadio Rediuiuo Part. II. §. 197. Iam ſi mum panem ipſi vocant, qua ſtoliditate eumdem ·em eſſe negant, hoc eſt, poſita ſpecie, genus ipſum i ſtatuunt, quae eſt vera ἀῤῥωστία διανοίας.*

·) *Iudicium ſuper diſſid. Anglican. Sect. VIII. Op. n. II. pag. 1295.*

 conſilio

consilio editis non illi quidem sigillatim fermentati, sed generatim panis consecrationem laudant atque edicunt; quin de ipsis hostiolis, vt vocantur, alicubi mitius existimant. Testis est Synodus Cassellana, q) vbi Marpurgenses et Rintelenses statuerunt: *fractionem panis vsualis vtilem piumque esse ritum, adeoque in illis ecclesiis, in quibus hactenus non obtinuit, commode introduci posse, si consensus earum impetrari queat. - orbicularem tamen istum se non ita habere, ac si verus panis non esset.* Vbi, vt ipse ait FRIDERICVS SPANHEMIVS, r) non nisi fractionem vrgent, et, quando *vsualem panem* pluribus commendant, non tam ad materiam, quam ad modicam magnitudinem, externamque formam spectant; hinc nec fermentatum, nec azymum speciatim praedicant; licet hic quoque pertinaciae vestigia ISAACVS FAVSTIVS s) deprehendat. Quot autem sunt, et primi et medii et infimi ordinis scriptores eamdem doctrinam professi, qui IOANNIS CALVINI, magistri sui modestiam in hoc curriculo sequuntur? Is vero *panis*, inquit, t) *sit fermentatus, an azymus, vinum rubrum an album, nihil refert:*

q) habita a. CIↃ IↃ C LXI.

r) *Elenchus Controuers. pag.* 388.

s) *Irene Siren, siue Exercit. ad Colloqu. Cassellan. Argent.* 1663. §. *IIII. pag.* 69. *sequ.*

t) *Instit. Rel. Christ. lib. IIII. cap. XVII.* §. *XXXXIII. Op. Tom. VIIII. p.* 380.

t: haec indifferentia sunt et in ecclesiae *rtate posita.* Hic sane adeo vsque pa- genus in promiscuo esse patitur, vt de mirer, hoc ipso CALVINI loco non- llos vti, *v*) ne *Caluinum aliosque abso- e panem frumentarium communem adhi- ıdum rigide contendere* non demon- ent. Adiecit, fateor, nonnulla satis ıleata, quae deinceps adferentur, qui- s Alexandri I. legem eam in rem pro- ılgatam pungit, eamque superuaca- am fuisse, iudicat, ac superstitionis vi- m atro notat carbone, rem ipsam ta- n pro indifferente apertissime bona- e fide venditat. Neque plane alienus ab eodem temperamento THEODO- S BEZA, *x*) fidus Caluini Achates, qui *nis azymusne sit, an fermentatus, non magnopere laborandum,* pulchre ad- uit, quamuis naeuum in ecclesiis quae ymo potius, quam fermentato delectan- , alio loco inuenisse sibi videatur. *y*) ude dignioris modestiae in quaestione c diiudicanda sunt, qui sub iisdem nis militant, duces primi ordinis, HIE- NYMVS ZANCHIVS, z) ISAACVS CA-

v) vid. CONRADI DIETERICI *Instit. Catechet.* . *V. pag. 837.*
x) *Epist. Theol. XII. pag. 100.* conf. HEINRICI LLINGERI *Decad. V. Serm. VIIII. p. 132.*
y) *Quaest. et Resp. Christ. Part. II. pag. 201.*
z) *Epist. lib. I. pag. 76. in ecclesiis, quae hostiis ıntur, nihil,* ait, *deesse* ad *substantiam verae domi- ae coenae, sed eam integram manere, nihilque ibi,*

SAVBONVS, *a*) GERHARDVS IO. VOSSIVS, *b*) HERMANNVS WITSIVS, *c*) FRANCISCVS BVRMANNVS, *d*) nec vero non alii, quos nonnullos iam antea in teſtimonium citauimus, qui adeo nullo eam habent numero atque honore, vt de re tantilla tot ſaeculis decertatum fuiſſe, vehementem in modum mirentur. Et praeclara ſunt hac de concurſatione verba THOMAE SMITH: *e*) *vſum panis fermentati Graeci intemperanti zelo, ne dicam ἀλόγως vrgent, quaſi ab eccleſia Latina eiusmodi defectu in re plane leui et ἀδιαφόρῳ extraque ſacramenti eſſentiam flagitioſiſſime peccetur.* Aequum ergo eſt iudicium, quod GEORGIVS DEDEKENNVS, vir prudentiſſimus ea de cauſſa tulit: *Fatentur,* ait, *f*) *aduerſarii Caluiniani elementum panis et*

praeter fractionem panis deſiderari. - Igitur non eſſe deſerendam ſubſtantiam propter aliquot accidentia male cohaerentia, neque principalia, vt loquuntur, propter acceſſoria: neque amici corpus contemnendum propter veſtimentum non vsque adeo illi conveniens.

a) *Exercitat. in Baron. XVI. Num. XII. pag. 411.*

b) *Tract. Theol. V. Diſp. XVIIII. Theſ. VI. Tom. I. pag. 429.*

c) *Oecon. Foed. Dei lib. IIII. cap. XVII.* §. *VI. pag. 685.*

d) *Synopſ. Theol. lib. VII. cap. X. p. 365.*

e) *de ſtatu hod. eccl. Graecae pag. 121.* conf. DANIELIS CHAMIERI *Panſtrat. Catbol. lib. VI. cap. IIII. Tom. IIII. p. 151.*

f) *Conſil. et Deciſ. Tom. I. de S. Coena Sect. II. Num. XI. pag. 550.*

quidem

[q]uidem veri panis, qui alimentarius sit, ex [in]stitutione Domini ad coenam esse necessa-[ri]um, materiam et figuram panis in liberta-[te] ecclesiae relinqui, nec de eo digladiandum [es]se. Et licet doceat, Pareum ab hac sen-[te]ntia discessisse, alios tamen de fermen-[ta]ti panis necessitate tacere candide ob-[se]ruat. Iustum est CHRISTOPHORI [S]CHEIBLERI effatum, *g*) quo Reforma-[to]s et verbis et facto vsum azymi aut fer-[m]entati panis libertati arbitrioque Chri-[sti]anorum relinquere pronuntiat. Nec [pe]r negligentiam, aut fortuito accidisse [pu]tes, quod CHRISTIANVS KORTHOL-[T]VS, cum in argumentis, quibus hostio-[la]s verum panem esse Reformati quidam [ne]gant, percensendis retundendisque ex [in]stituto versaretur, *h*) hoc aduersario-[ru]m telum ne digito quidem attigit. Nec [I]. GOTTLOBIVS CARPZOVIVS, qui [nu]per hostiolas eucharisticas a Reforma-[to]rum obtrectationibus vindicauit, *i*) ad [ha]c de fermento omisso argumentum de-[sc]endit. Probe animaduerterunt viri eru-[d]itissimi, paucissimos esse, qui telum istud [ja]ciant; at longe pauciores, qui ex tam [v]ani postulatione rerum magnarum mo-[m]entum pendere, stolida adseueratione [ob]trudant.

g) *Aurifod. Theol. lib. IIII. cap. II. Sect. I. §. XIII. [p]. 785.*

h) *Disquisitio de hostiis pag. 11. sequent.*

i) Unterricht vom unverletzten Gewissen, Pred. [X]X. *pag. 580.*

§. V.

§. V.
Fermentato tamen plerique dignitatem statuunt maiorem.

§. V.

Est tamen, in quo omnes propemodum eiusdem ecclesiae ciues concinunt. Scilicet non tantum panem cibarium, sed etiam fermento temperatum in sacra coena prae altero panis genere de meliori commendant, laudibusque in caelum efferunt. Quod ex argumentis eorum pro vsu panis fermentati et communis supra descriptis, *k*) ex consuetudine plerorumque coetuum Reformatorum, *l*) et testimoniis clarissimis THEODORI BEZAE, *m*) THEODORI ZWINGERI, *n*) HIERONYMI ZANCHII, *o*) MATTHIAE MARTINII, *p*) PETRI VAN MASTRICHT, *q*) DAVIDIS PAREI, *r*) DANIELIS CHAMIERI, *s*) atque multorum eiusdem ecclesiae

k) *Part. III. cap. VI. §. I. sequent. p. 345.*
l) ibidem *cap. V. §. IIII. sequ. p. 135.*
m) *loc. cit.*
n) *Theatr. Sap. Caelest. lib. IIII. cap. XVIII. pag. 1103.*
o) *epistola cit.*
p) *Summa Sacram. pag. 228.*
q) *dicto loco.*
r) vom Brodte und Brodtbrechen *pag. 89.* Thun *reformirte* Kirchen wohl und recht, die gesäuert Brodt im Abendmahl des Herrn vielmehr, denn ungesäuertes erwehlen und einführen, als das beqvemer zum Gebrauch des Abendmahls und erbaulicher erachtet wird um vieler Ursachen willen: quas subiungit *pag. 90. sequ.*
s) *Panstrat. Catholic. lib. VI. cap. IIII. §. IIII. Tom. IIII. pag. 151.* conf. Petri RAVANELLI *Biblioth. Sacr. Tom. I. p. 288. conuenientius est vti pane*

clesiae

esiae antesignanorum, nullo negotio ad-
uitur. Neque aliter CALVINVS ipse
istimasse putandus est, licet, vtriusque
nis vsum in libertate Christianorum di-
tis verbis, quae paullo ante attulimus,
sfuerit. Non sane est de nihilo, quod,
m ab Alexandro I. loco panis fermenta-
azymi consecrationem lege sancitam,
e dixisset, e vestigio, non sine bile ac
le, subiungit: *t*) *Qua id ratione fecerit*
n video, nisi vt plebis oculos nouo specta-
o in admirationem traheret magis, quam
animos proba religione imbueret. Omnes
uro, qui vel leui aliquo pietatis studio
iguntur, annon euidenter perspiciant, et
anto praeclarius Dei gloria hic resplen-
it, et quanto adfluentior spiritualis con-
ationis suauitas ad fideles redeat, quam
stis frigidis et histrionicis nugis, quae nul-
i alium vsum adferunt, nisi vt stupentis
uli sensum fallant? atque aliquanto
st, *isthaec scilicet*, inquit, *humanae*
fidentiae procacitas est, quae se continere
uit, quin semper in Dei mysteriis ludat
lasciuiat. Censent sane et hic locum
ere illud, quod de omnibus euchari-
e ritibus etiam atque et constanter
ERONYMO ZANCHIO *v*) verba prae-

entato, vt vis nutritiua spiritualis repraesen-
.

) *Instit. Christ. Rel. loco adleg.*
) *de relig. Christ. cap. XVI. de coena Domini §.*
II. pag. 522.

eunte,

eunte, inculcant, *eos quam maxime probandos esse, qui ad simplicitatem apostolicam quam proxime accedunt.*

CAPVT IIII.
EX INSTITVTIS LVTHERANORVM.

§. *I.* *Vtriusque panis vsum in libertate Christiana omnes reponunt.*

§. I.

Lutheranarum partium qui sunt vno ore ad vnum omnes quaestionem hanc de panis sacri adhibendo genere nullius esse numeri plene confitentur ac prae se ferunt. Neque enim tanti ea res ipsis fuit, cum in eluendis rituum multorum sordibus omni studio atque opera elaborarent, vt vel in sollemni fidei professione Augustae Vindelicorum promulgata, vel in eius defensione, vel in aliis doctrinae documentis publicis de genere panis consecrandi mentionem inferrent; sed in vniversum panem, quicumque is fuerit, ad epulas omnium lautissimas esse adsumendum declararunt. *x*) Id ipsum indicio est leui apud eos iam a principio pependisse momento, vtrocumque pane ecclesia vescatur, cum nec azymum laude, nec fermento mixtum vituperatione prose-

x) vid. *Apologia Confess. August. ad Artic. X. pag. 157. Artic. Smalcald. Part. III. Art. VI. pag. 330. Vterque Catechismus Lutheri pag. 380. et 553. et cet.* Neque *Solida Declaratio* de alio, quam *vero naturali pane* verba institutionis Christi explicat, *pag. 739.*

quan-

antur. Quod multo etiam clarius elu-
: ac patet ex ipsis virorum doctissimo-
n scriptis, quibus quam modeste ea
discrepantia senserint, apud animos
nium testatum reliquerunt: a qua mo-
ratione ad haec tempora ne minima
dem ex parte defecerunt, sed hodie
oque eamdem plausu suo excipiunt.
enim et fermentatum et sine fermento
um panem mysterio Christianorum
ximo destinari posse idoneis rationibus
t euictum, et vtriusque consecratio-
n aperte collaudant. Ac vereor pro-
o, ne Augustanae confessionis Theo-
os, qui rem illam consilio et iudicio
nium commissam esse constituunt, no-
atim appellaturus, numero consen-
itium obruar. Proinde ex multis pau-
MARTINVM CHEMNICIVM, y) IO-
NEM GERHARDVM, z) AEGIDIVM
NNIVM, a) LEONHARTVM HVTTE-
I, b) HENRICVM HOEPFNERVM, c)
CHIMVM HILDEBRANDVM, d) IO.
DERICVM KOENIGIVM, e) IACO-

Exam. Concil. Trident. Part. II. pag. 189.
Loc. Theol. de S. Coena cap. VI. Tom. V. pag.
7u.
de Sacrament. cap. XIIII. Op. Tom. I. pag. 1085.
Loc. Comm. de Sacrament. Euch. Quaest. III.
'09.
Isagoge ad vsum coenae Dom. Sect. I. Art. I. cap.
g. 8.
Sacr. Publ. Vet. Eccl. pag. 111.
System. Theol. Loc. XV. pag. 380.

BVM

BVM MARTINI, *f*) IO. ADAMVM SCHERZERVM, *g*) IO. GVILIELMVM BAIERVM, *h*) IO. FRANCISCVM BVDDEVM *i*) Theologos laude mea maiores adlegare ad rei certiſſimae demonſtrationem in praeſentia ſatis habemus. Hi de vi controuerſiae noſtrae iudicaturi, cum reliquis omnibus eccleſiae Lutheranae magiſtris, perlibenter ſententiae a Theologo principe, MARTINO CHEMNICIO, in aureo illo concilii Tridentini examine latae ſubſcribunt: *panem eſſe de ſubſtantia coenae dominicae, certum eſt: an vero debeat eſſe triticeus, an fermentatus, an azymus, magna quondam contentione diſputatum fuit, collectis etiam ex ſcriptura argumentis et de grano tritici, et de die coenae dominicae; ſed eccleſia recte iudicauit, haec eſſe libera, et non de neceſſitate ſacramenti. k*)

§. II. Quod iudicium perpenditur.

§. II.

Neque poteſt non ab hominibus Symbolo Auguſtano nomen dantibus definitio illa exſpectari, quibus non hominum placita, non antiquitatis auctoritas, non grauiſſima omnium lex ſuperſtitionis, non praeiudicatae opiniones, ſed ipſa veritas

f) *Partit. Theol. Diſp. XXIII. §. LXI. ſequ.*
g) *Anti-Bellarm. Diſp. XI. Theſ. III. pag. 543.*
h) *Theol. Poſitiu. P. III. cap. XI. §. VI. p. m. 916.*
i) *Pererg. hiſt. Theol. praef. p. 19. et Inſtit. Theol. Dogmat. lib. V. cap. I. §. XIIII. p. 1156.*
k) *Part. II. p. 189.*

ſtatuen-

ıendi norma eſt, quam, tamquam ob-
ım, in diſcernendis huius generis re-
adhibent. Panem in euchariſtia eſſe
ıducandum, res ipſa ac natura myſte-
oſcit; quo autem panis genere epu-
ſalutare ſit inſtruendum, in ſcriptis
nitus conditis nusquam definitur:
ue eſt ex omni aduerſariorum turba
s quisquam, qui in codice ſacro alter-
us panis in conuiuio caeleſti conſe-
ionem lege ſancitam eſſe aut adfirmet,
, ſi quis vmquam iſtud temere adſtru-
l) illud ipſum vel veri ſimili ratione,
ndat. Itaque Lutherani ex inſtitu-
ıe pariter, atque adfectione myſterii
em capere iubent, de ſpecie quadam
dem alimenti vnice ſecuri, quam me-
in medio ponunt. Si enim azy-
tantum diuinum Domini corpus dis-
ui poſſe adſeuerarent, cum ſcriptura
oſancta de pane quocumque ſermo-
ı faciat; fermentatum illi pro pane
ı haberent, neceſſe eſſet: ſin fermen-
ı ſolum menſam Seruatoris eſſe appa-
dam decernerent; ſequeretur profe-
, vti alterum panis genus ſine fermen-
factum omnino panem eſſe infitias
ıt. At vtrumque foret abſonum, ne
ım, monſtroſum. Ecquis enim, ob-
o, vmquam adeo rerum omnium eſt
is, vt fermentum ad panis naturam
ıſtituendam neceſſario facere opine-

) vid. *Part. II. cap. VIII. §. VI. p. 202.*

tur? quod HENRICVM MVNDIVM, *m*) medicum Oxonienſem quodammodo tradidiſſe, equidem demiror. Quis eo vſque plumbeus, vt a pane coquendo fermentum plane abeſſe debere nugetur ac ſomniet? Si igitur azymus iuxta, atque fermentatus in panis numerum referatur, oportet; qua demum praefatione alterutrius vſum e ſacra coena expellendum eſſe atque amputandum oſtendes? Deinde in luce atque omnium oculis verſatur, vtrumque eſſe idoneum, quo corpus Dei praepotentis in epulo mirificentiſſimo percipiatur, quod rerum omnium eſt primum: quoue mortales de ſpirituali nutritione atque incremento, de coniunctione cum Chriſto, de amore mutuo, de integritate mentis, de fidei teſſera, de vitae ſempiternae pignore inſignite moneantur. *n*) Ex quibus prono, quod aiunt, alueo fluit, eſſe vtriusuis panis eſum in opinione ac libertate eccleſiae cuiusuis relinquendum. Cuius concluſionis vis exemplo Chriſti vel azymo vel fermentato, certe pane obuio conſecrantis neutiquam infringitur, propterea, quod in re minimi illud legis loco eſſe nequit: deinde quod nonnulla animum dubium faciunt, quo panis

m) *Comment. de aëre, eſculentis, ac pot. cap. I. §. XIII. pag. 117.*

n) GERHARDVS *loco cit.* conf. ISAACI FAVSTII *Irene Siren §. XIII. pag. 73.* et *Harmonia Euangel. Chemnitio-Lyſero-Gerhard. cap. CLXXI. Tom. II. p. 1087.*

genere

ıere Seruator optimus coenam nouiſ-
am dederit, azymone, an fermentato?
ꝫmadmodum ſuo loco expoſuimus. *o*)
ndem id exploratae atque inuictae eſt
ꞌitatis; panem, quem Chriſtus conſe-
uit, certe fuiſſe alimentum ex farina et
ıa virtute ignis humorem aeſtu abſu-
ntis coctum, *p*) ſiue admixtum fuerit
mentum, nec ne. Quam ob rem ex-
ıplo atque inſtitutione teſtatoris ſum-
illigati tenentur Chriſtiani, nutrimen-
n ex farina pariter et aqua vi caloris,
emadmodum dixi, confectum in me-
ɔria mortis Ieſu inſtauranda adhibere;
fermenti admixtio plane eſt indifferens,
ıue ab arbitrio ac definitione ciuitatis
ꝫi pendet. Bene igitur ac ſapienter L V-
ꟾ E R V S, eiusque et comites et ſectatores
rtum panis genus, ſiue azymum ſiue fer-
entatum, ab eccleſia in euchariſtiam ad-
ɔtatum eodem numero habent, quo re-
ıuos ritus ſacros, quos boni ordinis
ıuſſa ſeruant; *de talibus rebus tamen*, vt
lemtidem confeſſio Auguſtana docet,
*lmonentur homines, ne conſcientiae oneren-
ır, tamquam cultus ad ſalutem neceſſarius
ſ.* Opportune illic patres ſapientiſſimi
ıonent, *q*) *ad veram vnitatem eccleſiae
ıtis eſſe, conſentire de doctrina euangelii et*

o) *Part. II. c. VIII. §. I. p. 172. et VIIII. §. I. p. 211.*
p) MARTINI *modo adlegatus.* §. *60.* CHRISTIA-
ꟾVS KORTHOLTVS *de hoſtiis* §. *IIII. p. 3.*
q) *Artic. VII. pag. 11. et XV. p. 13.* conf. *Apolog.*
ꞌ. *155.*

administratione sacramentorum: neque necessarium iudicant, vbique similes esse traditiones humanas, seu ritus aut caerimonias ab hominibus institutas. Quam illustrem sincerae doctrinae declarationem Lutherani omnes, in hac quoque de azymo vel fermentato iudicandi moderatione, ita in oculis ferunt, suamque faciunt, vt eorum esse videam neminem, qui ab hac statuendi regula vel trans vnguem versum discedat. Cum vero nihil est adeo ab omni recti specie ac doctrinae sanioris concinnitate remotum, quin in ipso ecclesiae ambitu aut parens, aut certe approbator ei contingat; tum sane equidem non dissimulo, fuisse patrum nostrorum memoria, cum Lutheranus, nescio quis, lucem enim adspectumque fugit, qui luce indigna parit, singulari volumine demonstratum iret, *Domini coenam, non nisi in paschate, anniuersario et sollemni ritu, ab omnibus Christianis ad finem vsque mundi esse celebrandam.* In eo hic operae plurimum studiique consumit auctor, vt, quicquid in coena extrema testator sapientissimus fecit, id imitatione perpetua non modo exprimendum, sed sancte etiam, quasi lege fixum, iisdem semper ritibus et caerimoniis colendum esse peruincat. Quo posito, dum paschatis die pane non fermentato eucharistiam institutam esse credit, magna verborum iactatione reprehendit, *quod in ecclesiis nonnullis panis fermentatus loco azymi adhiberi posse statuatur:*

tur: ac paullo post, *vsum azymi necessitate mandati obseruandum, et verbis: Hoc facite comprehensum, ob exemplum Christi, atque analogiam* 1. *Cor. V. indicatam, esse retinendum* colligit. *r*) Sed quemadmodum aculeos hominis istius excussit magnus ecclesiae Lutheranae Theologus, THOMAS ITTIGIVS, eiusque iusto liberiorem declamationem disputatione *de sacra Domini coena illiusque abusibus*, Lipsiae, saeculo hoc ipso ineunte, publice proposita, accurate resoluit; ita opinio haec singularis in Lutheranos deriuari neutiquam potest, verum eius adsertor in gregem potius tenebrionum ac vitilitigatorum, quam Lutheranorum est, opinor, reiiciendus.

§. III.

§. III. Azymi quidam, alii cibarii panis in mysterio praestantiam efferunt.

Nescio igitur, qua fronte PETRVS VAN MASTRICHT, in Reformatis castris miles antesignanus, Lutheranos, quod cum Pontificiis coniunctim pro azymi necessitate decertent, in crimen vocare possit. *Pontificii*, inquit, *s*) *in gratiam suae transsubstantiationis, et Lutherani in gratiam suae consubstantiationis, quo consecrandum et consecratum commodius insigniant imagine crucifixi, et communicantium ori ingerant, non tantum panem azymum, sed etiam placentulas istas necessarias*

r) in *Commentariolo Nonneminis cap. I. V. et VI.*
s) *Theol. Theoretico-Pract. Part. II. pag.* 887.

ſtatuunt. Verum euoluantur atque atterantur, licet, quaecumque Lutheranorum volumina; nec tamen ex omni eorum numero quisquam vnus occurret, qui vel neceſſarium azymi vſum doceat, vel imaginem Chriſti in pane conſecrando inſcribendam, vel aliud eiusmodi praecipiat. Ita in ſalebras accuſator incidit, ſibique ipſe impudentiae notam inurit, dum Lutheranos, neque eorum quosdam, tametſi nec hoc fuco careret, ſed generatim ſumtos, tantis erroribus implicitos eſſe atque in eodem cum aliis luto haeſitare improbe calumniatur, teloque in alios coniecto ſuam ipſe famam fidemque peſſime vulnerat. Aequior omnino eſt rerum exiſtimator BELLARMINVS, *t*) vir ceteroquin in Proteſtantes quam maxime iniurius, qui non Reformatos modo, ſed ipſos etiam *Lutheranos non de fermenti quidem neceſſitate diſputare*, adfirmat, *qui res longe grauiores pro adiaphoris habeant, tamen et verbis et factis Graecorum conſuetudinem Latinorum conſuetudini de azymo conſecrando anteponere.* In primis vitio vertit hiſtoricis Magdeburgenſibus, quod ita perſecuti ſint Graecorum cum Latinis de azymo diſceptationem, *v*) vt ſatis manifeſto indicio Graecis palmam decernere videantur. Ea ſane ita perſpicua eſt

t) *de Sacram. Euchariſt. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. pag.* 607.

v) *Hiſt. Eccl. Cent. XI. cap. VIII. pag.* 410. *ſequ.*

veritas,

veritas, vt infirmari fallaciis nequeat, rem hanc omnem et publice et priuatim Theologos Augustanae confessionis in promiscuo censere, tametsi ritum azymo consecrandi a maioribus acceptum sede sua depellere ac migrare dubitauerint. Et tantum equidem abesse puto, vt azymi vsum in institutis nulli mutationi obnoxiis et necessariis reponant, vt fermento imbutum potius nonnulli doceant esse digniorem, qui in epulo mystico adhibeatur. Neque erit temere in Lutheranis, qui celeberrimum PFAFFIVM in quaestionem eo nomine postulet, quod scripsit: x) *panem siue azymus sit, qualis apud nos, siue fermentatus, parum referre, cum et promiscue olim eo vsi fuerint veteres Christiani: commodissimum optimumque fore, si pane vsuali sacra eucharistia celebraretur; orbicularem tamen non male retineri, ne infirmi scandalo haud necessario, licet sumto, turbentur.* Neque IOANNI GERHARDO, y) IOANNI ANDREAE SCHMIDIO, z) ac SALOMONI DEYLINGIO, a) Theologis can-

x) *Instit. Iur. Ecclesiast. lib. III. cap. IIII. §. III. pag. 161.*
y) *cit. loc.* et *Harm. adleg. pag. 1088.*
z) *Differt. de Oblatis Eucharisticis §. IIII. sequ. pag. 9.*
a) *Obseruat. Sacr. Tom. I. Obs. LII. §. XVII. pag. 244. sequ.* et *Differt. de S. Euch. origine ex ritu Iud. pasch. non repetenda §. XX. p. 23. sequ.* Non est tamen infitiandum, male habuisse ac pupugisse hanc viri summi sentiendi libertatem CAROLVM ADOL-

didiſſimis, aliisque permultis vllus ſuorum ideo moleſtus erit, quod panis fermento ſubacti conſecrationem exemplo antiquiſſimae eccleſiae et adeo apoſtolorum ipſi communiunt. Quemadmodum nec illis Auguſtanae confeſſionis Theo-

PHVM IANZENIVM, quem Celeb. DEYLINGIO ea de cauſſa conuicii notas inurendi deterior libido cepit. Etenim in *Diſſert. de paſchate Chriſti σταυρωθὲν vna cum Iudaeis comeſto, Ienae 1724.* in vulgus edita, idemtidem ad accuſationem viri grauiſſimi deſcendit, ſententiamque eius de coena Seruatoris nouiſſima ſugillat, *Part. II. §. XXXXVI. p. 58. ſeq.* Grauiter in primis fert verba DEYLINGII *Obſeru. loc. cit. p. 245. Nec abhorruit olim Latina eccleſia ab vſu panis fermentati, quem in adminiſtratione S. Euchariſtiae inde ab antiquiſſimo tempore adhibuit, vſque ad ſaeculum X. quo demum tempore, erumpente ſub Leone VIIII. et Michaële Conſtantinopolitano diſſenſione, azyma in eccleſiam Latinam coeperunt introduci.* Dignam ludibrio materiam hic ſe inueniſſe iactat, quia Leonis et Michaëlis concertatio ſaeculo XI. non X. emerſerit: quapropter virum hiſtoriae ſcientia inſtructiſſimum *erroris, praecipitantiae, atque obſcuritatis* inſimulat, §. LII. p. 72. et parum abeſt, quin nomen eius celebratiſſimum *appendici ad obſcurorum virorum epiſtolas*, cuius, credo, augendi partes ipſe ſibi obſcurorum hominum facile princeps arrogat, ſtilo procaciore inſerat. *pag. 73.* Verum ita plana eſt res, quam quae planiſſima, DEYLINGIVM neutiquam controuerſiam Leonis ac Michaëlis ſaeculo X. adſcribere, quod ex loco adlegato nemo, niſi hiſtoriae temporum rudis, coëger t; ſed *ſaeculo decimo azymorum ritum coepiſſe*, ac paullo poſt, *ſub Leone VIIII.* hoc eſt, ſaeculo XI. *diſſenſſionem erupiſſe.* Ita Ven. DEYLINGIO ad gloriam valet, quod iſtius modi homini non proba-

logis

logis inuidiam faciet quisquam, qui variis iisque firmissimis rationibus, quin immo Christi ipsius facto, neutiquam necessitatem, sed libertatem ac facultatem, aliquando etiam praestantiam azymi consecrandi tueri adlaborant. *b*) Quibus munimentis ad sustinendos frangendosque obtrectatorum nimis procacium impetus vtuntur, et, quasi saepimento, ecclesiae suae consuetudinem circumuallant. *c*)

§. IIII.

§. IIII. Interim ecclesiae morem tenendum, nec temere migrandum esse monent.

Vt vt sunt haec vniuersa, id tamen Lutherani omnes adiungunt, vt ecclesiae ritus per se nec impii, nec noxii, a maioribus traditi conseruentur. Itaque, etsi vtroque panis genere corpus Domini accipi posse fateantur, tamen pane ab admixtione fermenti illibato mensam Iesu instruunt, non quod est fermentato, communique honoratior ac dignior, sed quod

tur, qui riuulos sectatus, fonte neglecto, inconditam rerum ab instituto plane alienarum molem potius, quam commentationem congessit, ac secum ipse aliquoties pugnauit. Cui adsertioni primus adspectus vtriusque Dissertationis fidem faciet. Mihi vero in hoc obtrectatore omnium turpissimum videtur, quod nec ipsa, quam arrodit, DEYLINGII sententia ei est explorata, quando illis eumdem adnumerat, qui Christum Iudaeos agni paschalis esu anteuertisse arbitrantur, *Differt. cit. p. 58.* cum plane aliud ipsi haereat. Vide *Part. II. cap. VIIII. §. I. sub finem. p. 131.*

b) HVTTERVS *de S. Euch. loc. cit.*

c) BIRCHERODIVS *Synops. Loc. Comm. Theol. pag. 281.*

antiquitus in locum sacrum intromissus multis iam ante saeculis regnauit, atque ecclesiae redeunte doctrinae purioris splendore, prisco eumdem hospitio eiicere, non fuit visum. Est ea ecclesiae potestas, vt ex rebus iisdem mediis, nec illicitis eas, quae videntur, deligere, earum obseruationem in arbitrio Christianorum alioqui positam filiis suis commendare, concinnioris ordinis caussa edicere, quin immo aliquando iustis de caussis abdicare possit: *d*) ad cuius nutum, ne dicam, imperium singulos ecclesiae ciues agere, ordo rerum iubet. Interim nec pro cultu necessario eiusmodi ritus suis obtrudit: *e*) neque vero cuique illos temere perturbandi abrogandique potestatem facit: *f*) neque etiam ipsa, cui caerimonias medias abolere integrum est, libertate sua ad mores veteres ac ritus temere et sine probabili caussa immutandos

d) *Form. Concord. pag.* 615. et 789. *sequ.* in primis *pag.* 791.

e) *Conf. August. Art. XV. pag.* 13.

f) ibidem et *pag.* 42. Prudenter igitur ea de re IO. GOTTLOB CARPZOVIVS monet: Was der gantzen Kirche frey und ein *adiaphorum* ist, dasselbe ist nicht auch so fort einem iedweden Glied der Kirche ein *adiaphorum*. Vielmehr müssen alle Kinder der Kirche gehorsamst Folge leisten, wenn die gantze Kirche, als deren Mutter, aus weiser Uberlegung etwas öffentlich eingeführet, und angeordnet hat. vid. Unterricht vom unverletzten Gewissen, Pred. *XXVIII. pag.* 544.

abuti-

abutitur, *g*) minime omnium aduerſariis nimis pertinacibus ad exemplum Paulli ad momentum ſine graui aliqua ratione vel in leuiſſimis cedendum eſſe ducit; *h*) cum rituum eiusmodi diſſimilitudo doctrinae ac diuini cultus diuerſitatem pariat nullam. *i*) Quae ſingula ex libris Lutheranorum ſymbolicis iuxta ac ſcriptis doctorum prudentiſſimorum dilucide apparent, quorum vnum adferre MARTINVM CHEMNICIVM *k*) iuuat, qui hanc de ritibus eccleſiae licitis nec ex claſſe rerum in promiſcuo poſitarum eximendis nec tamen temerario auſu circumcidendis atque exſtirpandis mentem more ſuo, hoc eſt, apte eruditeque exponit. *Et ſane*, inquit vir plane incomparabilis, *l*) *ordinis et decori gratia etiam in externis adiaphoris non eſt cuiuis ſine eccleſiae iudicio et conſenſu permittendum, vt ex petulantia pro libidine quiduis vel omittat, vel permutet.* Deinde egregie mentem ſuam exponit: *m*) *Illi, qui retinentur, debent manere, ſicut ſunt, ritus adiaphori, vt ſcilicet non fiant laquei conſcientiarum; ſed ſine opinione ne-*

g) *Apol. Aug. Conf. ad Art. XV. pag. 214.*
h) *Form. Concord. pag. 614. ſequ. et pag. 791.*
i) iisdem in locis.
k) *Exam. Concil. Trid. Part. I. pag. 82. ſequ. et Part. II. pag. 33. ſequ.* conf. ZACHARIAE SCHILTERI *Deſignatio doctrinae de libert. Chriſt. Traditionibus et Caerimon. cap. III. §. 76. p. 27. ſequ.*
l) inibi, *pag. 33.*
m) ibidem *p. 37.*

ceſſita-

cessitatis libere seruentur: ita, vt extra casum scandali possint omitti, vel ecclesiae ordinatione et consensu mutari vel abrogari. Neque enim priuatim cuiusuis petulantiae hoc permittendum est. Namque, vt vult AVGVSTINVS, *n*) *quod neque contra fidem catholicam, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter habendum, et pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.* Nec minus vere IO. GERHARDVS: *o*) *praeter vllam vrgentem caussam cum scandalo ecclesiae rem ex se et sua natura adiaphoram eliminantes Christianam libertatem captiuant.* Hanc eamdem viam, quam in reliquis caerimoniis Lutherani ingrediuntur, vt ex arbitrio ecclesiae res indifferentes alias omittant, alias adseruent, in vsu panis sine fermento consecrandi, pleno gradu, atque indefesso studio sequuntur. Cum enim de certo panis mystici delectu mandatum adsit nullum, *p*) cum incertum, quo pane Christus coenam extremam dederit, *q*) nec omnino incredibile, Seruatorem azymo epulum hoc sanctissimum instru-

n) *Epist. CXVIII. ad Ianuar. cap. II. Op. Tom. II. p. 556.*

o) *Loc. Theol. de S. Coena cap. VII. Tom. V. p. 33.*

p) GERHARDVS *loc. cit. pag. 30. Harm. Euang. cap. CLXXI. Tom. II. pag. 1088.* CHRISTOPH. SCHEIBLERVS *Aurifod. Theol. lib. IIII. cap. II. Sect. I. §. XI. pag. 784.*

q) GVSTAVVS GEORG. ZELTNERVS *Breuiar. Controuers. cum eccl. Gr. Controuers. X. pag. 228.*

xisse,

xisse, *r*) cum fermentum panis substantiam haud immutet, *s*) cum vtraque panis species mysterio eucharistico seruiat, vtraque ad mentes Christianorum commonefaciendas probe sit adfecta, *t*) cum denique vtriusque vsui exemplo vetustatis succurratur; *v*) crustulis illis fermenti expertibus ac per tot retro saecula inueteratis porro gaudere licitum sibi esse iudicant. Neque vero iis adeo laeua mens est, vt a rerum mediarum numero eiusmodi ritum segregent, panemque sine fermenti admixtione factum vnum ita colant, vt, quibus praefermentatus in deliciis est atque amoribus, si quidem studio eius modus statuatur, vlla ratione crucem figant, atque vel leuissima obiurgatione sint molesti. *x*) Interim ab aduersariis quibuscumque, quos fere fluctus in simpulo excitare iuuat, nullo

r) vid. *Part. II. cap. VIIII. §. I. p. 211.*

s) MARTINI et GERHARDVS *loc. adduct.* conf. *Part. II. cap. VIIII. §. III. p. 237.*

t) *Harmon. Euangel. Chemnitio-Lysero-Gerb. loc. excitato.* itemque GERHARDVS *Loc. Theol. Tom. V. p. 29. sequ.*

v) Quam omni adsertione vnus ante alios BVDDEVS suffulcire est adnisus *Differt. de Symb. Eucharist. §. VIII. p. 17.* et *Praef. ad Parerga Historico-Theolog. p. 13.* cui subscribit, et vehementius, quam par est, in opinionis contrariae adsensores declamat IANZENIVS *modo cit. pag. 68.*

x) IO. ANDREAS SCHMIDIVS *de Oblatis Eucharist. §. XI. pag. 20. et 21.* IO. GERHARDVS *modo laudatus*, ac MATTHIAS HOE *Triumph. Caluinist. pag. 632.*

se

se vmquam necessitatis vinculo trahi du cique patiuntur, vt morem peruetustum medium, ac per se licitum migrent, sed suo se iure, sua libertate vti ita exoptant quemadmodum alios in eius generis ritibus sui esse similes haud aegre ferunt. Quid? quod obtrectatorum quorumdam iusto acrior obstinatio libertati ecclesiae insidias struens, IO. GERHARDO, *y*) GEORGIO DEDEKENNO, *z*) ac IO. GOTTLOBIO CARPZOVIO, *a*) testibus, eam Lutheranis prouinciam dedisse videtur, vt ne de facultate sibi permissa, hac in caussa praeter omnem rationem vlli quicquam deminuendi faciant potestatem. Tenent igitur memoria aureum illud HIPPONENSIVM PRAESVLIS dictum. *b*) *Vna in his saluberrima regula retinenda, vt, quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, vbicumque instituí videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur.* Ita non iam per caliginem apparet, Lutheranos tam longe, quam qui longissime,

y) *Loc. Theol. loc. vit. pag.* 33. conf. *Form. Concord. pag.* 793.

z) *Consil. et Decis. de S. Coena Sect. II. N. XI. Tom. I. p.* 550: *de orbiculis panibus non vsque adeo contendimus, sed de libertate Christiana, quae abrogatione non necessaria ritus antiquissimi vim patitur.*

a) Unterricht vom unverletzten Gewissen *pag.* 581.

b) AVGVSTINI *Epist. CXVIIII. cap. XVIII. Op. Tom. II. p.* 576.

giſſime, ab eorum multo pertinaciſſima ſtatuendi ratione deflectere, *qui*, vt itidem AVGVSTINVS monet, *c*) *in rebus huiusmodi, quae neque ſcripturae ſanctae auctoritate, neque vniuerſalis eccleſiae traditione, neque vitae corrigendae vtilitate, ad certum poſſunt terminum peruenire, tam litigioſas excitant quaeſtiones, vt niſi quod ipſi faciunt nihil rectum exiſtiment.* Ita de curriculo diſciplinae, quod ſemper ſibi proponunt, cuius prora eſt ac puppis, libere rebus mediis vtendi, neque illas temere abdicandi aut immutandi, ne minima quidem ex parte homines ſacris purioribus addicti decedunt. Hac mente panibus a fermento deſtitutis menſam omnium lautiſſimam apparare neutiquam detrectant: cum nulla omnino ſit vel alicuius nominis cauſſa, quam ob rem illud diuturno eccleſiae vſu iam pridem tritum panis genus cum aliqua, credo, imperitae multitudinis offenſione, vel etiam libertatis iactura, intempeſtiuo impetu abrepti de gradu atque auita dignitate depellant.

§. V.

§. V. Operis conclusio.

Perorata, quam ſuſcepimus, cauſſa, Deum, vnum rei Chriſtianae ſtatorem precamur, illuſtret gentis ſuae oculos ſa-

c) *Epiſt. CXVIII. cap. II. p. 557.* conf. HIERONYMI *epiſt. XXVIII. ad Lucinium Op. Tom. I. pag. 70.*

pientia

pientia diuina, vt ne forte, grauioribus posthabitis, leuiora sectemur, re ipsa neglecta, vmbram ac laruas persequamur, amisso nucleo, putamina teneamus. Admoueat, obsecro, faces, atque igniculos amoris integerrimi mentibus subiiciat, ne in rerum mediarum discrepantia vlli vmquam molestiam vel adeo aerumnas creemus; vt contra eodem omnes animo, vno cuncti ore, Christum, caelestem vitae panem obuiis vlnis amplexemur: eiusque mysterium deliciarum quam plenissimum nobis sit et frugi, et panis in superis sedibus capiendi signo, et amoris mutui aeternum alendi incitamento.

FINIS.



GRAE-

GRAECI THEOLOGI

DE

CHRISTO PASCHA SVVM PRAEMATVRE ATQVE IN PANE FERMENTATO CELEBRANTE

DISSERTATIO

A

THEOLOGO LATINO

CENSORIIS NOTIS DISPVNCTA ET CONFVTATA

PRIMVM

PATAVII cIↄ Iↄ cc XXX.

NVNC ITERVM

EMISSA NOVISQVE ANIMADVERSIONIBVS AVCTA.



LECTORI HVMANISSIMO

S. P. D.

IO. GOTTFRIDVS HERMANNVS.

EGo vero me exſoluo aere alieno, fideique datae memor, omnium, quantum ſciam, nouiſſimam, quae Graecos et Latinos de argumento ſupra deſcripto exercuit, diſputationem, Tibi, Lector Optime, quaſi de manu in manum trado. Adferebant annos abhinc aliquot ephemerides litterariae *a*) eius indicem, qui, dici non poteſt, quanto me diſſertationis ipſius videndae ſtimulo, vt ita loquar, perfoderit. At illa cum diu multumque maiorem in modum conquiſita nusquam occurreret; quam gratia nouitatis accenderat, cupiditas, tantum abeſt, vt rei obtinendae diffi-

a) *Bibliotheque Italique Tom. VII. p.* 273. Gelehrte Zeitungen *ad a.* 1731. *Num. XXXXIII. pag.* 379. Sammlung von Alten und Neuen Theol. Sachen Beytrag *I. ad a.* 1733. *p.* 110.

cultate sedaretur; vt contra, quod fe re fieri solet, cum, quicquid quaeritur optimum videatur, magis magisque exardesceret. Accidit tandem, quae fuit IO. ERHARDI KAPPII, eloquentiae in academia Lipf. Profeff. Ordinarii, viri doctrinae iuxta atque humanitatis laude celeberrimi, benignissima erga me voluntas, vt ad calcem propemodum delato, cum manus tamen extrema operi necdum accessisset, VIR quidam ILLVSTRIS vltra Alpes iam pridem notus opusculi expetiti exemplum transmitteret, illudque litteris humanissime scriptis iisdem in finibus perraro reperiri significaret. Neque fuit libellus adlatus exspectatione mea vilior, neque indignus, nisi forte laeva est mens, quem Tecum communicem. Est autem geminus: vnus a Theologo Graeco, SOSIMO PERASTIANO, Cephaloniensi, *b*) paucis ante annis in academia Patauina studiorum caussa commorato *c*) profectus,

b) *Bibliotheque Ital. loc. cit.*

c) In Germania eumdem litteris operam dare, scribunt conditores der Sammlung von A. und N. *adducto loco*, sed sine dubio in aliam partem acceperunt verba: welcher auf dieser Vniversitaet studiret, quae de academia Patauina in nouis litterariis

prae-

praecipua orientalium praesidia pro tuendo panis fermento imbuti vsu sacro in exemplo Christi fixa in medio collocat: alter Theologi Latini in academia Patauina, virique praeclare docti, IACOBI HYACINTHI SERRY *d*) rationum a Graeco congestarum declinationem pariter, et propulsationem ob oculos ponit. Cum igitur suae quisque artis atque instituti et actor et disputator sit optimus, cum celebris haec digladiatio quaestionem de paschate Seruatoris extremo non tantum illustret, sed semina etiam curarum quasi secundarum praebeat, non equidem vereor, ne ab re sit bellatorum vtrimque strenuorum labores in contrarias partes diductos in agmen proferre, atque acrem, neutrarumque

Lipsiensibus, et bibliotheca Italica *cit. loc.* referuntur. In quam suspicionem introitus patet, quod reliqua omnia, extra vnum hoc de Germania, ceteris, quae commentarii rerum eruditarum ex Italia perferunt, ad verbum respondent. Id saltem certum, eo tempore, quo scriptum Graeci in publicum prodiit, eius auctorem fuisse apud Patauinos versatum.

d) Quod, nisi iidem illi modo arcessiti rerum nouarum nuntii aperuissent, vel ipsa dissertationis praefatio, quasi detectis velis, monstraret, ac scriptum omne loqueretur.

partium ſtudio hebetatam aciem quo quouerſum intendere: vt, quae ſin cuiusque ſententiae vires, veritate quae in hunc etiam puluerem nos de duxit, magiſtra atque adiutrice prob perſpiciamus. Quam viam ingreſſus cum neutiquam id mihi ſumam, vt Palaemonis perſonam ferre, tantasque componere lites, meum eſſe ducam; ſpes tamen eſt, fore, vt mihi, ſi quando veritatis amore captum vltra, quam virorum tantorum fama pati videbatur, prodiiſſe putes, vel ea ipſa de cauſſa aliquis ad Tuam, Lector, beneuolentiam pateat receptus. Vale.

LECTO-

LECTORI LATINVS THEOLOGVS.

VBi primum a publico docendi munere cessatum est, venit in manus, a Viro Excellentissimo, mihique summe colendo, transmissa exercitatio Theologica: prece addita, immo verius iussu, atque mandato, vt censorium de ea iudicium ferrem. Pugnat ea in lucubratione Graecus Auctor pro aris suis, ac focis, disputatque, quantum eius in animo roboris est, atque neruorum, vt ecclesiae Graecae sententiam, de postrema Seruatoris nostri coena, tueatur ac vindicet. Nempe, vt clare distincteque dicam, e) Christum

e) Non sane haec nullo consilio, sed quasi necessitatis vinculo constrictus adiecit. Neque enim ea, quam Latinus exponit, vna est et communis Graecorum de Domino pascha vltimum obeunte opinio, quemadmodum rerum imperitis vel hic videri posset: cum praesertim in vniuerso conflictu aliam quoque esse orientalium ea de re mentem ne verbo quidem vel praetereundo innuat; sed potius §. *XXI.* reliquas orientalium statuendi regulas aut nescientis, aut dissimulantis speciem prae se ferat. Vna quidem est Graecorum regio ac meta, testatorem optimum pane fermentato mysterium apparasse, verum tria sunt, quibus eo feruntur curricula. Primum illorum, qui die XIII. Nisan, hoc est, pridie, quam lex diuina iubebat, Seruatorem pascha morte sua insigne antecepisse credunt: alterum istorum, quibus eodem die diuinitus praefinita agno coenam instruxisse, at Iudaeos sollemne hoc epulum prorogasse in crastinum, placet: eorum denique tertium, qui Dominum morte prae-

Dominum praescriptum lege Mosaica celebrandi paschatis diem anteoccupasse; diuinamque idcirco Eucharistiam in pane fermentato, non azymo consecrasse, probare nititur multis modis: scholaeque viam, stylum, et ordinem tenens, trita sociorum suorum momenta recudit, nonnulla de suo adiicit, contraria demum Latinorum Theologorum argumenta refellit, aut certe refellere studet. Dubius statim haesi, num Viri summi iussis, atque mandatis obsequerer, meamque de transmissa Graeci Theologi scriptione sententiam dicerem; quod periculosae aleae plenum opus esse sciam, huiusmodi consultationibus, districta in scriptores censoria virgula, respondere. Re tamen mature perpensa, repugnantem animum vicit tuendi honoris stimulus, propriique commodi ratio longe grauissima: quod memet ea in scriptione prae ceteris ecclesiae Latinae Theologis impugnatum viderim, atque perstrictum, immo etiam prouocatum: f) vt mea hic caussa

peditum paschate prorsus nullo vesci potuisse adseverant. Id, quod liquido ex ipsis fontibus deduximus in *Historia Concert. de azymo Part. II. cap. VIII. §. I. p. 173.* Pugnator igitur Graecus, quem contra Latinus in acie consistit, hoc loco pro prima illa opinione decertat; reliquis tamen ne leui quidem brachio repugnat, dummodo fermentati panis caussae patrocinium inde accedat *vid. §. XVIIII.*

f) In oculis omnium hic ponitur, eruditissimum SERRY esse responsionis parentem, quippe cuius *Exercitat. de Christo eiusque virgine, matre* a §. XII. ad XXX. Graecus refellit. Tangit itidem doctissimum GRAVESONIVM; at vero nihil sibi illum in

potius,

potius, quam aliena verti videatur. Quod itaque a Viro summo iussus sum, opus faciam; molliter tamen, et intra modum; ne quis repugnandi libidine potius, quam tuendae veritatis studio, hanc a me susceptam curam existimet. Quare ne quid forte virgam effugiat, si desultoria methodo, Graeci Theologi exercitationem confutauerim, totam illam et integram ad latus transscriptam, continuata serie, censoriis notis dispungam, atque refellam: g) neue morosior censendo videar, iudicii seueritate mitigata, lapsus tantum, erroresque, tametsi quandoque pinguissimos, simpliciter indicabo.

hac palaestra vindicare, vel ea, quae §. VI a Latino produntur, indicio sunt longe apertissimo

g) Id autem saxum voluit, id omni dimicatione molitur, vt, quam possit, certissime det effectum, a Christo vna cum Iudaeis aut omnibus, aut certe plerisque, quod posterius veri esse, ducit, quam simillimum §. VI. et VIII. agnum paschalem comedente, et diem legibus fixum, et azymi esum sine vlla dubitatione in coena extrema fuisse obseruatum.

DISPVTATOR GRAECVS.

§. I.

Christum celebrasse pascha die integra ante Iudaeos probatur primo. Quo die agnus paschalis immolatus est, Christus mortuus est: sed Christus die integra ante mortem suam celebrauit pascha, vt est antiqua traditio ecclesiae, et ex euangelio apparet: Ergo Christus die integra ante immolationem agni paschalis celebrauit pascha suum. Prob. mai. S. Paulus epist. 1. ad Corinth. cap. V. 7. ait, *α*) etenim pascha nostrum immolatus est Christus; *et in* Talmudico libro Sanhedrin legitur, in vespera paschatis suspenderunt Iesum. Ergo Iesus mortuus est, quando immolatus est agnus paschalis; quia illa dies vocabatur pascha, in qua immolabatur agnus paschalis.

CENSOR LATINVS.

§. I.

Primo aditu caespitat Theologus Graecus, dum Christum mortuum dicit, qua die agnus paschalis immolatus est: cum ea potius die paschalem agnum ipse comederit. Paschalis autem agni immolatio die vno naturali solebat fieri ad vesperam inclinante; eiusdem vero comestio diem alterum inchoabat, sacrum scilicet, atque festiuum, a primis vesperis initium capientem. Quod vero ex apostolo in probationem adducit, pascha nostrum immolatus est Christus, non id profecto significat, quod fingit animo,

Chri-

Christum scilicet fuisse immolatum, qua die naturali agnus paschalis typicus a Iudaeis est immolatus: inepta quippe locutio illa foret, sed id sonat vnice, Christum immolatum, nostrum esse paschalem agnum, quemadmodum typicus agnus pascha erat Iudaeorum. Pascha enim sacris in litteris aequiuocum nomen est, sollemnem perinde diem, et agnum immolari, et edi solitum sonans. Citata Talmudis auctoritas, vndecumque corrasa sit, a) nil omnino iuuat, ad Graecorum systema cohonestandum; cum nihil adfirmet aliud, quam Iesum in secunda paschatis vespera, hoc est, desinente sollemnitate paschali cruci fuisse suffixum. b) Quod certe, si ita contigit, nihil obfuit, quo minus Christus ad primas vesperas, a quibus sollemnitas sumebat exordium, paschalem agnum ex legis praescripto manducarit. Quamquam quid iuuat ex Talmude desperatae caussae praesidium quaerere; insulso illo impietatum, nugarum, fabularumque centone; quem spissis hac ipsa in parte sordere erroribus deprehendimus? Primo quidem, dum Iesum in vespera crucifixum notat, c) quem ad meridiem, hoc est ad horam quasi sextam, in crucem actum Ioannes testis oculatus adfirmat c. XVIIII. d) Secundo, dum pascha anno illo non in parasceuem, sed in Sabbatum subsequens incidisse refert: Marco in oppositum attestante parasceuem ante Sabbatum fuisse cap. XV. v. 42. e)

ANIMADVERSIONES AD §.I.

a) Cum absonum omnino ac frigidum non iniuria existimari possit, quod Graecus sententiae suae praesidium in dicto Paullino quaerat; duo equidem

dem hic monenda duxerim. Primo, non est, quo dubitemus, quin praeiudicata et sollemnia popularium suorum praesumtione armatus in campum descenderit, typo antitypum omni ex parte, etiam quod ad diem attinet, debuisse respondere, de quo agetur §. XXI. Id, credo, adeo firmum esse arbitratur, vt nec demonstratione sit sustinendum; interim hoc ipsum PAVLLI oraculum ad rem certam magis stabiliendam aduocat. Vbi quidem, quod secundo loco in considerationem cadit, aliter, opinor Graecus, atque occidentales, testimonium illud diuinum accipit, verbis Graecis inductus, licet in versione Latina vulgata pedem figere nequeat. Nimirum si minus vere, at aliqua tamen veritatis specie: Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός, eam fortasse in sententiam explicat, quasi diceret apostolus: ἐν τῷ πάσχα ἐτύθη Χριστός. Quae exponendi ratio quo insigni vitio laboret, equidem non video. Per pascha in codice sacro tempus agno immolando destinatum saepius designari satis superque patet: deinde per dictionem, τὸ πάσχα ἡμῶν, quae caput est quaestionis, tempus quoque hoc loco denotari posse, quo Christus ἐτύθη, tot exempla declarant, quibus per accusatiuum simpliciter positum tempus innuitur. vide *2. Thessal. III. 8. Io. IIII. 52. Luc. XXI. 37.* vt ne ad auctores alios non necessarios confugiam. Tum in peruulgata illa expositione id forte duriusculum, quod Christus pascha nominatur. Demus enim, quod abnui nequit, agnum paschalem Seruatoris existitisse figuram atque vmbram, Iesumque apud scriptores caelesti numine adflatos ac patres ecclesiae agni nomen tulisse; vox tamen pascha, extra vnum hunc locum in controuersia iacentem, nusquam in scriptis sanctioribus Christo tribuitur: quin immo iis etiam aqua haeret, qui a doctoribus ecclesiae paschatis nomine eum vocatum fuisse volunt. vid. ISAACI CASAVBONI *Exercit. in Baron. XVI. cap. LIII. p. 511.* Postremo verbum adiectum ἡμῶν tantum abest, vt neruos probationi huic incidat, vt contra opem adeo ferat: cum illud ipsum tempus

tam

tam salutari morte nobilitatum iure optimo sit nostrum. Quam coniecturam non eo abme adduci, quisquam putet, quasi communem dicti Paullini explanationem vel minoris habeam, vel adeo deserendam existimem; verum vt Graeci argumentationem quodammodo enodarem, eamque haud ineptam esse aliqua ex parte ostenderem. Neque hoc mea interfuisset, nisi Graecos non heri denique, aut nudius tertius, sed iam pridem eodem in portu nauigare animaduertissem. Velut est PETRVS ALEXANDRINVS, aut certe antiquissimus quidam auctor, qui in *Praefatione Chronici Paschalis edit.* DV FRESNE *et* DV CANGE Christum ipso paschatis Iudaici mactandi die exspirasse demonstraturus eodem recurrit: Πέρας οὖν, inquit, ἀπέλειφε τὸ τυπικὸν πάσχα τοῦ ἀληθινοῦ πάσχα παραγινομένου. Τὸ γὰρ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστὸς, ὡς πρόκειται καὶ διδάσκει τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς ὁ ἀπόστολος Παῦλος.

a) Habentur verba ab homine Graeco adlata in *Tractatu Sanhedrin cap. VI. pag.* 43. בערב פסח תלאוהו לישו atque aliquoties in *Talmude Babylonico* similia occurrunt. Eamdem in sententiam *Sanhedrin cap. VII. pag.* 67. *Beth Iacob pag.* 127. fit sermo de filio quodam Satdae seu Stadae et Pandirae in vesperis paschatis cruci suffixo, וכן עשו לבן סתדא בלוד ותלאוהו בערב הפסח : בן סתדא בן פנדירא הוא: quibus contumeliosis nominibus Christum designari docet IO. BVXTORFIVS *Lexic. Chald. Talm. Rabb. in voce* סטר pag. 1460. sequ. et פנדירא pag. 1755. atque exemplis ex doctoribus Iudaicis haustis tuetur.

b) Vel in triuiis ac propatulo positum est, per vesperam paschatis generatim ac tantum non semper Hebraeos eam potius, quae pascha proxime antecedit, quam illam, quae exeunte paschatis die ingruit, declarare.

c) Ne in leuissimo quidem vitio adsertio haec per se spectata, quicquid Latinus decernat, versatur. Nam minus inuita Minerua, quod aiunt, per vesperam integer dies morte Seruatoris insignis poterit intelligi, quandoquidem diem sabbato proxime supe-

superiorem ערב seu vesperam, eam, quae diem festum anteibat, ערב יום שוב ac speciatim integram lucem pascha antegressam ערב הפסח Iudaei nominabant. conf. IO. BVXTORFII *Lexicon Talm Rabb. pag. 1765. in voce* פסח. Non alucinatur proinde, qui Iesum in vespera cruci adfixum esse scribit, quacumque hora id vsu venerit, siue etiam in parasceue sabbati, quam diem Veneris seu feriam VI. Hebraeos ערובתא vocasse monstrat BVXTORFIVS *Lex. cit. p. 1650.* Dominum obiisse cum Latino credat, siue cum Graecis in parasceuen festi illud transiicit: vtriusque enim generis parasceuae dictae sunt vesperae. Ad haec, si illa vniuersa praeter omnem rationem quispiam infitias iuerit, id tamen velit, nolit, det, necesse est multos Rabbinorum vesperam stricte sic dictam ab eo temporis puncto, quo sole vltra meridianum prouecto meridies inclinare incipit, repetere ac numerare. Inde τὸ πρῶτον μέρος τῆς δείλης ὀψίας inchoabant. Confer, praeter ISAACVM CASAVBONVM *Exercit. XVI. cap. XV. p. 417.* AVGVSTI VARENII *Dissert. de agno paschali Hebr.* in *Supplemento ad Decades Mosaicas p. 440.* Cum igitur Seruator hora sexta, id est, ad nostram numerandi rationem, duodecima, qua ipsa sol vltra meridianum progressus erat, ab infelici ligno suspenderetur; quidni Iudaeus eumdem in vespera suspensum esse potuisset dicere? Quibus cum et hoc accedat, quod vox *suspendi* pro omni supplicio ad diei ferme exitum producto accipi queat, vereor equidem ne per caliginem prospiciant, qui *errorem spissum*, vt vult Latinus, in nuda hac adfirmatione quaerunt.

d) Nusquam id refert IOANNES, sed LVCAS XXIII 44. Id vero IOANNES tradit, ad horam circiter sextam Seruatorem coram tribunali constitutum diram mortis sententiam miserrime exspectasse. Interim negari nullo pacto potest, hora sexta, siue sub meridiem Iesum cruci fuisse adfixum, cum LVCAS *cit. loc.* id diserte memoret: quam horam licet MARCVS XV. 25. tertiam vocet, satis tamen apte ea horae sextae respondet, si per horam

horam tertiam quadrans diei tertius ab hora Iudaica ſexta ad tertiam durans intelligatur. vide FRIDERICI ADOLPHI LAMPII *Comment. ad Ioannem Tom. III. in hunc loc.* et SALOMONIS DEYLINGII *Obſeruat. Sacr. Tom. I. Obſeruat. XXXXVII. pag.* 205.

e) Nullum inde oriri rerum contrariarum conflictum ſtatim dilucebit.

§. II.

DISPVTATOR GRAECVS.

Chriſtus mortuus eſt in paraſceue, vt eccleſiaſtica traditio eſt, omnes confitentur, et euangeliſtae adſerunt: Sed Hebraei celebrarunt paſcha, quo die Chriſtus mortuus eſt, ſcilicet paraſceue: Chriſtus ergo anteuertit celebrationem paſchatis; quia fecit die integra ante mortem ſuam. Prob. min. S. Ioan. euang. cap. XII. 1. ſic habet: Ante ſex dies paſchae venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauerat: fecerunt autem ei coenam ibi . . . . In craſtinum autem turba multa, quae venerat ad diem feſtum (*paſchatis imminentem*) cum audiſſet, quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, et proceſſerunt obuiam ei. Ea itaque dies craſtina, qua et pullum ſibi iuſſit adduci, et Hieroſolymam triumphator ſedens ſuper pullum aſinae ingreſſus eſt, quinta ante paſcha dies erat. Illa autem quinta dies in primam feriam, dominicam nobis, inciderat, vt conſtans omnium eruditorum opinio eſt, idque ipſum adfirmat doctiſſimus P. Hyacinthus Serry Doctor

ctor Sorbonicus, in opere, cui titulus est Exer citationes historicae, criticae, polemicae, d Christo, eiusque virgine matre, exercit XXXXVIIII. Sic igitur, si quis calculum, at que supputationem rite fecerit, deprehende pascha anno illo, quo Christus Dominu mortuus est, incidisse in diem parasceues. Prob pariter min. ex S. Ioan. euang. ait enim cap. XVIIII. 14. Erat autem parasceue paschae hora quasi sexta, cet. Innuit nobis ibi dilectus discipulus horam, atque diem, qua condemnatio Christi secuta est, eumque ipsum diem, quo Christus Dominus cruci adfixus est, vocat parasceuem paschae; quam ideo parascevem paschae appellauit, quia cum festo paschatis concurrit; quemadmodum et nos Christiani dominicam paschae, seu pentecostes illam vocitare solemus, quae cum festo paschatis et pentecostes concurrit. Si autem parasceue concurrit cum festo paschatis, ergo pascha incidit in parasceuem, scilicet diem Veneris, *a*) non in feriam quintam (nobis diem Iouis) vti aduersae partis vindices volunt.

§. II.

CENSOR LATINVS.

Secundi huiusce momenti propositio minor perinde est falsa; qua dicitur Iudaeos pascha celebrasse suum, seu agnum comedisse in parasceve, qua Christus est mortuus. a) *Neque enim id probat Ioannis euangelistae contextus, a Graecis vulgo iactatus; sed id vnum euincit, naturalem paschatis diem in parasceuem illo anno incidisse;*

eidisse; b) cum inprimis festiuae diei vesperis Iudaei perinde ac Christus pascha celebrassent, agnumque comedissent. Solebant quippe Iudaei dies suos in naturales et festiuos distinguere, vti nos in ecclesiastico ritu distinguimus: naturales quidem, a media nocte incipientes, et in sequenti nocte desinentes; festiuos vero a primis vesperis initium ducentes, et in secundis finem habentes, quos in festis agendis, celebrandisque ex Dei mandato seruabant: a vespera ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Leuit. cap. XXIII. v. 32. Ioannes ergo in ea sex dierum recensione, qui a sumta apud Bethaniam coena, triumphalique in vrbem Ierosolymorum ingressu, ad paschale festum effluxere, naturales computat dies; quorum vltimus festiuitatis, sollemnitatisque titulo, pridie ad vesperas coeperat. Eodem laborant aequiuoco minoris propositionis antea negatae probationes duae subiunctae: quia ibi festiuus dies a naturali minime distinguitur, qui tamen hoc in negotio maxime distinguendus est. Do ergo naturalem paschatis diem incidisse in parasceuem, eaque parasceues die, Christum Dominum esse mortuum: Christum tamen vna cum Iudaeis agnum paschalem comedisse dico, festiuo paschae die, c) qui iam a pridianis vesperis coeperat.

ANIMADVERSIONES AD §. II.

a) Itaque in superioribus per parasceuen Veneris diem siue feriam VI. significauit: quod vbi tenueris, quid sibi velit, facili negotio, licet, diiudices.

b) In duobus cardinem caussae verti existimo. Primum qui per parasceuen denotetur dies? isne,

 qui

qui pascha praecessit, an ille, quem sabbatum excipit, an denique hic, qui vtrumque simul et sabbatum et pascha vno fortedie celebrandum est antegressus. Tum vero in caussae dictionem deposcitur, quaenam dierum computatio instituenda? vtrumne ecclesiastica, an naturalis, an artificialis, an omnes, vtrumque aut suaserit libido, aut necessitas coëgerit? Ex qua dies aestimandi discrepantia plenum dissensionis aleaeque opus enascitur. Hae sunt radices, ex quibus tot sententiarum secum pugnantium stirpes ramique succrescunt.

b) Neque hoc vllo pacto ex IOANNIS oraculo enitet, ad quamcumque etiam regulam dierum enumerationem dirigas. Planissime enim ille: ἦν παρασκευὴ τῦ πάσχα, neutiquam ἦν παρασκευὴ καὶ πάσχα. Et persuasum mihi habeo, propriam pariter ac manifestam verborum IOANNIS vim aliam Latino mentem fuisse adlaturam, nisi iam ante animum eius occupasset, altiusque insedisset opinio, non esse parasceuas, nisi sabbatorum. Quam tamen clauam magno illi Latinorum Herculi, BARONIO *Annal. ad a. 34. Tom. I. pag. 172.* haud difficulter extorsit CASAVBONVS *loc. cit. cap. XVII. pag. 372. sequent.* peregregia adscriptorum multitudine circumseptus. Conf. MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS *de Republica Ecclesiast. lib. V. cap. VI.* §. 264. *Tom. II. p. 206.*

c) Equidem demiror, eo vsque Latinum propositi tenacem ruere, vt παρασκευὴν τῦ πάσχα, hoc est, praeparationem ac peruigilium paschatis praeter omnem plane rationem transacto demum paschate illuxisse adstruat. Quod, quamuis praeposterum, pingue, ipsique adeo rerum ordini contrarium, ex eius adsertione tamen, quibuscumque eam ceromatibus obducat, plene planeque apparet. Largitur enim paschatis diem incidisse in parasceuen, eaque ipsa Christum in cruce animam efflasse, cum iam pridie mortis suae pascha vna cum Iudaeis agitasset. Nunc Seruator, IOANNE auctore, neque ipso Latino dissimulante ἐν τῇ παρασκευῇ τῦ πάσχα trucidatus est; si igitur vna cum Iudaeis coenulam pascha-

paſchatis ſollemnem veſpera proxima ſuperiore, vt pugnat Latinus, obiit; ſequitur, vt παρασκευὴν τοῦ πάσχα paſchatis die iam coepto agnoque pridie comeſo tandem ingruiſſe ſtatuat. Quod timeo ne idem ſit, atque hodiernam lucem heſterna exiſtimare antiquiorem. Sed latebras alii quaerunt, quae eſt ſententiae adoptatae vindicandae peruicacia, atque παρασκευὴν τοῦ πάσχα per diem, qui Sabbatum anteit, explanant, in quem cum eo anno dies azymis comedendis ſacer inciderit, ad diſtinctionem aliorum παρασκευῶν ſabbata praecedentium παρασκευὴν τοῦ πάσχα eum appellatum fuiſſe augurantur. Ei expoſitioni patriam ſedemque eſſe putant *Marci cap. XIIII. 42.* vbi eadem dies morte Domini celebratiſſima προσάββατον nominatur. Verum enim vero, quae tandem ſunt poſtulata, niſi haec ſunt? Quid ab omni loquendi norma magis deflectit, quam paraſceuen feſti eam dicere lucem, quae poſtridie feſti, cuius eſt peruigilium, ingruit? Paraſceuen ſabbati nemo ſane vnus proxima a ſabbato ſub veſperam coepto luce quaeſiuerit: eadem ex ratione paraſceuen paſchatis nullo vmquam modo in alterum a paſchate diem quiſquam, niſi in communem ſermonis rationem iniurius, poterit transferre. At, inquies, eumdem diem Chriſti ſupremum MARCVS fuiſſe ait προσάββατον. Haud aegre et hoc, quicquid eſt, nodi diſſoluitur, ſi per ſabbatum dies feſtos etiam declarari doctorum Hebraeorum conſenſu obſerues. Profecto paſcha in primis Hebraeos השבת dicere ſolitos eſſe docet ABARBANEL *in Leg. pag. 162.* Quibus id inſuper non inepte adieceris, quod dierum prae reliquis ſollemnium ferias praecipuas ſabbatorum nomine inſignitas fuiſſe vel ex *Io. XX. 1. et 9.* haud latenter pateat. Ad extremum, ſi horum omnium nihil eſt, quod punctum ferre poſſit, id certo colligimus: cum IOANNI et MARCO par ſit auctoritas, illi vero funeſtum Ieſu diem παρασκευὴν τοῦ πάσχα, hic προσάββατον vocet, at paraſceue non a die proximo ſuperiore, ſed ab inſequenti nomen ducat; fuerit, oportet, dies a morte

 Serua-

Seruatoris primus pascha iuxta, ac sabbatum, quod aliunde etiam discemus.

§. III.

DISPVTATOR GRAECVS.

Prob. min. Iudaei celebrare debebant pascha suum decima quarta primi mensis Nisan in secundis vesperis, et decima quinta eiusdem mensis sollemnitatem azymorum: Atqui decima quinta dies, sollemnitas nempe azymorum incidit in sabbato: Ergo decima quarta, siue pascha incidit in parasceue. Maior ex Scriptura sacra Leuit. XXIII. 5. et 6. Mense primo quarta decima die mensis ad vesperam, phase Domini est. Et quintadecima die mensis huius sollemnitas azymorum Domini est. Et Numer. XXVIII. 16. et 17. Mense autem primo, quartadecima die mensis phase Domini erit, et quinta decima die sollemnitas, cet. Minor pariter probatur ex sacra scriptura, nouo scilicet Testamento. S. Ioan. cap. XVIIII. 31. haec habet: Iudaei ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus ille dies sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura et tollerentur. Sabbatum a sacro euangelista appellatur magnus dies, scilicet sabbatum sanctius, atque celebrius, quam ceteris annis: quia nempe anno, quo Christus, Dominus cruci suspensus est, sabbatum incidit in primam diem azymorum, ad quae celebranda Iudaei vndequaque Hierosolymam confluebant. Apparet igitur ex adlato textu incidisse primam diem azymorum in sabbato: quo posito sequitur, Hebraeos

illo

illo anno mactasse atque comedisse agnum paschalem ad vesperam secundam parasceuae. Respondet doctiss. P. Hyacinthus Amat de Graveson in tractatu de vita, mysteriis, et annis Christi, dissert. XVIIII. tom. II. pag. 51. col. 1. Sabbatum ideo vocari a sancto euangelista magnum diem, quia inciderat in secundam diem azymorum, non vero in primam. Sed haec responsio falsi conuincitur. Nam si sabbatum illud in secundam azymorum incidisset, non fuisset magnus dies, ratione quia secunda dies azymorum incidit in illud; quia in secunda die azymorum opus seruile Iudaei facere poterant; quod probatur ex sacris scripturis. *a*) Exod. XII. 15. et 16. Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum . . . . Dies prima erit sancta, atque sollemnis, et dies septima eadem festiuitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis his, quae ad vescendum pertinent. Leuit. pariter XXIII. 5. 6. 7. et 8. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est, et quintadecima die mensis huius sollemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque: omne opus servile non facietis in eo. - - Dies autem septimus erit celebrior et sanctior, nullum servile opus facietis in eo. Et Num. cap. XXVIII. 16. 17. et 18. Ex quibus locis euidentissime apparet, Deum prohibuisse Iudaeos, vt nullum opus seruile facerent in prima et septima die azymorum. Cum vero prohibeat, vt nullum

opus seruile facerent in prima, et septima die azymorum, et de reliquis diebus nullam mentionem faciat, argumentum inde est, potuisse Iudaeos in ceteris diebus opus seruile facere. Si autem opus seruile facere potuerunt, non erant ergo dies sollemnes, celeberrimae et sanctae: Si non erant sollemnes, celeberrimae, et sanctae, sabbatum igitur illud a S. Ioanne magnum appellatum, non fuit magnum ratione, quia secunda dies azymorum incidit in illud sabbatum, sed quia prima dies azymorum concurrit cum sabbato illo. Sed quid plura? ex adlatis contextibus optime colligi potest, primam diem azymorum incidisse in illo sabbato magno. Nam magnus dies nihil aliud significat, nisi diem sanctum, sollemnem et celeberrimum. Sed dies sanctus, sollemnis, et celeberrimus erat prima dies azymorum, vt videtur illatis textibus: Ergo sabbatum illud fuit magnum, sanctum scilicet et sollemne, quia incidit in illud prima dies azymorum. β)

§. III.
CENSOR LATINVS.

Falsum, immo falsissimum est, anno illo sabbatum incidisse in primam azymorum diem: incidit enim in secundam. a) Idcirco autem magnum est appellatum sabbatum illud, quia eo semper vocabatur nomine paschalis hebdomadae sabbatum in quamcumque azymorum diem incideret; propterea quod ceteris omnibus anni sabbatis religiosius coleretur. Eo porro in sabbato, ex generali sabbatorum lege vetitum erat

opus

opus facere. Quamquam enim lex peculiaris paſchalis hebdomadae de ſolis diebus prima et ſeptima azymorum diſtincte loquatur, in quibus ab opere ſit abſtinendum in memoriam liberationis ab Aegyptiaca ſeruitute; aliunde tamen ſtabat ſemper ſalua et integra generalis atque antiquior ſabbatorum lex, quae quocumque in ſabbato ab opere abſtinendum edixerat, in memoriam dominicae quietis in prima mundi creatione. Vnde in ea hebdomada paſchali tribus diebus ab opere ceſſatum eſt: prima quidem et ſeptima ex peculiari huius hebdomadae lege, ſabbato vero in quamcumque ſeptiduae illius ſollemnitatis diem inciderit, ex generali ſabbatorum omnium lege. Sicque tota prolixae huius argumentationis machina corruit. b)

ANIMADVERSIONES AD §. III.

α) In adlegandis, quae ſequuntur, teſtimoniis tacitus praeterit homo Graecus ea, quae ibidem de panegyri et conuocatione ſollemni die primo atque vltimo inſtituenda praecipiuntur, quae neſcio, an ſint palmaria. Ego ſane nec pilum quidem a ſcopo aberraſſe putauerim, ſi inde etiam cauſſam depromſiſſet, cur primam iuxta et ſeptimam feriam in magnis reputauerint. Quod enim ad מקרא קדש attinet ad dignitatem diebus illis prae ceteris conciliandam, maximum habet momentum: quo de argumento legi meretur THOMAS GOODWINVS *Moſ. et Aaron pag. 535.* et IO. FRISCHMVTHVS *Diſſert. de agno paſchali §. XVII.* conf. Celeb. IO. ENGLERTI *Paſcha Ieſu Chriſti vltimum edit. Ienae 1726. Sect. I. §. 6. p. 15.*

β) Id vnum, opinor, argumentis a Graeco prolatis deeſt, quod tantummodo concinnitatem convenientiamque monſtrant, cur ſeptem dierum feſtorum primus aeque ac nouiſſimus magni appellari

possint; re autem vera eos ita vocari, scripturae testimonio declarant nullo. Pressius, nisi me fallit sententia, accessisset ad metam, si huiusmodi probationem iniisset. In feriis maioris dignitatis prima atque septima pari sunt honore, quod nec Latinus non fatetur, nec, saluis edictis diuinis a Graeco adlegatis, aliter statuere potest: nunc stilo scripturae feria vltima σκηνοπηγίας vocatur μεγάλη *Io. VII. 37* cum contra in omni oraculorum caelestium volumine nusquam aliis diebus festis idem pretium adscribatur. Inde haud inuite fluit, in dicto IOANNIS controuerso aut vltimam paschatis, aut eidem aequalem esse intelligendam. Extremae hic omnino locus esse nequit, quod per se liquet; erit proinde prima eo vocabulo expressa: vtpote quae prae reliquis יומים טובים summa religione colebatur.

a) Hoc vero erat demonstrandum, nisi per gyrum effugere, quam iusta declinatione ictum eludere forsitan mauult. Si rationis loco est voluntas, actum est de veritate, ilicet.

b) Ea vero stat, velut cautes Marpesia, donec altioribus, atque hi sunt, fluctibus obruatur. Nimirum quod omni adseueratione adfirmat Latinus, ne leuiter quidem probat, videlicet vnumquemuis azymorum diem pariter, ac primum vltimumque, si in sabbatum inciderit, magnum vocari. Quicquid enim est, quod firmamenti loco a sabbati cultu singulari depromit, id tamen eiusmodi diem festum eo nomine prae reliquis magni cognomen honoris caussa tulisse tantum abest, vt euincat, vt potius quaecumque sabbata eadem appellatione digna fuisse ostendat, quia feria honores omnes a sabbato neutiquam a se ex opinione Latini ceperit, id quod pingue. De secunda autem paschatis feria, vt putat, magnae cognomine celebrata vereor equidem, ne non melius rei suae iuerit consultum, si ad concionem publicam marium omnium eo die in templo primitiarum messis dedicandarum caussa confluentium animum ille cogitationemque retulisset. In quam sententiam lege Ven. IOACHIMI

LAN-

LANGII בצלאל *seu Mysterium Christi et Christian. Part. III. cap. IIII. p. 344.*

§. IIII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Prob. II. Primam diem azymorum incidisse in sabbato. Quando Christus, Dominus cruci adfixus est, (scilicet parasceue) non erat prima dies azymorum: Ergo prima dies azymorum incidit in sabbatum. Consecutionem illam nemo vnus negauerit. Probamus antecedens ex sacris litteris. Iudaei iuxta legis Mosaicae praeceptum nullum opus seruile facere poterant in prima azymorum die: Sed aliqui Iudaei in qua die Christus mortuus est, opera seruilia fecerunt: Ergo in die, qua Iesus mortuus est, non incidit prima dies azymorum. Maior patet ex libris veteris Testamenti, ex Leuit. XXIII. Exod. XII. et Num. XXVIII. superius a nobis adlatis. Minorem probamus ex noui Testamenti libris. S. Marcus narrat cap. XV. 21. quod quando Romani milites Simonem Cyrenaeum angariauerunt, vt tolleret crucem Iesu, veniebat ille de agro suo: si autem dies, qua Christus, Dominus mortuus est, esset prima azymorum, ille non iuisset in agro suo ad elaborandum, sed stare debuisset in ciuitate ad celebrandam primam diem azymorum; quae adeo sollemnis, et celeberrima apud Iudaeos erat; et ad quam celebrandam Iudaei, qui longe aberant, in Hierosolymam vndequaque confluebant. Narrat idem sanctus euangelista eodem cap. v. 46. Iosephum

ab Arimathaea mercatum fuiſſe ſindonem, qua corpus Chriſti, Domini iam mortuum inuoluit, et poſtea in monumento repoſuit. Certe ſi ſindonem emens, opus ſeruile Ioſeph non fecit, vt vult laudatus Graueſon in diſſert. citata pag. 52. col. 1. quia opus pietatis, et caritatis facere volebat, fecit tamen opus ſeruile, qui vendidit Ioſepho ſindonem, quia die *prima* azymorum Iudaei non poterant aperire tabernas, ſiue officinas, vendere, aut quicquam aliud ſeruile opus facere, praeter ea, quae ad veſcendum pertinebant. Reſpondet P. Graveſon pag. 52. col. 1. quod ſpectat Simonem Cyrenaeum, parum ponderis habere, quia incertum omnino eſt, vtrum Iudaeus an gentilis fuerit. Verum fallitur doctiſſimus vir. Eſt enim eruditorum quaſi omnium conſtans opinio, Simonem illum Cyrenaeum Iudaeum fuiſſe, nemoque vnus eſt, qui hoc neget, *a)* praeter tres hoſce S. S. patres, Hilarium ſcilicet, Auguſtinum et Leonem. Sed ex *ipſo* euangelio aliquo pacto colligi poteſt, Simonem illum Cyrenaeum Iudaeum fuiſſe. *Nam* S. Marcus cap. XV. 21. ait Simonem illum fuiſſe patrem Alexandri, et Rufi, ita vt ſignificet illum fuiſſe Iudaeum omnibus notum atque perſpectum.

§. IIII.

CENSOR LATINVS.

Temere prorſus infitiatur feruidus diſputator, diem, qua Chriſtus cruci ſuffixus eſt, azymorum

morum fuisse primam. Erat enim vero ipsissima dies prima ad exitum vergens. Quae autem illic negati adfertur ratio (quia scilicet Iudaei etiam religiosi, Christoque adiuncti varia tunc fecere opera, quae prima azymorum die fieri vetabantur) futilis est. Quid enim vetat, Simonem Cyrenaeum (quamquam eum Iudaeum fuisse ponamus, quod tamen plerique patrum infitiantur) breue de villa sua iter fecisse die illo; a) et breue vnius milliarii iter agere in sabbato, nequaquam Iudaei prohiberentur? Quid etiam vetat Iosephum ab Arimathaea sindonem religionis causa, et ad pietatis officium secreto saltem b) occlusisque tabernis emisse, hac ipsa prima azymorum die; cum et primitiarum manipulum metere liceret in sabbato, dum id necessitas postulabat: c) Sunt enim iis in casibus eiusmodi opera non seruilia, sed religiosa, qualia etiam longe multa in sabbatis agebantur in templo. d) Porro strictioris religionis fuisse quietem in sabbatis, quam in ipsa sollemnitate paschali, primaque azymorum die, liquet ex c. XII. Exodi v. 16. e) Certe quod ex emta sindone momentum repetunt Graeci, vt primam tunc azymorum diem, in qua seruile opus fieri vetabatur, nondum fuisse demonstrent, in ipsos facile retorqueri potest. Cum ex eorum quoque systemate consequens sit, in sollemnitate paschali, in qua seruile opus nequibat fieri, emtam esse sindonem illam. Etsi enim nondum, vt illi quidem autumant, azymorum sollemnitas coepisset, dum sindon est emta, paschalis tamen sollemnitas, vt simpliciter paschalis est, coepta erat. Haec enim non ab agni, et azymorum manducatione

catione sumebat exordium, vti sollemnitas azymorum, sole nimirum occiduo; sed ab agni immolatione, quae aliquanto antea, hora scilicet post meridiem tertia, soleque ad occasum aliquantulum inclinante petebat initium; f) qua vtique hora, vtpote nona diei, Christus emiserat spiritum. Quare quocumque res cadat, in sollemnitate paschali, dum seruile opus nequibat fieri, sindonem emtam Graeci concedere compelluntur. g)

ANIMADVERSIONES AD §. IIII.

a) Quae de Simone adstruit Graecus, in lubrico sunt posita, cum eumdem moribus Iudaicis obstrictum fuisse admodum ambiguum sit, deinde ex agro, quorsum sabbati etiam tempore iter facere per leges licebat, redeuntem non sua sponte, sed a milite Romano, nulla aequi ac iusti ratione habita coactum esse certo constet. Id potius addendum erat, quod Graecum neglexisse video, die primo paschatis in iudicium capitis reum tanto cum tumultu agere, caussam publice dicere, sententiam capitalem non sine summo ciuitatis omnis strepitu ipsos Hebraeorum sacerdotes ferre, atque alia eius generis bene multa, quae omnia Latini opinionem consequantur, necesse est, saluis legibus nec potuisse, nec voluisse, cum magis etiam collapsis moribus a caussarum dictione per id tempus abstinerent, *Act. XII. 13.* Cui adsertioni occurrant, licet, Latini; saepius Iudaeos sub dies festos manus in Iesum iniicere tentasse; in procliui tamen est responsio, primum istud eos tantum habuisse in animo, neutiquam perfecisse, tum vero caeco impetu per furorem, nequaquam publica magistratuum auctoritate, iustisque cognitoribus, quemadmodum hoc loco, fuisse ausos: postremo paucos illud, hoc autem omnes omnium ordinum Iudaeos egisse. vide AVGVSTINI CALMETI *Dissertation sur la derniere Paque pag. 11.*

a) Pru-

a) Prudenter haec Latinus in ambiguis atque incertis ponit, quemadmodum aliquanto post aperiemus.

b) Sensu ac voluptate sua tractus coniecturam potius, quam rationem Latinus sequitur. Multa enim obstant, quominus Iosephus illa secreto coëmisse possit existimari. Principio, quod in scriptura sanctissima ne vola quidem ei suspicioni relinquitur, quae tamen alioqui, si quid amoris in Christum caussa clanculum homines admisere, disertis verbis explicat: velut *Io. III. 2. et XVIIII. 39.* Cumque adeo hunc eumdem Iosephum IOANNES ibidem *commate 38.* in occultis Christi discipulis ac sectatoribus numeret; quidni emtionem etiam clandestinam absconditamque diceret, si talis exstitisset. Deinde ἀγοράζειν publicum magis, quam abditum mercaturae genus vi vocis germana innuere videtur. Tandem, quod est primo gradu collocandum, emtionem illam latentius atque in operto fuisse factam vel inde negari infirmarique poterit, quod supplicii mortisque Domini scriptores in enarrandis omnibus, quae ibidem exponunt, hanc sibi metam maxime praefixerunt, vti summam vel in morte Seruatoris animorum mutationem in lucem educerent, atque obscuros etiam metuque perculsos diuini magistri amicos, quasi e latebris prodiisse, et in rebus aduersis, in tanta spei perturbatione, in incredibili Iesu contemtu, in communi sociorum eius discrimine, praeter omnem ingenii humani indolem, amoris ad id tempus abditi atque in cineribus latentis publica documenta edidisse, immortali commemoratione ad omnem posteritatem transmitterent. Eo consilio IOANNES *loc. cit.* quantum Nicodemus ac Iosephus ab illis, qui antea timore correpti tacito amore Dominum prosequebantur, mutati fuerint, haud obscure significavit. Nunc vero, quod Euangelistae sempiterna memoria dignum iudicant, iidem illi vel ex morte Christi vitam spiritumque haurire: nunc abiecto periculorum atque infamiae metu. Pilatum de ca-

dauere

dauere hominis ex opinione Iudaeorum exſecran
atque vnius omnium longe perditiſſimi orare : ill
in luce oculisque omnium a cruce abſtractum , v
guentisque perfuſum, et ſepulcro viuis ac ſoli
ſaxis exſtructo illarum condere, ſuum hoc eſſe p
lam profeſſi. Itaque non eſt, quod res funeri c
rando neceſſarias homines illos ſecreto mercar
fuiſſe ſuſpiceris: quod ſi diei feſti cauſſa clam factu
dicas, erit antea demonſtrandum paſcha eo ia
tempore fuiſſe inchoatum. Via expeditiore et qua
compendiaria euaſiſſet doctiſſimus SERRY, ſi ve
bis *Marci XV. 46.* ἀγοράσας σινδόνα nihil de cert
diei puncto tradi, ſed id tantum declarari, dixiſſe
linteum illud nouum ac non ita multo ante compa
ratum fuiſſe. Propterea, credo, ſindonem, quam
recens emtam ait MARCVS, vocat MATTHAEVS
cap. XXVII. 59. καθαρὰν, nulla emtionis mentione
iniecta, minimeque vllus ſcriptorum caeleſtium ho-
ram ei facto adſignat. Quid igitur? ſi pridie mor-
tis Ieſu, vel etiam aliquot diebus ante ſindonem a
Ioſepho adquiſitam, et Seruatori in locum deferen-
do deſtinatum credas? Ita MATTHAEVS XXVII,
60. ἔθηκεν, inquit, ἐν μνημείῳ, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ,
ut nemo vnus omnium erit, qui iſto demum die
monumentum exciſum eſſe audacius dicat? an
ſtultius adfirmet? Quid denique? ſi funeſtum hoc
Chriſti veſtimentum Domino necdum in vincula
rapto ſingulari Dei numine et conſilio coëmtum ſta-
tuas, quemadmodum mulier illa vnguentis eum
perlinebat, quaſi fati inſtantis conſcia et praenun-
tia? Ex quibus id ſaltem, ſpero, enitebit, de certo
temporis articulo, quo ſindonem comparauerit Io-
ſephus, nihil certi poſſe conſtitui.

c) Neceſſitatem hic videas plane nullam. Qui
ab omni veſtitus genere denudatus in conſpectu po-
puli vniuerſi in crucem latus, tot horis, hominum
oculis fuerat expoſitus, Iudaeorum iudicio atque
adeo illius eiusdem, qui ſindonem vendidiſſet, ſen-
tentia, poterat apparatu hoc funebri carere: neque
a mandato Dei de manipulo primitiarum ad alia,
quae ſibi ipſe homo imponit, concludendum.

d) Iu-

d) Iudicium decretorium de religione facti huius non erat penes Iosephum, sed penes Iudaeos, qui nescio, an aequo animo tulerint hominem inuisum ac sceleſtum ſanctiſſimo paſchatis die ſepelire, eiusque cauſſa leges, quibus ſabbata eiusmodi circumſcripta erant transſilire, cum vſque adeo earum eſſent obſeruantes, vix vt operibus caritatis ac neceſſitatis locum darent. *Io. V. 16.*

e) Haec generatim dicta labant. Si enim pauca, quae ciborum praeparationem attinent remoueris, magis ſollemnem fuiſſe primam atque vltimam paſchatis diem, euidenter ex locis Moſaicis adlegatis perſpicies. Proinde ab Hebraeis ipſa dies paſchatis prima השבת dicebatur. vid. ABARBANEL *loc. cit.* Deinde non ignotum eſt Rabbinorum illud: כל מלאכה האסורה לעשות בשבת אסורה לעשות ביום טוב: Corruunt denique omnia, ſi paſchatis lucem primam in ſabbatum eodem anno incidiſſe animum aduertamus. Ceterum quod ex *Tobia II. 1. ſequ.* quidam adferunt, nullum eſt, vel adeo his ipſis, qui eo vtuntur, contrarium.

f) בין הערבים de quo vide §. XXI adnot.

g) Caue, putes ferire arcum, quem ſine neruis intendi haud difficulter cognoſces. Quamuis recte adfirmet ab hora nona paſchati immolando ſacra nihil operis faciendum, quandoquidem patet, quod Hebraei idemtidem inculcant: העשה מלאכה בערבי שבתות וימים טובים מן המנחה ולמעלה אינו ראה סימן ברכה לעולם: quo de argumento conſulatur *Diſſertatio* VARENII *de agno paſchali cit. loc. pag. 453.* id tamen nihil ad Graecum: quia MARCVM emtioni horam adſcribere pernegamus. Atque ea ratione nihil impedit, quin paullo ante horam nonam, ſiue a meridie tertiam, qua demum, vt ipſe Latinus decernit, ſollemnitas agni mactandi coepit, Ioſephus, Chriſto iam inde ab hora ſexta, qua meridies ingruebat, cruci adfixo, omnique vitae ſpe exſtincta, ſindonem mercari potuerit. Redi, niſi incommodum eſt, ad ea, quae paullo ante ad litteram *b*) monuimus.

§. V.

§. V.

DISPVTATOR GRAECVS.

Festiuitas pentecostes illo anno, quo Christus, Dominus pro peccatis nostris adfixus est incidit in diem dominicam, quod apparet ex antiqua traditione, quae viget in ecclesia, praecipue vero Romana; et hanc traditionem acerrime eminentissimus annalium parens Baronius, et Cardinalis Bellarminus defendunt, quam nemo vnus aduersae partis vindex negare aut debet, aut potest. Ergo prima dies azymorum incidit in sabbatum. Consequens probatur. Iudaei ex communi Iudaicae legis praecepto, vt videre est in scripturis sacris et in Iosepho Lib. II. antiquitatum Iudaic. cap. X. Festiuitatem pentecostes celebrare debebant a secundo die azymorum, enumeratis septem hebdomadibus plenis, id est quinquaginta diebus, qua supputatione facta, perspicuum erit, primam diem azymorum in sabbatum incidisse. *a*) Respondent eminentissimi Cardinales Baronius, et Bellarminus primam diem azymorum incidisse in parasceuem, non in sabbatum, etsi festiuitas pentecostes inciderit in dominicam; quia, aiunt, quando secunda dies azymorum concurrebat cum sabbato; Iudaei enumerabant quinquaginta dies, non a secunda die azymorum, sed a tertia. Ad quod comprobandum nullum textum sacrarum litterarum, aut alicuius scriptoris adferunt, sed rationem sequentem; quia nempe, cum secunda azymorum die iuxta legis Mosaicae praeceptum, manipulum demetere, atque

D. O. M.

D. O. M. offerre deberent, non illis fas erat die ſabbati manipulum illum demetere; ideoque cum ſecunda dies azymorum concurrebat cum ſabbato, in ſequentem diem miſſionem falcis in ſegetes transferebant, a qua die quinquaginta dies enumerare incipiebant. Vnde autem hoc habeant purpurati illi minime nobis aperiunt, nullum textum ſacrarum ſcripturarum habent, vnde id probent, ſed nituntur lege vniuerſali ſabbati. Aiunt enim, Iudaei in die ſabbati nullum opus ſeruile, etiam quod ad cibos vitae neceſſarios pertinebat, facere poterant, ex praecepto legis Moſaicae, vt ſacris in paginis videtur: Sed demetere manipulum eſt opus ſeruile; ergo demetere manipulum die ſabbati prohibentur Iudaei. Verum (dicam ſeruato honore, qui tantis viris debetur) multum falluntur. Do enim libens, et concedo legem Moſaicam prohibere Iudaeis quaecumque opera ſeruilia, etiam quae ad cibos pertinent, in die ſabbati facere: At nego prohibere in die ſabbati manipulum demetere, quia non eſt opus ſeruile: β) atqui ille manipulus ad cultum diuinum pertinet, Deo quippe O. M. offerri debebat: Ergo non erat opus ſeruile. Ratio igitur illa eminentiſſimorum Cardinalium merum effugium eſt, et inane inuentum, nihil omnino concludens. Cumque nullus textus inueniri poſſit ſacris in ſcripturis, quo probetur, Iudaeos non potuiſſe die ſabbati demetere manipulum, et D. O. M. offerre, neminem vnum perſuadere poteſt ſpecioſum illud inuentum.

§. V.
CENSOR LATINVS.

Tota haec prolixa argumentatio labili nititur fundamento; quod nempe quo anno mortuus est Christus, in diem dominicam inciderit pentecoste. Est enim id longe falsissimum, commentitiaque omnino est, iactata a nonnullis eadem traditio ecclesiastica, ex actibus apostolicis cap. II. falsi conuicta. Liquet enim vero Spiritum S. ipsa sabbati die, hora tertia Iudaica in apostolos effusum esse: qua videlicet nondum consummato sabbatico sacrificio, Iudaeis illicitum erat cibum sumere. a) Vnde Petrus se suosque condiscipulos ab impacta epoti plus aequo vini calumnia vindicans, Iudaeis conuicianti bus ait: Non sicut vos aestimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia; qua nimirum ne quidem cibum sumere licebat in sabbatis, donec ad horam circiter sextam sollemne sacrificium consummatum esset. De quo lege Flauium Iosephum in vita sua. Nulla ergo in ecclesia traditio fuit vmquam, qua constet, pentecostem, quo anno mortuus est Christus, in dominicam, seu in diem a sabbato alteram incidisse. Ex quo tamen publica ecclesiae lege sancitum est, vt pascha in memoriam dominicae resurrectionis, non luna 14. Martii Iudaico ritu celebraretur, sed die ipsa dominica sequente, qua resurrectio peracta fuit; eadem quoque lege, et necessaria consecutione statutum est, vt Christiana pentecoste, in memoriam illapsus Spiritus S. septima post die dominica ageretur. Quod vnum ex primaeua traditione descendit; non quod a Baronio, et

Bellar-

Bellarmino iactatur, Spiritum S. die ipsa dominica missum esse, qui verius sabbato missus est, in quod anno illo Iudaica pentecoste inciderat. *b)

ANIMADVERSIONES AD §. V.

α) Non est quidem nullius haec ipsa saeculis antiquioribus neglecta vel ignorata argumentatio, quam occidentalibus potius, quam ciuibus suis acceptam fert, et quae in eam sententiam dici possunt oratione enodata expromserunt AVGVSTINVS CALMETVS *Differt. cit. pag. 62. sequ.* et LAMY *lettre sur la Paque pag. 66.* verum enim vero, licet rationibus Latini, quibus pentecosten in sabbato illuxisse probat, sit multo superior firmiorque, tamen variis vndique difficultatibus premitur, nec leuibus dubitationibus locum relinquit. Interim in ambiguis rebus, si ad liquidum veritas explorari nequit, illud, quod a vero quam proxime abest, ambabus tenemus. Conf. SAM. BOCHARTI *Hierozoicon Part. I. lib. II. cap. L. p. 570.* IO. LVNDII Jüdische Heiligthümer *lib. V. cap. XI. §. XX. p. 981.*

β) Habet ea in re consentientem Latinum §. IIII.

α) Neque vero haec sunt notae melioris. Vix profecto est ad fidem faciendam pronum, si ipso sabbati ieiunio coepto haec accidissent, homines Iudaeorum ritibus imbutos, eorumque optime gnaros, quibuscum PETRVS maculam istam suspicionis absterfurus potissimum agit, *Act. II. 14. 22. et 36.* gentem Christianam institutorum Mosis ad id tempus et vltra longe studiosissimam in ebrietatis crimen fuisse vocaturos. Immo vero eadem illa hominum maleuolorum suspicio coniecturae locum aperit, Spiritus Sanctissimi effusionem mirificam altero a pentecoste die vsu venisse ac proinde suspicionem tanti miraculi spectatoribus subortam, homines illos lautius forte nocte pentecostes proxima superiore curasse cutem, nimisque indulsisse genio, quod aliquando, sollemnibus sacris transactis, Iudaeis facere moris erat, neque etiamnum crapulam exhalasse,

lasse, hinc bacchantibus oestroque percitis esse quam simillimos. Quibus maledicentissimis vocibus PETRVS communi sociorum nomine occurrit: nec potatorum maximorum esse, hora diei tertia, hoc est, matutina nona vino vinci, cum a prandio et coena fere potu inundentur largiore.

b) Mouet, sed nil promouet. Nimirum deferuntur et hae commentationes ab antiquitatis testimoniis, variique ex aduerso necti possunt nodi, qui aegre dissoluantur.

§. VI.

DISPVTATOR GRAECVS.

Christus mortuus est illa die, qua Iudaei celebrare debebant pascha suum: sed Christus die integra ante mortem suam celebrauit pascha, Christus igitur die integra ante Iudaeos celebrauit pascha suum. Minor apud omnes in confesso est: Maior probatur. S. Ioannes euangelista cap. XVIII. 28. ait: Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane, et ipsi non introierunt in praetorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Quibus verbis sacer euangelista aperte innuit, Iudaeos die qua Christus crucifixus est, agnum paschalem non comedisse. a) Cum igitur Iudaei ex legis praescripto agnum paschalem manducare deberent ad vesperam decimae quartae diei, aperte colligitur ex adlato textu, Christum mortuum esse die decimaquarta, qua scilicet Iudaei pascha suum celebrare debebant. Respondet P. Graueson pag. L. col. I. per pascha non solum intelligi agnum paschalem, sed etiam alias victimas, vitulos scilicet, arietes, hircos, boues et tauros,

ros, quae erant pacifica sacrificia, per septem dies azymorum immolari et comedi solita. Ad quod comprobandum adfert cap. XXX. lib. II. Paralip. et Deut. cap. XVI. Ait itaque S. Ioannem per pascha non intelligere agnum paschalem decimaquarta die mensis, Nisan immolari, et comedi solitum, sed alias victimas, nempe vitulos, arietes, cet. quos Iudaei ceteris azymorum diebus mactare, et manducare solebant. Sed praetermittens quamcumque aliam solutionem, ex ipsismet verbis P. Graueson responsionem hanc falsi conuincere volo. Ait enim pascha manducare sacris in litteris semper de agno paschali intelligi. Adferam illius verba posita in XVIIII. dissert. pag. 42. col. 2. pascha siquidem manducare, semper de agno paschali in scripturis sacris intelligitur. (β) Si autem pascha manducare semper de agno paschali in scripturis sacris intelligitur, pariter in loco praecitato Ioannis pascha manducare de agno paschali intelligi debet: Quo semel posito nemo non videt, necessario consequi, Christum mortuum esse, quo die Iudaei agnum paschalem mactare atque manducare debebant, et consequenter anteuertisse celebrationem paschatis, quandoquidem die integra ante mortem suam pascha celebrauit, vt sacri Euangelistae adfirmant, et apud omnes in confesso est.

§. VI.

CENSOR LATINVS.

Aberrat toto ostio, qui Iudaeos, qua die crucifixus est Christus, pascha suum debuisse

 mandu-

manducare dicit, paschalem scilicet agnum. Quod autem ex Ioanne, euangelista subiicitur, eos non introiisse in praetorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha, non de agno paschali, qui pascha antonomastice dicebatur, sed de aliis animantibus immolatis, quibus toto illo septiduo mundi vescebantur, est intelligendum. Haec enim omnia paschatis nomine vocantur interdum sacris in litteris, maxime vero Deut cap. XVI. v. 2. Immolabis phase, (hoc est pascha) Domino Deo tuo de ouibus, et bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Iuxta vero septuaginta interpretes, immolabis pascha Domino Deo tuo, oues, et boues in loco, cet. vbi oues perinde, ac boues in sollemnitate illa magna immolatos, pascha generatim vocari nemo non videt. a) Sicubi vero scripsit Grauesonius, pascha manducare semper de agno paschali in scripturis sacris intelligi (quod tamen in ea, quae mihi in manibus est editione, pagina notata non legitur) aut de paschate antonomastice dicto scripsit ille; aut si de quocumque paschate scriptum est, a me non recipitur, quod falsi apertissime conuincatur. Cum enim oues, et boues ad esum eo septiduo immolari solitos, pascha vocitent sacrae litterae Deut. XVI. quidni pascha manducari perinde dicant, dum boues illi, et oues eo septiduo manducari dicunt? Vna quippe eademque vtrobique est loquendi formula. b) Age tamen sit ita, vt volunt, et de ipso agno paschali locutus sit dilectus apostolus, dum ait: Iudaeos non introiisse in praetorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha; indeque colligi certo possit,

ſit, Iudaeos qua die Chriſtum ad Pilatum traxerunt, paſchalem agnum manducaturos fuiſſe ad veſperam, non illico conſequens eſſet, Chriſtum Dominum, qui pridianis veſperis manducauerat, ſtatutum Moſaica lege diem anteoccupaſſe; ſed contra potius Iudaeos eorumque maxime ſacerdotes paſchatis manducationem violata lege Moſaica in diem alteram diſtuliſſe. Probabilis quippe eſt S. Ioannis Chryſoſtomi et Theophylacti ſententia, Iudaeorum ſacerdotes in negotio mortis Chriſti vrgendo occupatos paſcha legitima die non celebraſſe, c) ſed in ſequentem diem diſtuliſſe, ac legem palam violaſſe, quam Chriſtus et populus accurate ſeruarunt. d) Liquido patet eos cupiditate interficiendi Chriſtum praevaricatos fuiſſe, et alia die paſcha comediſſe. Non enim Chriſtus tempus paſchale transgreſſus eſt, ſed illi audaciſſimi homines, et mille transgredientes legis praecepta. Quoniam ita inflammati erant, et ſaepe conati capere ipſum, nihil capere potuerunt, ex inſperato nacti quod cupiebant, tempus paſchae tranſpoſuerunt, vt ardentes caedis animos explerent. Chryſoſtomi verba ſunt homil. LXXXII. in Ioannem, quae ſuo quoque firmauit calculo Theophylactus in cap. XVIII. eiusdem euangeliſtae.

ANIMADVERSIONES AD §. VI.

a) Praecipuum rei momentum ab eo pendet, vtrum Ioannes per paſcha agnum paſchalem, an victimas ſingulis paſchatis diebus offerendas intelligat? Agnum paſchalem deſignari putat Graecus, contra Latinus, vt ſcenae ſuae ſeruiat, victimas paſchales ſignificari autumat. Pro Graeco militat communis loquendi modus, pro Latino vix vnus alter-

alterue locus, quibus recte secusne vtatur, stati monebimus.

β) Bona fide GRAVESONIVS adlegatur, cui testimonium licet pagina citata reperire Latinu haud potuerit, habetur tamen ea ipsa *pag. 42.* qu cum numero illud etiam, quod Venetiis 1733. pro diit, exemplum conspirat. Cum autem auctoritat GRAVESONII res minus conficiatur, neque ali in eius verba iurent, velut hic ipse SERRY ad eiu rationes adiungere suas dubitat; aliis sine vllo du bio armis opus erat, quae multa oraculum Ioan neum in disceptationem vocatum administrat. Cu iusmodi sunt: in omni codice diuino vestigium in dagari posse nullum, vnde vel odorari liceat, victimas paschales singulis paschatis diebus mactandas dici ipsum pascha, quandoquidem ea etiam, quae ex *Deut. XVI. 2.* et *2. Paral. XXX. 15.* et *XXXV. 8.* arcessuntur, Latino e regione sint aduersa. Multa contra oculis obiici, quae pascha ab aliis sacrificiis quotidianis et paschalibus probe seiungant. Deinde eius generis victimas paschatis tempore consecrandas igne potius comburendas fuisse, quam comedendas, *Num. XXVIIII. 19. sequ.* Accedit novissime, non adeo necessariam exstitisse Iudaeorum prouisionem, vt ne forsitan polluerentur, cum sub paschatis tempus quotidie haec talia sacrificia offerre possent. Conferantur in vtramque partem MAIMONIDIS הלכות קרבן פסח *Tract. I. cap. VI. §. I. sequ.* MARCVS ANT. DE DOMINIS *de Republ. Eccl. lib. V. cap. VI. §. 264. Tom. II. p. 206.* ISAACI CASAVBONI *Exercit. XVI. cap. XVI. pag. 418.* ADR. RELANDI *Antiqu. Hebr. p. 408.* IO. LIGHTFOOTI *Hor. Hebr. ad h. loc. pag. 670.* et SAM. BOCHARTI *Hieroz. P. I. lib. II. cap. L. p. 565. sequ.*

α) Ego vero aut prorsus caecutio, aut, quod lucere putat Latinus, nusquam apparet, et quasi ignis lambens, propius accedentibus spectatoribus, euanescit. Scilicet verba *Deut. XVI. 2.* ex interprete antiquo Latinis trito adlata plane differunt ab Hebraico: וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר

ad

ad quae pressius accedunt *Graeci LXX.* καὶ θύσεις τὸ πάσχα κυρίῳ τῷ θεῷ σου, πρόβατα καὶ βόας, quos Latinus quoque produxit. In quam eamdem sententiam verba illa reddiderunt interpretes Galli, Belgae ac nostrates. Ex iis penitus perlustratis non sane planum fit, pascha ipsum vocari pecudes et armenta, vt in animum inducit credere Latinus, verum cum aliis in locis sacrificia paschalia ouibus bobusque facta semper quam apertissime ab agno discernantur; vix dubium esse autumo, quin et hic ea distinguantur, et per pascha Moses agnum sollemni ritu mactandum, per pecudes et boues victimas eodem tempore offerendas declaret, quam explicationem ingreditur interpres Chaldaeus. Postremo decidunt omnes argumentorum aduersae partis flores, si totam paschatis sollemnitatem, vt fit *2. Chron. XXXV. 8. sequ.* ac saepius, hoc etiam Deuteronomii loco denotari animaduertas: quo bene stabilito testimonium, quo mire se efferunt opinionis contrariae vindices, eorum caussae eripitur.

b) Tametsi haec omnia claudicant, inde tamen, quantacumque ea esse animo fingas, nihil aliud Latinus cogeret, nisi quod potuerit de victimis paschalibus minus proprie vsuque vocum mutato vsurpari dictio, *pascha comedere.* Quod vero vmquam scriptores diuinitus agitati hunc ad modum locuti fuerint, nusquam euincit. Nec melius ex fluctibus enatant, qui CHRYSOSTOMO duce *Homil. in Ioan. LXXXII. p. 424.* omnem paschatis sollemnitatem in verbo a IOANNE adhibito, *pascha* quaerunt.

c) Totum istud Graecus aequi bonique faceret, modo ne cum maxima Iudaeorum multitudine Christum coenam paschalem fecisse adstrueret Latinus, qui in noua hac effugiendi via vereor, ne in dumeta atque angustias nouas compellatur.

d) Verba, quae a CHRYSOSTOMO in subsidium adsertionis suae Latinus aduocat, non inueniuntur in *Homilia*, quam citat, *in Ioannem*, sed *Homil. LXXXIIII. siue*, vt alii numerant, *LXXXV.*

in Matthaeum. Quae *Hom. in Ioan. LXXXII.* comprehenduntur, plane aliud de paſchate Chriſti referunt. Ceterum nusquam omnium CHRYSOSTOMVS tradidit, quod ex eius teſtimonio Latinus expromſit. Neque enim ſacerdotes tantum ſed generatim Iudaeos, qui οἱ πάντα τολμῶντες καὶ μυρίους καταπατοῦντες νόμους ipſi vocantur, procraſtinaſſe paſcha CHRYSOSTOMVS coniicit. Quam mentem *Homil. in Ioan. modo cit.* quam planiſſime exponit, quando diem morte Ieſu celebrem παρασκευὴν vocat, eam videlicet, vt conceptis verbis addit, qua πάλαι ἐγίνετο τὸ πάσχα. Si igitur paraſceue paſchati mactando ſacra Chriſto iam in crucem rapto illuxit, vt tradit CHRYSOSTOMVS, vnde, amabo, populus agnum paſchalem pridie mactationis extra templum ex opinione Latini haud inſtituendae petiiſſet? Viderit igitur clariſſimus SERRY, quid reſpondeat, quaerentibus: vtrum ad fidem procliue ducat, ſacerdotes Hebraeos agnos ſtatuto tempore ſacrificaſſe, neque tamen ipſos comediſſe? deinde, licitumne ſacerdotibus, vel ipſo populo arbitro, fuerit agni paſchalis die ſtatuto ac ſollemni trucidati eſum in craſtinum differre? cuius nec oſſiculum ad lucem proximam inſequentem ſupereſſe per praeſcriptum *Deut. XVI. 4.* par erat? Ita in Scyllam incidet Charybdim vitaturus. Citius, vt equidem reor, ſe ſe eripuiſſet, ſi ad LVDOVICI CAPPELLI, vel, ſi purioribus ſacris addictum, ducem adſpernatur, ad IO. HARDVINI ſocietatem ſe adiunxiſſet, qui cum ob diuerſae diei paſchalis computationem et a φάσει et a ſynodo factam, tum aliis ex cauſſis Iudaeos in paſchate comedendo a ſe fuiſſe diſtractos prodidere, quorum ſcripta citauimus *Hiſt. Concert. Part. II. cap. VIIII. §. I. p. 222. et 228.* Quibus addas, velim, ea, quae HERMANNVS WITSIVS perſequitur, *Diſſert. de Chriſto cum Iudaeis eodem die, ſed non eadem diei parte vltimum paſcha comedente, Meletematibus Leidenſibus* inſerta *pag. 421. ſequ.*

§. VII.

§. VII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Probatur pariter noſtra ſententia hoc pacto S. Ioannes cap. XIII. 29. ait: quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus: eme ea, quae opus ſunt nobis ad diem feſtum. His certe vltimis verbis innuit dilectus diſcipulus, coenam fuiſſe factam initio diei decimae quartae ante diem feſtum paſchatis; quia Iudaei principio diei decimae quartae paſcha parabant, atque omnia, quae opus erant ad diem feſtum, emebant. Atqui, quando Ieſus dixit Iudae, quod facis, fac citius, quidam diſcipulorum putarunt, quod dixiſſet ei Ieſus: eme ea, quae opus ſunt nobis ad diem feſtum. Igitur facta eſt coena initio decimae quartae, die integra ante Iudaeos. Alias ſi coena facta eſſet die feſto a lege ſtatuto, inſulſa et barda omnino eſſet opinio illa diſcipulorum; quandoquidem putabant Ieſum dixiſſe Iudae, vt emeret ea, quae opus erant ad diem feſtum; cum certo ſcire deberent, vsque ad illud tempus omnia parata, atque emta eſſe debere, quae neceſſe erant ad paſcha celebrandum.

§. VII.

CENSOR LATINVS.

Eſt et hoc plane futile. Ea enim apoſtolorum verba in Chriſti, Domini, cuius mentem adſecuti non fuerant, ore poſita, eme ea, quae opus ſunt nobis ad diem feſtum, de die feſtiuo prae-

praesenti, iamque incepto intelligi ab ipsis potuere, non de futuro. a) Quandoquidem hac ipsa decurrente die prima azymorum, emi licite poterant, quae ad victum erant necessaria, b) vt expresse habetur in Exod. cap. XII. v. 16. Dies prima erit sancta, atque sollemnis, et dies septima eadem festiuitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis his, quae ad vescendum pertinent. Immo et alia poterant apostoli sibi comparare, quibus Deum hoc ipso die festo colere possent, vt explicat D. Thomas lect. V. in cap. 13. Ioan. Quae omnia Iudas nefarie magistri sui traditioni intentus, anticipato emere neglexisset atque parare.

ANIMADVERSIONES AD §. VII.

a) Dum nimis liberali manu haec in coena vltima vsu venisse Latinus admittit, loco aperto accipienda est plaga, cum tecto, vt dici solet, latere elabi potuisset, si coenam illam fuisse nouissimam iuisset infitias. Quam Bethaniae pridie epuli eucharistici datam esse, solide ostendunt ANT. BYNAEVS *de morte Iesu lib. I. cap. V. p. 389.* GOTTFRIDVS OLEARIVS *Obseru. in Matth. p. 728. sequ.* et LIGHTFOOTVS *ad h. loca.*

b) Lex Dei de coctione, neutiquam mercatura ciborum verba facit, si expositio eius ex fontibus Hebraicis hauriatur, cum contra in sabbatis reliquis stricte sic dictis nec coctioni locus esset relictus. Vide VARENII *Differt. cit. pag. 452.* Id, quod illi adeo dant, qui ceteroqui Latini de paschatis Christo funesti die rationem amplexantur, velut IO. REINHARDVS RVS *Harm. Euangel. Tom. III. lib. V. Part. II. Sect. I. p. 515.*

§. VIII.

§. VIII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Quid pluribus opus eſt? Aperte adſerit S. Ioannes Chriſtum celebraſſe paſcha ante Iudaeos die integra. Ait quippe cap. XIII. 1. et 2. Ante diem feſtum paſchae, ſciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo. . . . et coena facta, cum, cet. Quibus verbis apertiſſime dicit, Chriſtum feciſſe vltimam coenam ante diem feſtum paſchatis, neque vlla interpretatione opus eſt. Sed et hunc apertiſſimum, et luce clariorem textum pro ſuo ſyſtemate trahere conantur Theologi aduerſae partis defenſores. Obſeruant enim illi apud Iudaeos triplex dierum genus olim in vſu fuiſſe, vti et nunc apud Chriſtianos, quemadmodum ex plerisque ſcripturarum locis, plerisque argumentis probari poſſe hoc triplex dierum genus, optime obſeruauit Pererius in cap. I. Geneſeos. Quorum vnum vocatur dies legalis, ſiue ſacer, alterum dies naturalis, et tertium dies artificialis. Dies legalis ducebatur a veſpera ad veſperam: Dies naturalis incipiebat a media nocte, et ad aliam mediam noctem deſinebat; et dies artificialis ab ortu ſolis in ortum ducebatur. Quibus poſitis aiunt, S. Ioannem innuere duntaxat, Chriſtum egiſſe vltimam coenam ante diem artificialem paſchae, ab aurora initium habentem, et ante diem pariter naturalem paſchae a media nocte incipientem. Sed hoc merum effugium eſt, et inuentum inane. Etenim dies naturalis, et artificialis nullum locum habent in diebus feſtis.

ſtis. Enim vero, amabo, quando illud mihi triplex dierum genus attulerunt, nonne dixerunt, diem ſacrum habere locum in feſtiuitatibus, et incipere a veſpera ad veſperam? Quo poſito, quis vmquam ſibi perſuadere poteſt, S. Ioannem euangeliſtam fuiſſe ita ignarum, vt ne ſciret paſcha inceptum iam fuiſſe a veſpera; aut ſi ſciret, vt de facto optime ſciebat, dixiſſe nondum inceptum fuiſſe paſcha, quando Ieſus fecerat vltimam coenam? Sed ego nullo modo poſſum intelligere, quomodo S. Ioannes ſciens paſcha fuiſſe a Iudaeis celebratum, feſtiuitatemque paſchatis fuiſſe inceptam, dixerit, ante diem feſtum paſchae. Certo certius eſt, illum, qui attente conſiderauerit verba Ioannis, et diſtinctiones haſce Theologorum, talia numquam poſſe concoquere. Eiusdem diuini oraculi alii aliam ſolutionem proferunt, qui de die ipſo ſacro Ioannem ita locutum contendunt, vt tamen ea voce, quae in Graeco textu exſtat, πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, hoc eſt pridie paſchatis, primam diei ſacri paſchatis partem intellexerit: et πρὸ τῆς ἑορτῆς poſuerit dilectus diſcipulus pro ἐν τῷ προεορτίῳ, quod nimirum ita feſtum praecedit, vt tamen ſit feſti pars, videlicet prior. Sed haec ſunt tricae et ſophismata inania, rudes, indigeſtaeque obſeruationes. Et auctor huius reſponſionis demonſtrat parum callere linguam Graecam, et nec minimam habere cognitionem: quoniam praepoſitio πρὸ cum Genitiuo idem ſonat ac ante apud Latinos, ita vt πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα proprie transferri deberet, ante diem feſtum paſchae, vt optime fecit D. Hie-

D. Hieronymus linguae Graecae adprime gnarus. Quod ſpectat ad vocem προεόρτιος, falſiſſimum eſt illud eſſe, quod ita feſtum praecedit, vt tamen ſit feſti pars, videlicet prior. Immo τὸ προεόρτιος nullam connexionem habet cum τῷ ἑορτῆς. Si quis vero propriam ſignificationem ſcire velit vocis προεόρτιος, conſulat Iacobum Tuſanum in ſuo Lexic. Graeco-Latin. et Henricum Stephanum in ſuo Theſauro linguae Graecae, vbi inueniet, quod προεόρτιος proprie interpretatur dies antecedens feſtum.

§. VIII.
CENSOR LATINVS.

Certo certius eſt, Ioannem adſerentem, Chriſtum ante diem feſtum paſchae coenam celebraſſe ſuam, de naturali die locutum eſſe, a media nocte incepturo, non de die ſollemni ſacro, atque feſtiuo primo ſcilicet azymorum, qui a primis veſperis exordium duxerat, dum haec ipſa coepta eſt coena. Alias cum Matthaeo, Marco, et Luca conciliari omnino non poterit. a) Quandoquidem tres illi id factum diſſertiſſime dicunt a Chriſto, Domino, ipſo ſollemni atque feſtivo paſchali die, primo ſcilicet azymorum. Quare non eſt hoc merum a Latinis Theologis excogitatum effugium, vt Graecus diſputator effutit, ſed neceſſarium prorſus interpretamentum, vt ſua omnibus euangeliorum ſcriptoribus veritas conſtet. Ecquis vero ſibi fingat, in ſollemnitatibus, diebusque feſtis recenſendis, atque notandis, locum habere non potuiſſe etiam natu-

rales

rales dies? Ex quo enim illa dierum distinctio in sacros, et naturales, apud Iudaeos recepta erat, vt est modo in ecclesia christiana (quod vltro, citroque conceditur) tam potuit Ioannes diem naturalem, in paschate, alioue quocumque festo notando vsurpare, quam modo in ecclesia vsurpemus. Sciebat equidem Ioannes diem paschae sollemnem sacrum, atque festiuum apud Iudaeos iam coepisse, vt obiicitur; at illud quoque sciebat, non coepisse apud eosdem naturalem. Atque ita vtrumque pro arbitrio diem sua in narratione potuit adnotare. b) Haec si minus responsio placet, haud ita morosi sumus, quin aliam demus ex abundanti; quae paullo antea Num. VI. ex D. Ioannis Chrysostomi et Theophylacti sententia, data est: Ioannem scilicet, vbi Christum coenam suam celebrasse ait, ante diem festum paschae, diem illum intellexisse, quo Iudaei anno illo intempestiue celebrarunt; non illum, qui erat ex lege Mosaica praefinitus, quem Christus sancte religioseque seruauit. Ceterum ludit operam, pugnatque cum laruis Theologus Graecus, dum obscuros Latinae ecclesiae Theologos aliquos insectatur, qui memorata Ioannis verba, ante diem festum paschae sic accipi volunt, quasi diceret, in anteriori, seu priori parte diei festi; vt vel sic de eadem omnino die euangelistae omnes locuti intelligantur: cum prima azymorum vespera, de qua locuti sunt Matthaeus, Marcus, et Lucas, dum primam azymorum dixere diem, ipsa sit pars prior, seu anterior diei festi, de qua locutus est Ioannes. Operam, inquam, ludit, cum nemo nostrum vnus fuerit, qui coactam illam Ioannis explicationem necessariam duxerit,

vt

vt cum ceteris euangeliorum scriptoribus conciliari commode possit.

ANIMADVERSIONES AD §. VIII.

a) Duo hic patuissent diuerticula: vnum, non esse hoc de coena extrema accipiendum, vt modo diximus: alterum, ne verbo quidem a IOANNE perspicue declarari eamdem illam coenam πρὸ τῆς ἑορτῆς factam; sed id potius ostendi Dominum morti proximum, qui nullo non tempore minus infucato amore amicos prosecutus fuerat, sub vitae finem πρὸ τῆς ἑορτῆς amicitiae perpetuae pariter, et certissimae documenta luculentissima statuisse. Deinde ad coenae commemorationem descendit, non alia expressa temporis nota, nisi quod eo iam tempore Iudas magistri hostibus exponendi consilium iam ceperit. Quae explanatio cum per se nihil habet inconcinni, tum videtur tersissimo IOANNIS stilo magis esse accommodata.

b) Eodem in ludo, quid posset vterque vicissim, experti sunt CAESAR BARONIVS et ISAACVS CASAVBONVS *Exercit. XVI. cap. XV. pag. 410.*

§. VIIII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Corollarium praecedentis doctrinae.
Christus consecrauit in fermentato.

Cum in antecedentibus satis superque demonstrauerimus, Christum celebrasse pascha suum die integra ante Iudaicum; necessario sequitur, eucharistiae sacramentum in pane fermentato celebrasse; quia Iudaeis initio diei decimaequartae fas erat panes fermentatos manducare. Praeterquam quod vsus azymorum a paschate tantum incipiebat, quae ob id

ipſum prima dies azymorum vocabatur: Sed Ieſus celebrauit paſcha ſuum ante Iudaicum, vt luculenter demonſtrauimus: ergo non comedit. Maiorem nemo vnus negauerit; hoc enim habetur expreſſe in Exod. cap. XII. 15. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Iſrael, a primo die vsque ad diem ſeptimum. Ergo in die primo incipiebant eſſe azyma, quando ſcilicet fermentum non licebat habere in domo ſua. Sciendum inſuper, quod placentae infermentatae, ſeu azyma comparandae, et faciendae erant initio diei decimaequartae, ſeu ſub finem diei decimaetertiae: Ergo cum Chriſtus comederit paſcha die decimatertia, non comedit azyma, quia eo ipſo die incipiebant comparare illa.

§. VIIII.
CENSOR LATINVS.

Nil mirum foret, ſi ex falſa, erroneaque doctrina falſum, et erroneum ſequeretur corollarium; Chriſtum ſcilicet in fermentato, non in azymo conſecraſſe. Quamquam nec hoc quidem ex ea falſa doctrina ſequitur, etſi eam poneremus eſſe veriſſimam. Quia ſi Chriſtus mortis ſuae praeſcius, aut alia forte ratione ductus, paſchatis celebrationem, agnique paſchalis manducationem anteuertiſſet, perinde panis azymi comeſtionem, ſine qua agni eſus eſſe non poterat, anteoccupaſſet; a) ad eum ſane modum, quo qui paſchatis celebrationem differre in menſem

ſem

sem alterum cogebantur, azymorum quoque comestionem pari ratione differebant, vt plenus, et integer staret sacri paschatis ritus. Ita iubente Domino Num. cap. VIIII. v. 10. Homo, qui fuerit immundus super anima, vel in via procul in gente vestra, faciet phase Domino in mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis, et lactucis agrestibus comedent illud.

ANIMADVERSIONES AD §. VIIII.

a) Vt ne in plagas eiusmodi se impedirent alii e Graecis in epulo paschali panem fermento destitutum, vt lege cautum erat, in ferculo autem eucharistico fermentatum et communem a Seruatore appositum iactarunt. *Hist. Concert. Part. II. cap. VIII. §. I. p. 179. sequ.* Neque adeo BELLARMINVS *de S. Euch. lib. IIII. cap. VII. Op. Tom. III. p. 608.* dissimulat, si alio, atque Iudaei, Christus pascha obierit, potuisse eum agno cum azymis absumto ad panem fermento temperatum redire, eoque mysterium vitae magnificentissimum apparare. Longe fortissimus hic est conatus eorum, qui agnum paschalem a coena Domini vltima plane absuisse constituunt. Vide §. *XXI.*

§. X.
DISPVTATOR GRAECVS.

Verum si sacros euangelistas consuluerimus, inueniemus Christum celebrasse sacrosanctam eucharistiam in pane fermentato. Aiunt quippe Christum consecrasse ἄρτῳ, quod idem est, ac si dicerent pane fermentato. Ἄρτος enim proprie significat panem fermentatum, et scriptura quando ait ἄρτον simpliciter,

vult significare panem fermentatum; quando vero vult azyma significare, appellat ἄρτος ἄζυμος, siue ἄζυμα. a) Ergo ex ipsa sacra scriptura euinci potest, Christum in fermentato consecrasse.

§. X.

CENSOR LATINVS.

Quamquam audacior videri possim, si Latinus homo Graecum Theologum Graeci vocabuli vim, potestatemque docere velim; fidenter tamen adfirmo, ἄρτον generatim, et vniuerse panem significare quemcumque, seu fermentatum, seu azymum, ac sine fermento: nec esse omnino necesse, vt quoties in Graeco textu legimus ἄρτον, sine addito ἄζυμον, panem semper fermentatum intelligamus. Exemplo sit cap. Lucae XXIIII. vbi fertur duorum discipulorum historia euntium in Emmaus tertia paschatis die; narraturque v. XXX. quo pacto Iesus accepit panem, et benedixit, et fregit, et porrigebat illis: et v. XXXV. quo pacto etiam discipuli illi cognouerunt eum in fractione panis: vocabulum ἄρτος semel, et iterum in Graeco textu nude ac simpliciter legitur, sine additione ἄζυμος, quamquam certo certius sit, panem hunc non fuisse fermentatum, sed azymum; cum ea die, quae tertia inter paschales erat, fermentatum panem edere, aut etiam seruare in domibus non liceret. a) Lucae cap. XXIIII. v. 30. λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, καὶ κλάσας ἐπεδίδε αὐτοῖς. Et v. 35. καὶ ὡς ἐγνώσθη ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου.

ANIM-

ANIMADVERSIONES AD §. X.

α) Panis simpliciter sine subiuncto certi generis indicio positus denotat vulgarem atque vsitatum, nisi alium vel tempus vel locus vel aliae adfectiones atque attributa doceant. Quare si die paschati sacro Iesus nutrimenti omnium saluberrimi vsum instituisset, nihil esset impedimento, quo minus per ἄρτον etiam azymus intelligeretur. Non admittit hoc Graecus, sed communi patriae errore, quasi morbo hereditario, infectus tum denique ἄρτον designare azymum censet, si diserte adiiciatur ἄζυμος. Quae inueterata opinio dici non potest, quanto etiamnum odio in Latinorum sacrificium Graecos armet, et quantum negotii nostrae aetatis apostolis Pontificiis in conciliandis sibi Graecis facessat, qui nec fraudibus ab illis vel exprimere vel aucupari possunt confessionem, azymum Latinorum esse panem. Rogabant nuper admodum litteris supplicibus Patriarcham, multis adiectis pollicitationibus, eiiceret e sacrorum communione sollemni deuotionis tabula hominem, qui Latinorum ἀρτοφόριον, quo panis consecratus reconditur atque ostentatur, furto surripuerit. Noluit is quidem precibus eorum deesse, sed patrum conscriptorum suasu, fraude detecta, exsecrationis carmini neutiquam verbum ἀρτοφόριον inseruit, ne hostiolas fermenti expertes pro pane habere videretur, sed ἀζυμοφόριον eius loco scripsit, non sine magna Latinorum offensione. Quod memorat Celeb. IACOBVS ELSNERVS neueste Beschreibung der Griechischen Christen in der Türckey, aus der Erzehlung Herrn DOROSTAMVS, *Archimandriten* des Patriarchen zu *Const.* Berlin, 1737. *cap. V. §. 72. in not. p. 224. sequ.*

a) Habent, quod respondeant, Graeci. METROPHANES CRITOPVLVS, quem in *Hist. Concert. Part. II. cap. VIII. §. I. p. 188.* in aciem eduximus, Emmauntem castellum moribus Hebraicis obstrictum fuisse negat, quin immo fermentato pani inde parat patrocinium. At enim vero, cum tria essent eiusdem nominis loca, vicus a LVCA memoratus,

 deinde

deinde vrbs in regione campeſtri ſita, quam Nicopolim poſtea Romani appellarunt, denique thermae Tiberiadi vicinae, de quibus conſulas, licet, ADRIANVM RELANDVM *Palaeſt. lib. II. cap. VI. edit. Norimb. p. 316.* et *lib. III. p. 562.* cum ipſum hoc, quod Lucas innuit, caſtellum a gentibus a vero Israelitarum Deo auerſis occupatum munitumque fuiſſe ex *1. Maccab. VIIII. 50.* dilucide pateat; Graeci nullo diſcrimine temporis ac locorum inito hominum non Iudaeorum conſuetudines ſemper illic regnaſſe ſibi perſuaſere. Quae etiamſi debilis ſit adſertio, et vel hac ratione proſternenda, quod minime omnium mente capi queat, diſcipulos Domini, vtpote Iudaeos, in locum moribus externis oblitum ſua ſponte ſe contuliſſe, panemque alium, ac per leges licebat, paſchatis tempore comediſſe; poteſt tamen litigioſae Graecorum declamationis filum abrumpi, omnisque contra veniendi via obſaepiri, ſi aliunde teſtimonium in ſcena ponatur. Cuiusmodi eſt illud quod ab interpretibus LXX. petimus Exod. XXVIIII. 2. coll. 23. et 32. itemque 34. vid. HVMBERTVS *Dial. in Baronii Annal. Tom. XI. p. 767.* NICOLAVS COMNENVS *Praenot. Myſt. Reſp. III. Sect. IIII. §. 14. p. 172.* ISAACVS CASAVBONVS *Exercit. in Baron. XVI. cap. XII. p. 410.*

§. XI.

DISPVTATOR GRAECVS.

Quibus addiderim et aliam rationem minime contemnendam, qua ſuaderi poteſt non fuiſſe conueniens, vt Chriſtus in pane azymo conſecraret corpus ſuum. · Quia ſcilicet non foret bona analogia corporis Chriſti cum pane azymo. Corpus ſiquidem Chriſti fuit, et eſt perfectiſſimum; at panis azymus eſt imperfectus panis: Igitur non eſt bona analogia corporis

poris Christi cum pane azymo. Deinde panis azymus est panis adflictionis, vt legitur Deut. cap. XVI. 3. Septem diebus comedetis absque fermento adflictionis panem: At corpus Christi est illud, quod laetificat homines; ergo non bene conueniunt.

§. XI.

CENSOR LATINVS.

Facti alicuius rationes congruentes, et ex analogia petitae noui, et veteris Testamenti, elumbes sunt, atque futiles, nisi factum aliunde probatum maneat certissimis documentis. Quamquam si peractae a Christo, Domino consecrationis, seu in fermentato, seu in azymo, rationes ex congruenti petitas audire lubeat, longe admodum plures a Latinis Theologis proferuntur pro celebratione in azymo, quam pro celebratione in fermentato proferantur a Graecis. a) Quarum vel haec vna ceteris omnibus praestat, quod fermentatum symbolum sit vetustatis, malitiae, et nequitiae; b) azyma vero symbolum sinceritatis et veritatis. Iuxta illud Apost. I. ad Corinth. cap. V. v. 8. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, et nequitiae, sed in azymis sinceritatis, et veritatis. Neque obstat, quod azyma panis adflictionis vocetur Deut. XVI. v. 3. Praeteritae quippe adflictionis panis est dictus, non praesentis: quia, vt ibidem exponitur, in adflictione primum comestus est a Iudaeis, dum ex Aegypto cum ingenti pauore sunt egressi: quod ad panem eucharisticum per analogiam non incongrue trahi potest: quem apostoli de Iudae traditione deque proxima

Christi, Domini morte admoniti, ingentique pauore concussi, in adflictione comederunt.

ANIMADVERSIONES AD §. XI.

a) Si Graecis de fermentati panis praestantia declamantibus patientes aures accommodare libet, adi *Hist. Concert. P. II. cap. VIII. §. IIII. p. 195. sequ.* atque conuicia in azymum cognosces indidem §. III. *p. 191.* sin Latinis pro azymi dignitate loquentibus adesse vis, lege ibidem *cap. VIIII. §. III. pag. 237. sequ.*

b) vide *adnot. nostram* ibidem *pag. 238.*

§. XII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Momenta, quibus nititur systema aduersariorum, refelluntur. *α*)

Christus celebrauit pascha prima die azymorum, quando Iudaei mactabant agnum paschalem, et comedebant: Ergo Christus non anteuertit celebrationem paschatis. Ad probandum antecedens adferunt textum trium euangelistarum. Ait quippe S. Lucas cap. XXII. 7. Venit autem prima dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum, et Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. S. Matth. cap. XXVI. v. 17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere pascha? et S. Marcus cap. XIIII. 12. Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, et paremus tibi, vt manduces pascha? Ergo inquiunt, prima die azymorum fe-

cit

cit Iesus pascha. Fateor quidem haec diuina oracula primo intuitu insolubilia videri; sed qui attente considerauerit, facile ab illis se expediet. Et quidem quod attinet ad S. Lucam, sine vllo negotio respondemus. Dico igitur, quod quando S. Lucas ait, venisse primam diem azymorum, quando discipuli accesserunt ad Iesum, et interrogarunt de celebratione paschatis, non re vera intelligitur de facto primam diem azymorum venisse, sed appropinquasse. Hocque gratis non dico: Verbum enim venire plerumque idem sonat ac appropinquare. Quod vt melius intelligatur, dabo exemplum petitum ex euangelista, Matthaeo. Ait enim sacer euangelista cap. XXI. 1. Cum appropinquassent Hierosolymis, et venissent Bethphage, tunc Iesus misit duos discipulos, cet. Plerique autem doctissimi viri opinantur Iesum re vera non venisse Bethphage, sed appropinquasse, nixi oraculo alterius euangelistae, Lucae scilicet, qui cap. XVIIII. 29. sic ait: Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, et Bethaniam, ad montem, qui vocatur olivueti, misit duos discipulos suos, cet. Sic igitur per verbum venisse appropinquasse potius significare voluisse S. Matthaeum. Ne quis vero gratis id a me dici putet, consulat exercitationem XXXXVIIII. eruditissimi, doctissimique P. Hyacinthi Serry Doctoris Sorbonici, ex qua adlatum exemplum sumsi. His ita positis, dico pariter Lucam per verbum venisse significare voluisse primam diem azymorum appropinquasse. Quod vsitatissimum

etiam eſt per id tempus. Multi enim Sabbato ſancto dicere ſolent, venit tandem paſcha: et tamen nondum de facto venit, ſed ſignificare volunt iam appropinquaſſe.

§. XII.

CENSOR LATINVS.

Etſi praeſentis temporis verbum venit, Italice viene, de die, vel anno dictum appropinquare ſignificet: praeterito tamen tempore dictum venit, Italice è venuto, vt eſt apud Lucam, non appropinquare diem ſignificat, ſed aduenisse re ipſa. a) Nec officit exemplum ex Matthaeo cap. XXI. Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymis, et veniſſet Bethphage, vbi τὸ veniſſet idem ſonat atque appropinquaſſet: non officit, inquam, quia ibi non de die, vel anno dicitur, quod ſimpliciter venerit, ſed de Chriſto, quod ad Bethphage, ſeu ad vicinia Bethphage venerit. Appropinquare autem Bethphage, et venire ad vicinia Bethphage, idem ſonant. Sed age, verbum venit etiam praeteriti temporis appropinquaſſe quandoque ſignificet, b) ac non ſemper aduentaſſe re ipſa: eaque D. Lucae loquendi formula, venit autem prima *dies azymorum, vario ſenſu abſolute, ac per ſeſe accipi poſſit; ratio tamen poſtulat, vt cum eamdem ibi D. Lucas narret hiſtoriam, eamdemque diem notet, quam et narrant, et notant Matthaeus, et Marcus, eodem ſenſu locutus et ipſe ſit. Porro aduenisse re ipſa primam azymorum diem, ac non tantum appropinquaſſe, duo illi aperte ſignificant, dum aiunt,*

aiunt, primo azymorum die discipulos de parando paschate Christum interrogasse. c)

ANIMADVERSIONES AD §. XII.

*) Illa petiit ex SERRY *Exercit. de Christo eiusque Virgine, Matre* in primis L. *edit. Venet. et Mediol. 1719. pag. 342. sequ.* atque ex GRAVESONII *Tract. de vita, mysteriis et annis Iesu Christi*, praesertim *Dissert. XVIIII. Tom. II. pag. 39.* ac *sequent.*

a) Lucae effatum non solum non formidant Graeci, qui cum PAVLLO BVRGENSI faciunt, *Hist. Concert. Part. II. cap. VIII. §. I. p. 181.* et *cap. VIIII. §. I. p. 220.* verum hoc eodem in colle castra ac domicilium sententiae suae ponunt. Neque enim gratis illam primae azymorum diei descriptionem subiungi colligunt.

b) Dandum sane a Latino fuit ἔρχεσθαι saepiuscule etiam appropinquandi vi gaudere. Quod autem de praesenti, nec vero de aoristo et praeterito hoc admittit, id ipsum nullius esse per se patet. Est enim Hebraeis pariter, et Graecis, quibus aliae quoque gentes accedunt, sollemne, vt frequenter de instante atque imminente tempore, quasi de praesente, atque adeo aliquando de perfecto loquantur. Verbum Hebraicum מלא ac Graecum συμπληροῦσθαι in praeterito etiam atque aoristo vsurpatum non semper completum sed proximum et inchoatum tempus notat: verbi caussa *Luc. II, 21.* καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, cui versio Germanica respondet: Und da acht Tage um waren; neque tamen dies octauus iam elapsus erat, sed modo coeptus, quo ipso tempore mares circumcidi lex iubebat *Leuit. XII. 3.* Deinde cum futurum adeo tempus aoristis significetur, *Matth. XIII. 14.* ἀκούετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε, et *Luc. XXI. 18.* multo crebrius praesens innuitur. Ita *Io. I. 12.* ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν. *Lucas III. 22.* καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα et rel. Quibus de caussis vtrum de instante an de coepto azymorum die

die vox ἦλθε sit hoc loco explananda ex reliquis coniecturam capere aequum erit.

c) Vtrum inde clariorem opinioni ſuae lucem adfundat, e veſtigio explorabimus. Ego vero timeo, nec ſine cauſſa, ne, dum teſtimoniis illis, quaſi firmamento quodam, vtitur, commentationes ſuas in praecipiti conſtituat.

§. XIII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Data reſponſione oraculi D. Lucae, veniendum nunc eſt ad ſolutionem oraculorum duorum euangeliſtarum, Matthaei ſcilicet, et Marci; quae quidem non ita de facili diſſolui poſſunt: conabimur tamen et illa meliori modo diſſoluere. Vt rite intelligantur ſacri illi textus, in memoriam reuocandum eſt triplex illud dierum genus ſuperius a nobis adlatum, quod apud Iudaeos in vſu fuit. Nam quando Matthaeus, Lucas et Marcus adſerunt Chriſtum celebraſſe cum diſcipulis ſuis paſcha primo azymorum die, non intelligunt primo azymorum die naturali, aut artificiali, ſed ſacro, ſiue legali, quemadmodum omnes paene Theologi confitentur, praecipue vero doctiſſimus, et celebris Hyacinthus Serry exercitatione L. de Chriſto, eiusque virgine matre, et doctiſſimus Hyacinthus Amat de Graueſon Diſſert. XVIIII. Primus autem dies azymorum ſacer incipiebat a ſecundis veſperis diei decimaetertiae. Vnde dico diſcipulos acceſſiſſe ad Ieſum initio diei decimaequartae, et tunc Ieſum celebraſſe paſcha, die integra ante legalem; quia agnus paſchalis ab Hebraeis comedi debebat

debebat iuxta legis praeceptum ſub fine diei decimaequartae. Hac porro via nos expedimus ab illis diuinis oraculis, in quibus Theologi aduerſi ſyſtematis vindices delicias faciunt. Verum duo opponit in dicta diſſertatione adlatae noſtrae reſponſioni doctiſſimus P. Graueſon. Negat primo loco primam diem azymorum incipere a primis veſperis diei decimaequartae, adſerit autem incipere a ſecundis veſperis diei decimaequartae menſis Niſan. Sed praetermittens plurimas alias rationes, quibus probare luculenter poſſem, primam diem azymorum incipere a primis veſperis diei decimaequartae; eisdem illius verbis, et, vt inquiunt argumento ad hominem vincere illum volo. Adſerit quippe pag. 42. ille auctor Petrum, et Ioannem miſſos fuiſſe ad parandum paſcha hora circiter prima poſt meridiem exeuntis diei decimaequartae. Sed quando Petrus, et Ioannes miſſi ſunt ad parandum paſcha, erat prima dies azymorum, vt adfirmant S. S. euangeliſtae: ergo hora circiter prima poſt meridiem exeuntis diei decimaequartae erat prima dies azymorum. Si autem hora circiter prima poſt meridiem exeuntis diei decimaequartae erat prima dies azymorum; ergo feſtiuitas primae diei azymorum non incipiebat a ſecundis veſperis diei decimaequartae menſis Niſan. Si vero non incipiebat a ſecundis veſperis diei decimaequartae, incipiebat igitur a primis veſperis diei decimae quartae. Nam cum eſſet dies legalis, ſiue ſacer, neque a media nocte, neque ab ortu ſolis, ſed a veſpera

ſpera ducebatur. Ergo reſtat reſponſio noſtra valida atque inconcuſſa. Opponit Graueſon ſecundo loco: Non eſt veriſimile diſcipulos Chriſti principio diei decimaequartae ab illo poſtulaſſe: vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Quia diſcipuli ſciebant paſcha celebrari, ſeu agnum paſchalem mactari, et comedi tantum debere iuxta legis praeſcriptum ſub finem diei decimaequartae, illa diſcipulorum interrogatio, ſi ab illis facta fuiſſet initio diei decimaequartae. Verum miror tantum hominem talia dicere. Nam eſſet intempeſtiua interrogatio diſcipulorum, ſi diſcipuli ſcientes agnum paſchalem immolari, et comedi debere ſub finem diei decimaequartae interrogaſſent Ieſum de tempore, quo paſcha manducare vellet; ſed cum interrogaſſent de loco vbi vellet parari paſcha, minime intempeſtiua videtur interrogatio illa diſcipulorum. Dabo vobis exemplum: Poſſem interrogare ego Paullum ſabbato ſancto, vbi manducemus paſcha, et tamen illa mea interrogatio non erit intempeſtiua, immo maxime opportuna erit.

§. XIII.

CENSOR LATINVS.

Falſum omnino eſt, primam azymorum diem ſacram incepiſſe a ſecundis veſperis diei decimae tertiae primi menſis; idque merito Graueſonius negat, negantque quot quot hac in re aliquid ſapiunt. a) Immo certo certius eſt, incepiſſe a ſecundis veſperis lunae decimae quartae, quae cum primis veſperis diei decimae quintae coincideret.

deret. Disertissima Leuitici verba sunt cap. XXIII. v. 5. et 6. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam phase Domini est, et quintadecima die mensis huius sollemnitas azymorum Domini est. Quod autem in oppositum sit argumentum ad hominem, puro putoque laborat aequiuoco, orto ex falsa intelligentia meridiei, qui vesperam praecessit primae diei azymorum. Certe cum prima sacra dies azymorum a vespera secunda diei decimaequartae inciperet; meridies vesperam illam praecedens, dici non potest meridies diei decimae quartae; meridies enim diei suae initium non praecedit sed subsequitur. Vnde dum dixit Grauesonius, dicuntque cum illo ferme omnes interpretes, Petrum et Ioannem a Domino missos esse hora circiter prima post meridiem, non intelligunt diei sacrae decimae quartae, sed diei naturalis, ad cuius vesperam dies sacer incepturus erat, qui subinde meridiem erat habiturus die sequenti naturali decimaquinta. Non absimiliter dum Matthaeus, et Marcus adfirmant, eos Apostolos missos esse prima azymorum die (quae tamen qua hora missi sunt, re ipsa nondum inceperat) diem illam naturalem designarunt, in qua sollemnitas azymorum ad vesperam inceptura. b) Quia enim communi reputatione vespera illa, in qua incipiebat sollemnitas azymorum, pertinebat ad diem decimamquartam praecedentem (etsi secundum legis dispositionem ad diem decimamquintam pertineret) idcirco Matthaeus, et Marcus communi loquendi formula vsi, hanc ipsam decimamquartam lunae diem primam azymorum diem vocauerunt; qualitatem

litatem diei potius, quam substantiam spectantes, vt loquuntur interpretes. c)

ANIMADVERSIONES AD §. XIII.

a) Quam feliciter et hic vadum inueniant contrariae opinionis adscriptores, diximus in *Hist. Concert. P. II. cap. VIIII. §. I. p. 214.*

b) Pari iure vti posset aduersae sententiae vindex, et varia hac, ad quam idemtidem se recipit Latinus, dierum enumeratione atque computatione, quasi excursione, ex insidiis facta, Latinum admodum fatigare. Namque, si dies ecclesiasticus XIIII. a secundis vesperis diei XIII. initium trahit, quod non potest non fateri Latinus, et LVCAS *cit. loc.* primam azymorum vocat eam, qua mactandus erat agnus, quo die XIIII. Nisan fieret, oportebat; sequitur, nec per vim, vt diem XIII. naturalem, quae vsque ad noctem mediam diei XIIII. ecclesiasticae, vel ipso Latino arbitro, pertingebat, quodam modo primam azymorum etiam appellari potuisse, opineris. Quae tamen conclusio, vereor, ne nausea redeunte stomachum Latino moveat.

c) Quae Latinus pressis quasi manibus comprehendit ac tenet, ea sibi quoque dari illi postulant, quibus prima azymorum esse videtur integra illa dies apparandis faciendisque sine fermento panibus destinata. vid. MARC. ANTONIVS DE DOMINIS *de Republ. Eccles. lib. V. cap. VI. §. 276. Tom. II. p. 208.* Sustinetur illorum adfirmatio, quasi robusto quodam adminiculo, auctoritate FLAVII IOSEPHI dies paschatis octo enumerantis *Antiquit. Iudaic. lib. II. cap. V. p. 65.* nec non apertissimo LVCAE consensu, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι. *cit. loc.* At vero dies agno immolando praefinitus a die azymorum ex praescripto MOSIS *Leuit. XXIII. 5. et 6.* ita erat separatus, vt hic esset XV. at prior ille XIIII. Nisan. Quidni igitur rerum sacrarum conditores primam azymorum illam dicant, quae non comedendis

dendis azymis sed coquendis erat constituta? Tum vero, ne id quoque in quaestionem deposcam, aliam explicationem IOANNI quasi e regione fore contrariam, atque incredibiles difficultates parituram, et hoc non flocci aestimandum succurrit, quod priscis ecclesiae patribus quibusdam eadem expositio iam pridem se probauerit. Sic APOLLINARIUS *Caten. Graec. in Ioan. XVIII. 28.* ἔστιν ὑπολαβεῖν, ait, ὅτι πρώτην ἀζύμων τὴν πρὸ ἀζύμων καλοῦσι, τοῦτ᾽ ἐστὶ, τὴν τρισκαιδεκάτην.

§. XIIII.
DISPVTATOR GRAECVS.

Opponit doctissimus Serry in dicta exercit. Nulla Christo, Domino ratio esse potuit, praescriptum a lege celebrandi paschatis diem anteuertendi. Ponamus enim, Christum mortis suae praescium dignouisse, non posse se Iudaicum pascha praefinito tempore celebrare, nulla ei celebrandi necessitas incumbebat, cum praeceptum tunc non vrgeret, quia statuta die duntaxat obligabat. Lex quidem praecipit Numer. cap. VIIII. 10. vt si quis non posset ob caussas ibi dictas pascha celebrare statuta die, differret in mensem alterum: at nuspiam legitur praeceptum fuisse, vt qui statuta die paschatis crederet se moriturum, celebrationem paschatis anteuerteret. Huic difficultati respondemus, non quidem ex necessitate celebrasse pascha illud Christum, Dominum, sed ex libera sua voluntate, quemadmodum multa alia fecit, ad quae facienda nulla necessitas incumbebat. Christus, vt erat legis Dominus, ita sibi faciendum existimauit, altiori ratione ductus, atque consilio; solitamque paschatis

diem praeter legem, et instituta maiorum, pro nutu atque arbitrio antecepit. Possumus dicere etiam Christum celebrasse illud pascha, quia desiderabat manducare illud vna cum discipulis suis, vt videtur ex cap. XXII. 15. Lucae: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Colligitur pariter ardentissimum Christi, Domini desiderium celebrandi paschatis vna cum discipulis ex verbis Marci cap. XIIII. 14. Vbi est refectio mea, vbi pascha manducem cum discipulis meis?

§. XIIII.

CENSOR LATINVS.

Si Christus nulla mortis imminentis necessitate ductus, paschae celebrationem non antecepit, vt modo conceditur; multo minus eam ex libera voluntate, contra legis instituta, anteuertisse dici debet, ea perbella ratione, quod legis Dominus esset. Quandoquidem eo dominio non est vsus, eoque se vti nolle expresse professus est: Non veni soluere legem, sed adimplere. Immo non expediebat, vt eam solueret in capite longe maximo; ne Iudaeos, qui eum legis Dominum esse nesciebant, offenderet; iisque criminandi occasionem praeberet, quam illi plus nimio quaerebant etiam in minimis. Desiderauit ille quidem hoc pascha manducare cum discipulis suis, vt nouum nobis pascha conderet, consecratione corporis sui: At quid quaeso necesse erat Iudaicum pascha anticipato contra legis praescripta celebrare, vt nouum huiusmodi conderet? Cum alterutrum praestare perinde posset: aut nouum veteri

veteri minime comeſto, diſcipulis condere; aut mortem ſuam differre in diem alteram: vt vel ſic modis omnibus legem impleret. Qui enim traditus eſt, quia ipſe voluit, traditus etiam eſt quando voluit. a)

ANIMADVERSIONES AD §. XIIII.

a) Nihil, quod alterutri parti ſeruiat, ex hoc litigii fonte emanat. Si Graecus Seruatorem paſcha anteuertiſſe aliunde demonſtraſſet; ſatis multis ac grauibus de cauſſis illud feciſſe Dominus ſapientiſſimus poſſet exiſtimari. Quamquam diſſimulatione tegere nolim, eſſe hic partes Latini, quam Graeci potiores.

§. XV.

DISPVTATOR GRAECVS.

Sed vrget R. P. Serry: ex ipſo euangelii textu perſpectum eſt apóſtolos ſua Chriſtum, Dominum de celebrando hac ipſa die paſchate compellaſſe. Matth. cap. XXVI. 17. Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis comedere tibi paremus paſcha? Antequam vllam mortis hac ipſa feſta die illi inferendae notitiam haberent: id enim inter coenandum duntaxat illis aperuit, fore ſcilicet, vt hac ipſa nocte traderetur ad mortem. Non itaque inſtantis mortis occaſio ad praematuram paſchatis celebrationem adduxit. Sed haec difficultas parum vigoris habet, vt ſyſtema noſtrum infirmet. Incertum namque omnino eſt, vtrum diſcipuli primi interrogarunt Ieſum de celebratione paſchatis, aut Ieſus ſponte ſua miſit diſcipulos ad pa-

randum pafcha. a) Vt eft enim apud Matthaeum, videntur difcipuli interrogaffe Iefum de celebrando pafchate; at ex S. Luca manifeftiffime apparet Chriftum, Dominum fponte fua miſiſſe difcipulos, vt pafcha pararent, cap. XXII. 7-8. Venit autem dies azymorum, in qua neceffe erat occidi pafcha, et mifit Petrum et Ioannem dicens: Euntes parate nobis pafcha, vt manducemus. In quibus nulla mentio fit de interrogatione facta a difcipulis Chrifto, Domino. Vnde cum euangeliftae inter fe non conueniant, nihil certi poffumus adfirmare. Quod autem dixit P. Serry, difcipulos fcilicet interrogaffe Iefum de pafchate antequam vllam mortis illi inferendae die pafchatis notitiam haberent, falfum eft, (dicam hoc bona venia tanti viri.) Nam non inter coenandum duntaxat aperuit illis mortem fuam inftantem, fed fciebant difcipuli biduo ante, vt colligere eft apud Matth. cap. XXVI. 2. Scitis, quia poft biduum pafcha fiet, et filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Ergo fciebant difcipuli ex tunc poft biduum pafcha futurum, et mortem Chrifti.

§. XV.
CENSOR LATINVS.

Indubitatum omnino eft, Chrifti difcipulos eumdem primum compellaffe, atque ex eo antea quaefiiffe, quonam effent ad pafchatis praeparationem ituri, quam Chriftus eos mitteret paraturos. Planus enim, apertusque eft Matthaei, et Marci contextus. Prima die azymorum, inquit

quit ille cap. XXVI. v. 17. accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere pascha? Ille vero cap. XIIII. v. 12. Primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, et paremus tibi, vt manduces pascha? Idque eo ordine factum esse ratio ipsa postulat. Si enim Christus sua primum sponte discipulos pascha paraturos misisset, inepte prorsus, ne dicam stulte, eumdem postea his verbis discipuli compellassent: Quo vis eamus, et paremus tibi, vt manduces pascha? Cum iam misisse non ignorassent. Nihil in contrarium habet Lucas, quo vel leuiter innuat, Christum sponte sua discipulos non interpellatum delegasse: Venit autem dies azymorum, ait ille cap. XXII. v. 7. in qua necesse erat occidi pascha; et misit Petrum, et Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. Quibus verbis factam prius discipulorum interrogationem silet quidem, non negat tamen, eiusque silentium aliorum euangelistarum disertiori narratione suppletur; vt in historia euangelica fit saepissime. Indubitatum perinde est, discipulos Christum, Dominum de parando paschate interrogasse, antequam vllam mortis ipso die paschatis inferendae notionem haberent. Quandoquidem postea duntaxat, in ipsa paschatis manducatione, hanc illis diem Dominus denunciauit: Hodie, inquiens, in hac nocte, cet. Quod autem illis antea dixerat verbum, scitis, quia post biduum pascha fiet, et filius hominis tradetur, vt crucifigatur, mortem quidem inferendam indicabat, distinctam tamen mortis inferendae diem non declarabat aperte: cum sua illi perinde con-

ſtaret veritas, ſi ſolum paſcha intra biduum accidiſſet; traditio vero paſchati ſucceſſiſſet, non ipſo tamen paſchatis die primo contigiſſet.

ANIMADVERSIONES AD §. XV.

α) Diſceptatio eſt omnino diuiſa in duo capita, ſuane ſponte diſcipuli magiſtrum de paſchate celebrando monuerint, an vero Dominus vltro ea de cauſſa illos compellauerit? Hoc defendit Graecus, pro priore illo Latinus non modo decertat, ſed etiam *inepte ac ſtulte* diſcipulos acturos fuiſſe, ſcribit, ſi ex Chriſto de paſchate iam antea mandante quaeſiuiſſent: *quo vis, eamus et paremus tibi paſcha?* Nos tametſi primo adſpectu obſeruamus, quocumque res cadat, parum hoc vtriusque diſputatoris referre, neutri enim robur inde accedet, veritatis tamen amantes Latino viis duabus occurrimus. Primum conſtituimus, diſcipulos ſine vlla controuerſia, antequam ipſi de paſchate eſſent ſolliciti, a Seruatore fuiſſe admonitos: deinde, quod praemoniti etiam diſcipuli Chriſtum eadem de cauſſa nec inepte nec ſtulte interrogauerint. Alterum illud ac prius vſque adeo manifeſto LVCAS exponit, vt magnam nobis admirationem moueat, quod Latinus adfirmet, ſcriptorem illum interrogationem a diſcipulis factam ſilere, non negare. At vero is apertiſſime teſtificatur *cap. XXII. 9.* diſcipulos ex Chriſto, qui ipſis agitata ſua de paſchate celebrando aperuerat, *comm. 8.* ſciſcitatos fuiſſe: *ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν*; Neque huic narrationi MATTHAEVS et MARCVS refragantur, neque adeo refragari videntur, vtpote qui a quaeſtione diſcipulorum ſermonis initium capiunt. Si igitur diſcere aueas, quid diſcipulos ad Dominum de paſchatis celebrandi loco interrogandum impulerit, MATTHAEO iuxta et MARCO tacentibus, ad eum confugias, neceſſe eſt, quod in omni hiſtoria ſacra tenendum, qui idem argumentum explicitius deſcripſit, quem in cauſſa hac eſſe LVCAM res loquitur. Is

Is occasionem etiam factae a discipulis quaestionis prodit. Etenim *cap. cit. com. 7.* imminuisse, ait, diem azymorum *comm. 8.* a Iesu discipulos cum mandatis de paschate praeparando in vrbem ablegatos fuisse: quo facto demum discipulos Dominum interrogasse, vbi pascha instrui velit? *comm. 9.* Tandem Christum hospitis notas ipsis descripsisse *com. 10.* Quibus expositis, ad alterum descendo, videlicet nec ineptam nec stultam, hoc narrationis ordine inito, discipulorum quaestionem, vt censet Latinus, fuisse, licet responsione hac supersedere possem, cum nihil inde LVCAE veritati decedat, etiamsi discipulos inepte egisse Latinus euinceret, quos multa eiusmodi rerum necdum maturos admisisse liquet. Paucis tamen respondeo, cum, LVCA teste, Christus discipulis in mandatis daret, irent, appararent pascha, nulla adiecta hospitis ac domus descriptione; non poterant non iidem legati, non de vrbe quidem, sed de hospitio, vbi obire posset epulum sollemne, quaerere: quod deinde ex Servatore pluribus cognoscebant. Itaque nec inepta nec stulta, sed plane necessaria erat interrogatio, et quibuscumque coniecturarum fluctibus Latinus agatur, sententiae suae naufragium certo facit.

§. XVI.
DISPVTATOR GRAECVS.

Opponit P. Serry. Christus vna cum discipulis pascha celebrauit: Si itaque celebrationis diem anteoccupauit ille, illi quoque cum illo anteoccuparunt: Sed illis nulla ratio antevertendi fingi potest; non enim praesciebantur die paschatis cum Christo, Domino morituri, qui reapse cum illo mortui non sunt. Cui obiectioni respondemus, fuisse caussam, eamdemque grauissimam, cur discipuli anteuerterent celebrationem paschatis, etsi non fuit in-

ſtantis mortis occaſio. Ea cauſſa igitur, cur anteuerterint apoſtoli haec fuit; quia nempe, quo tempore Iudaei celebrare debebant paſcha ſuum, illi ieiunare debebant. Nam quo die Chriſtus mortuus eſt, diſcipuli ieiunare debebant. Atqui Chriſtus mortuus eſt quo die Iudaei paſcha celebrare debebant, vti iam ſuperius demonſtrauimus luculenter: Ergo diſcipuli ieiunare debebant, quo die Iudaei paſcha legale celebrare debebant. Maior probatur. Ieſus praedixit diſcipulos facturos ieiunium, cum ille moreretur: ergo fecerunt ieiunium, et debuerunt ieiunare; Chriſtus enim non potuit praedicere rem, quae poſtea euentu non ſit adimpleta. Prophetia Chriſti probatur ex tribus euangeliſtis. Ex Marco cap. II. 20. Venient autem dies, cum auferetur ab iis ſponſus, et tunc ieiunabunt. Tandem ex Lucae cap. V. 35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Verum praeter adlatam cauſſam fuit et alia, cur diſcipuli anteuerterint celebrationem paſchatis: quia nempe diſcipuli agnum paſchalem non potuiſſent comedere die a lege ſtatuta. Etenim credibile non eſt, die decima quarta, qua Ieſum fuiſſe crucifixum demonſtrauimus, et qua agnus paſchalis mactari a Iudaeis et comedi debebat, potuiſſe apoſtolos furente adhuc Iudaeorum rabie ſimul in vnum conuenire locum ad peragendam paſchalem coenam, ſeu in ſocietate Iudaeorum agnum paſchalem manducare.

§. XVI.

§ XVI.

CENSOR LATINVS.

Risum vel ab ipsis mortuis eliciet, quae ibi adfertur ratio, cur apostoli, qua die pascha suum celebrabant Iudaei, Christumque morti tradebant, agnum paschalem manducare nequiuerint: quod nempe hac ipsa die deberent discipuli ieiunare, ob Christi, Domini vaticinium Marci II. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in diebus illis. Lepide profecto, atque argute! Quasi vero iis verbis seruandum peculiariter illa die ieiunium discipulis suis Christus indixerit, aut praedixerit. Nec aduertit, qui ita ratiocinatur argute, id vnum his verbis praenuntiasse Christum, fore tandem, vt ipso sponso morte sublato, discipuli eius in ieiuniis et planctu, hoc est, in fame, et siti, in aerumnis, laboribus, vigiliis aliisque corporis adflictionibus vitam traherent. Quod profecto non oberat, quo minus quibus diebus diuina lege praeceptum erat, et agnum ederent, et festum sollemne agerent, et spiritualis laetitiae signa publice darent. Nec etiam advertit incautus, apostolos, si qua forte de caussa a celebrando ea die paschate suo prohibiti fuissent, non anteoccupare celebrationem, sed in mensem alterum differre debuisse, sic enim expresse sancitum est Num. c. VIIII. v. 10. Risu sibilisque nil minus digna est altera ratio subiuncta, a) cur qua die Christus mortuus fingitur agnum paschalem edere nequiuerint discipuli: quod nempe furente adhuc Iudaeorum rabie in vnum locum ad agni esum conuenire non possent. Et cur, quaeso, conuenire non poterant,

rant, cum quoto tempore Christus iacuit in sepulcro, perindeque feruebat Iudaeorum rabies discipuli simul eadem in domo hospitarentur? Ibi itaque pascha suum edere poterant a Iudaeorum iniuriis tuti. Immo tantum abest, vt incussus discipulis timor conuentum illorum praepediret, vt potius ille ipse eosdem in vnum congregatos cogeret commorari: iuxta quod legimus Io. XX. 19. Erant discipuli in vnum congregati propter metum Iudaeorum.

ANIMADVERSIONES AD §. XVI.

a) Mihi vero ridiculum tam non necessariis velitationibus vtrimque rem agi, dum Latinus caussam censet fuisse nullam, cur discipuli vna cum magistro coenam paschalem ante caperent, atque vel ideo Christum anteuertisse sollemnem hunc diem negat: at Graecus misere se in omnes partes torquet. Fit hoc insigni mortalium vitio, vt sententiae suae cuiuscumque nimium quantum tenaces leuia persequi, cum vmbrisque luctari, quam latum vnguem de iure suo, eoque ambiguo decedere malint. Si cum Domino epulum paschale discipuli, pridie sacri Iudaici praecepissent, satis id ipsis fuisset caussae, quod tanto auctore, approbatore, et comite hoc facerent. Tandem, si delirare iuuat, aliam insuper rationem suppeditabo, videlicet agnum non potuisse comedi nisi pluribus sociis, qui ei edendo pares essent, congregatis. *Exod. XII. 4.* vt alia eius farinae in praeteritis relinquam.

§. XVII.
DISPVTATOR GRAECVS.

Vrget doctiss. Serry: Si Christus vt erat legis dominus statutam paschatis celebrationem pro nutu atque arbitrio antecepisset, Iudaei

daei offenſionem paſſi eſſent, et inſtaurandae in illum criminationis occaſionem arripuiſſent, cum illos res ipſa latere non poſſet. Deinde pater familias, ad quem Chriſtus diſcipulos miſerat, quique coenaculum ſuum ad celebrandum paſcha Ieſu commodauit die non legitima accuſatus fuiſſet apud Iudaeorum principes, et nullo pacto potuiſſet ſe excuſare. Verum nos reſpondemus: res ipſa Iudaeos latere potuit, adeoque inſtaurandae in illum criminationis occaſionem non arripuerunt. Nam nemo vnus ſciuit Chriſtum anteuertiſſe paſcha, praeter Chriſti diſcipulos et patrem familias. Pater familias id Iudaeis reuelare non potuit, quia occaſionem Iudaei arripuiſſent criminationis in illum conſtituendae, quod coenaculum ſuum praebuiſſet celebrationi illi non legitimae. Neque diſcipuli id facere potuerunt, praeter vnum Iudam, qui pariter legem transgreſſus erat. Quia ſi Iudaei hoc ſciuiſſent, haberent aliquam cauſſam etſi futilem et inanem, Chriſtum crucifigendi, cum e contra Chriſtus Dominus ſine vlla cauſſa vel minima mori deberet. *a*)

§. XVII.
CENSOR LATINVS.

Vis oppoſiti argumenti hac vna imaginaria conſideratione nequaquam eliditur. Quidni enim et pater familias et Iudas traditor factam a Chriſto Domino ſacrilegam legis Moſaicae violationem Iudaeis eorumque principibus denuntiasſent? quamquam fuiſſet vterque ſceleris ſocius atque

atque adfinis: ille quidem sui coenaculi commodatione aut locatione, iste sumta intempestiue cum Christo ceterisque discipulis refectione? Quandoquidem petita prius delicti socialiter admissi impunitate, quam illis Iudaeorum principes vltro citroque vti poenitentibus ac bene meritis concessissent, sat bene sibi rebusque suis consuluissent, ne et ipsi debitas cum Christo Domino, eiusque discipulis poenas luerent. Quae vero ibi subiungitur perbella consideratio, Iudaeos scilicet caussam aliquam futilem tamen et inanem habituros fuisse crucifigendi Christum, si, quam ille fecisse dicitur, legis Mosaicae violationem resciuissent; an non potius euincit, Christum Dominum legem re ipsa violare noluisse, quam Iudaeos factam ab eo legis violationem nesciisse? Qui enim sine caussa vel minima debebat mori, nullam profecto vel minimam crucifixionis suae caussam dare debuit; immo ab omni non modo malo, sed et specie mali debuit abstinere, ne Iudaeis in omnem criminandi occasionem intentis malam de se suspicionem ingereret.

ANIMADVERSIONES AD §. XVII.

α) In aëre, vt est in prouerbio, Graecus piscatur, quando nauibus atque quadrigis machinas ad Latini labores disiiciendos nequicquam adquirit, cum multa essent in promtu, quibus, nihil ex hoc Iudaeorum silentio euinci, perdoceret. Principio Iudaei longe grauiora habebant, quorum caussa Christo supplicium pararent: esse eum blasphemum, honorem Dei adfectasse, regiam dignitatem appetiisse, esse auctorem tributi Caesari negandi, esse seditiosum et turbulentum ciuem, populique vniversi corruptorem, esse euersorem templi Iudaici: quae

quae singula in crimen publice vocabant. Quid, quaeso, in tantorum criminum numero praematurum paschatis esum referrent? quem speciatim notasse Iesu accusatores, non ideo statim negandum est, quod scriptores sacri nihil de eo adferunt, quibus satis est, pleraque accusationum capita summatim percurrere? Postremo si Christus conuiuium paschale pridie festi Iudaici apposuisset, accusationem hanc sacerdotes consulto praeterire potuisse, non est veri dissimile, quia id ipsum illustre fuisset sapientiae Iesu supra omnem ingenii humani conditionem positae documentum. Ex praematuro illo agni esu, praeter amorem rituum Iudaicorum, id euidenter enituisset, eum futura accurate et certo praeuidere potuisse, cum clandestina Iudaeorum consilia, mortisque tempus praenoscens pascha extremum pridie supplicii dederit. Id eo vnice adduxi, vt ex silentio Iudaeorum nihil omnino cogi, clarius constaret.

§. XVIII.

DISPVTATOR GRAECVS.

Opponit R. P. Serry: Agnus paschalis mactandus erat in templo, nec comedi omnino poterat, nisi sanguine eius ad altare a sacerdotibus sparso et adipe combusto. Deut. XVI. 5. Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Si Christus anteuertisset, agnum non immolatum comedisset, adeoque legis Mosaicae summam violasset: immo ne pascha quidem comedisse putandus esset. Sed nos negamus agnum paschalem mactandum fuisse in templo. Quia Iudaei omnia illa, quae fecerunt patres eorum in comestione agni paschalis exeuntes de Ae-

gypto,

gypto, facere et ipsi debebant, a) vt praecipitur cap. XII. 24. et 25. Exodi. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis vsque in aeternum, et cet. Atqui Iudaei exeuntes de Aegypto immolarunt agnum paschalem per familias suas, vt eodem cap. v. 21. apparet: Ite tollentes animal per familias vestras et immolate Phase. Ergo agnus paschalis non immolari debebat a sacerdotibus in templo.

§. XVIII.

CENSOR LATINVS.

Spissus hic cubat error, atque hactenus inauditus. a) Nemo enim, quod sciam, b) negauit vmquam, agnum paschalem, quo ex tempore Hierosolymae templum exstructum est, in eo solo immolari debuisse. Ecquis enim locus ille est, quem elegit Dominus Deus, vt habitet nomen eius ibi, extra quem agnum immolari vetuerat Deus Deut. XVI. v. 5. et 6. nisi hoc ipsum Hierosolymae templum, quod aedificare tandem iussit Deus, vt esset nomen eius ibi 3. Reg. cap. VIII. v. 16. Quod vsque adeo certum est, c) vt et ipsi Iudaei in sui nunc paschatis celebratione agnum paschalem ea maxime ratione non edant, quod euerso Hierosolymae templo suisque orbati sacerdotibus, eumdem immolare vltra non possint loco sibi a Deo O. M. praefinito. Neque obiicere iuuat Mosem Iudaeos ex Aegypto egredientes adloquentem dixisse Ex. XII. v. 21. Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase: quasi animalis, seu agni immolatio fieri in priuatis domibus posset. Ecquis enim ita

ita bardus est, vt nesciat, id a Mose dictum, quo tempore necdum erat templum exstructum nec in eo positum tabernaculum; mandatum vero de facienda in domo Domini seu in templo agni immolatione adposterum tempus, dum scilicet exstructum esset, datum fuisse.

ANIMADVERSIONES AD §. XVIII.

α) Pergrauibus dubiis adsertio haec est obnoxia; immo plane falsa, cum multa in paschate Aegyptiaco obseruata a paschate terrae Canaan abfuerint, velut est agnorum separatio per dies quatuor ab ipsis patribus familias facta, quam peregrinos Hierosolymis curasse nemo putauerit, quippe qui pridie paschatis vix in vrbem conuenerant. In eamdem classem referenda est caerimonia sanguinis postibus adlinendi, et alia permulta. Vid. BOCHARTVS *Hieroz. Part. I. lib. II. cap. L. p. 610. sequ.* Quodsi denique firmo haec Graeci cogitata talo starent, Christus, quem pascha sub vitae exitum celebrasse credit, manifesto leges paschatis primi violasset, quia in coena illa non sane baculo instructus stabat, sed ἀνέκειτο et ἀνέπεσε *Matth. XXVI. 20. Luc. XXII. 14.* non domi se continebat *Exod. XII. 22.* sed in hortum cum discipulis se conferebat.

a) Nobis quidem nihil videtur horum omnium. Vix aut ne vix quidem, quod exagitat, *error* est, nedum *spissus*, minimeque *inauditus*, vt ostendemus.

b) Caute apponit, *quod sciam.* Sunt enim, praeter PHILONEM viri multi, et illi rerum Iudaicarum peritissimi, qui extra templum etiam agnum mactari potuisse adseuerantius monstrant. Prouoco ad IO. COCCEIVM in *Lexico Vet. Test. voce* פסח *p. 676.* AVG. VARENIVM *diss. cit. p. 448. seq.* LVD. CAPPELLVM *epist. ad Cloppenburgium edit. Amstelodami 1643.* atque inserta *Op. Theolog.* CLOPPENBVRGII *Tom. I. p. 117.* IO. BVXTORFIVM *Syn. Iud. cap. XIII. p. 429.* IO. HENR. REIZIVM *animadu.*

animadu. ad GODDWINI *Mos. et Aar. lib. III. cap. IIII. not. 3. p. 263.*

c) Temere haec Latinus pro certis venditat propius inspicienda. Atque, vt a leuioribus incipiam, quod de sacrificio Iudaeorum sub templi cineribus sepulto adfert, parum momenti habet: quia extra terram Canaan sacrificari posse Iudaei omnino negant. vid. BVXTORF. *loc. cit. p. 427.* Omne autem Latinus fundamentum in dicto *Deut. XVI. 5. et 6.* iacit; quod tamen nihil diserte vel de מקום שכינה vel exstructo postea templo, sed generatim de loco, vbi Deus sibi sedem fixerit, sermonem instituit. Potest igitur vrbs Hierosolymitana hoc loco intelligi, in qua domicilium Deo erat, quaeue iisdem paene verbis nominis diuini habitatio compellatur *2. Chron. VI. 6.* et saepius; cum praesertim hoc loco de oppidis Iudaicis verba fiant. Quo praemisso, pede magis collato, fortius instamus, ac sine vllo dubio Hierosolymas hic innui adseueramus. Primo, quia eodem in loco, quem paschati immolando Dominus delegit, *comm. 5. et 6.* suum quisque agnum coquere pariter et comedere eadem lege adigebatur, *com. 7.* id, quod sine iterationis superuacuae vitio, lucide apparet; non sane poterit vel מקום שכינה vel templum denotari, in quo haec omnia facta esse nemo vnus sanae mentis adfirmauerit. Deinde, quia fidem excedit, tot millia agnorum angustissimo temporis tractu, locique spatio potuisse a patribus familias mactari, pellis detrahi, a sacerdotibus sanguis effundi, adeps comburi, atque alia eiusmodi in templo peragi: praecipue, si recte sentiunt, qui omnes omnium ordinum Israëlitas, כל-עדת ישראל mares, et feminas, senes, atque adolescentes, paucissimis *Exod. XII. 43. sequ.* ab esu agni exclusis, in omnibus finibus Iudaicis, agnis paschalibus vesci debuisse egregie docent, clarissimis scripturae testimoniis *Exod. loc. cit. et Num. VIIII. com. 13.* adiuti. Quorum omnium ac singulorum agnos vix vrbs nedum templum capere potuisset; et, quod ex *2. Chron. V. 6.* alii in contrarium proferunt de incredibili numero

mero pecudum armentique in templo immolatorum, ad hanc multitudinem paruum est, tum vero gregibus illis *Chron. l. cit.* memoratis mactandis dies septem fuerunt destinati. Quibus ad rationem, tamquam obrussam, probe exactis tantum abest, vt hunc locum omnes agnos paschales in templo immolari iubere arbitremur, vt nec Hierosolymis omnium agnorum sub paschatis tempus mactationem ex hoc praescripto instituendam fuisse plene constituamus. Quid enim? si oraculum illud de panegyri publica ac sollemni in paschate Hierosolymis celebranda agere, atque de illustri hoc agni paschalis in templo mactandi consecrandique ritu praecipere dicamus? ad quam mares, quibus per aetatem ac vires licebat, conscriptos conuocatosque legibus diuinis esse satis constat. Ad quam panegyrim nunc plures nunc pauciores confluebant: qua adeo ipsa, furente bellorum strepitu, aliquando intermissa sine dubio domi quisque suae agnum apposuerat. 2. *Reg. XXIII. 21. sequ.* Ex quo discrimine facile et diuina et Iudaica praecepta poterunt diiudicari. vid. MAIMONIDIS קרבן פסח *Tract I. cap. I. §. 9. et cap. II. §. 4. sequ.* Neque minus commode discerni poterunt duo haec: primo, vtrum mares omnes ad panegyrim illam frequentandam fuerint obstricti? tum vero, an extra templum agnus mactari haud potuerit? Conf. praeter VARENIVM loc cit IO. SAVBERTI *Dissert. de festo paschatis* in *Palaestra Theologico-Philolog. p. 70. sequ.*

§. XVIIII.
DISPVTATOR GRAECVS.

Sed dato etiam, quod agnus paschalis immolari deberet in templo, nihil inde contra nos concludi potest. Nam si ex eo quod agnus non fuerit in templo immolatus, concludit doctissimus P. Serry, Christum ne pascha quidem manducasse, possum et ego concludere Iesum

non manducasse pascha, etsi coenam fecerit vltimam quo die Iudaei agnum paschalem mactabant. Nam secundum systema P. Serry prima dies azymorum incipiebat a secundis vesperis diei decimae quartae: atqui discipuli accesserunt ad Christum prima die azymorum, vt testantur sacri euangelistae: Ergo discipuli aut in secundis vesperis, aut post diem decimam quartam accesserunt ad Iesum. Si autem accesserunt et missi sunt ad parandum pascha initio diei decimaequartae, agnum non immolatum comedit Christus, quia illa hora non potuerunt parare agnum immolatum: nam tempus praefixum, quo mactari agnus paschalis debebat, iam effluxerat; quia agnus paschalis immolari debebat ante horam post meridiem sextam. Prima autem dies azymorum incipiebat post horam sextam pomeridianam. Vnde cum discipuli missi sint post horam sextam pomeridianam non potuerunt agnum immolatum parare. Ergo etiam secundum systema R. P. Serry Christus non manducauit pascha, quia manducauit agnum non immolatum.

§. XVIIII.
CENSOR LATINVS.

Eodem hic laboratur aequiuoco, quo laboratum est supra Num. XIII. in explicatione meridiei, qui vesperam praecessit prima die azymorum: quod cum iam a nobis sublatum sit, illud iam restat euidentissimum, discipulos opportuno tempore missos esse, vt paschalem agnum parare, atque immolare commode possent: cum

hora

hora de meridie circiter prima ſint miſſi, non ſexta, vt fingere libet; immolatio vero agni ab hora de meridie tertia vſque ad ſextam ſoleret fieri, vt ad veſperam edi poſſet. a)

ANIMADVERSIONES AD §. XVIIII.

a) vide §. *XXI. adnot. noſtras.*

§. XX.

DISPVTATOR GRAECVS.

Opponit tandem R. P. Serry: Dato, quod Chriſtus comeſtionem agni paſchalis anteuerterit, in azymo tamen conſecrauit ſacroſanctam euchariſtiam. Si enim Chriſtus mortis ſuae praeſcius paſchatis celebrationem anteoccupaſſet, pari quoque ratione azymorum comeſtionem anteuertit: cum comeſtio azymorum paſchalis ritus pars magna eſſet, nec, niſi cum panibus azymis atque lactucis agnus paſchalis comedendus eſſet. Liquet id exemplo diſertiſſimo. Si cui enim forte fortuna contingeret, paſchatis celebrationem differre in menſem alterum, in menſem quoque alterum comeſtionem azymorum differebat, vt non niſi cum azymis paſcha comederet. Diſerte admodum loquitur lex in Num. VIIII. 10. Homo, qui fuerit immundus ſuper anima aut in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo die XIIII. menſis ad veſperam: cum azymis et lactucis agreſtibus comedet illud. Si ergo Chriſtus vice verſa paſchatis celebrationem praeoccupaſſet, azymorum quoque comeſtionem praeuertiſſet: Atque ita

Christus in azymis celebrasse conuincitur. Sed respondemus facile. Christus enim celebrauit pascha in primis vesperis diei decimae quartae, die Iouis scilicet; sed tunc non erant in promtu placentae infermentatae; tunc enim incipiebant illas Iudaei comparare. Ergo Christus non potuit manducare azyma, quia nondum comparata erant.

§. XX.
CENSOR LATINVS.

Si sic est vt modo fingitur, si inquam Christus D. agni comestionem anteuertens, non perinde azymorum esum anteuertit, sed in fermentato coenam egit, quod non essent azyma praeparata; legem itaque violauit, hoc ipsum districte ac etiam sub maledicto vetantem. Immo nec pascha Iudaicum vere celebrasse censendus erit; cum azymorum comestio, quam is fingitur omisisse, paschalis ritus pars magna esset, a lege Mosaica diserte praescripta ac definita. a) Quae duo haud satis scio, an salua religione a quoquam concedi possint. Quare ne ea de Christo D. sinistra opinio cuiusquam insideat animo, id pro certo concludendum, statuendumque, Dominum, si quo casu paschalis agni comestionem anteuertisset, azymorum quoque comestionem anteuersurum fuisse, ne eo in casu peccaret in legem, quam se religiose semper impleturum declarauerat: non veni soluere legem, sed adimplere. Matth. V. 17. Neque enim Christum a legis violatione excusasset, quod, qua die pascha praemature celebrasse fingitur, praeparatae non essent placentae infermentatae. Quandoquidem

dem ad eas parandas lex obligabat, si quo forte casu in aliud tempus, quo illae in promtu non essent, paschatis celebrationem transferre contigisset; vt habetur lib. Num. cap. VIIII. 10.

ANIMADVERSIONES AD §. XX.

a) Alii, praeuiso hoc telo, Christum morte praepeditum pascha plane omisisse, quam id praeter legem sine azymis fecisse, adfirmatione comprobare maluerunt, de quibus statim dicendi locus aperietur. Inde accidit, vt paucissimis in occidente sententia illa Graeci probetur, quod bene monet HERMANNVS WITSIVS *Dissert. cit. in Melet. Leidens. p. 421.*

§. XXI.

CENSVRAE IN GRAECVM THEOLOGVM DISTRICTAE COROLLARIVM.

Ceterum mirari mihi subiit Graeco Theologo, vt suam illam de anticipata a Christo Domino paschatis celebratione sententiam nouis pigmentis obduceret, in mentem non venisse speciosam illam allegoricam rationem, ingeniosamque Gerardi Vossii considerationem, a) qua hoc idem systema adstruere sibi visus est Dissert. de tempore passionis §. 4. in qua etiam nonnulli e nostris

a) Aut ignorat vir doctissimus, aut nescio, qua de caussa dissimulatione tegit, sententiae eiusdem patronos in Graecis, qui vel VOSSIO viam praemonstrarent. Negauerit sane ea, quae PETRO ALEXANDRINO adscribuntur, erunt tamen alii scriptores, quos in locum eius surrogabimus.

delicias faciunt. Quod nempe anticipata, vt Graeci volunt, a Christo Domino paschatis celebratione, consequens sit, eum ad primas paschatis vesperas fuisse mortuum: atque ita factum (quod vtriusque testamenti analogia postulare videbatur) vt qua die typicus agnus a Iudaeis mactandus erat, verus agnus in cruce mactatus fuerit ab iisdem: atque ita veritas egregie typo responderit. b) Gratulor tamen maxime, quod speciosa illa Vossii consideratione captus non fuerit c) Graecus noster: quae si penitius expen-

b) Iter, hoc non prorsus neglexit Graecus, quin potius ea ipsa opinione praemunitus in palaestram prodire videtur, cuius radices fixas esse credit *1 Cor. V. 7.* vide §. *I. adnot.*

c) Praeter casam Graecus cucurrisset, si VOSSIO viro ceteroqui eruditissimo, in hoc argumento praemonstratore fuisset vsus. Poterat Graecos Graecus sequi atque ex fontibus domesticis haurire, quae ex rivulis remotis eum non deduxisse SERRY demiratur, ac triumphat. Quae enim de typo cum antitypo amice conspirante VOSSIVS habet, ea multo ante a Graecis cocta esse obseruamus. Documento est oratio ex *praefatione Chronici Alexandr.* adducta §. *I. in not.* itemque ea, quae indidem expromsimus *Hist. Concert. P. II. cap. VIII. §. I. p. 182.* Nec abnuit CHRYSOSTOMVS *Homil. in Io. LXXII. p. 424.* Αὐτὸς πρὸ μιᾶς (ante pascha Iudaicum) παρέδωκε πάσχα, τηρῶν τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν τῇ παρασκευῇ, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγίνετο τὸ πάσχα. APOLLINARIVS autem de Christi coena nouissima, τὸ δὲ δεῖπνον, ait, οὐκ ἦν ἡ τοῦ πάσχα βρῶσις, *Caten. in Io. XVIII. 28.* eamdemque concinnitatem simulacri et rei quaerit. At VICTOR ANTIOCHENVS diserte prodit: ἔχρην κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν καὶ ὥραν τότε τυπικὸν πάσχα καὶ τὸ ἀληθὲς

datur.

datur, non admodum vrgere deprehenditur. Rationes enim illae allegoricae, ex typorum cum veritate consonantia petitae, rem quidem, si fiat, congruentem ostendunt, factam nihilominus non euincunt. d) Cum veritatem typo in omnibus, ac per omnia respondere necesse non sit, in minutis potissimum circumstantiis, et adiunctis. Alias vix vllam veteris testamenti figuram impletam haberemus in nouo. Satis ergo in praesenti veritas typo respondet, si in hac ipsa festiuitate paschali, qua typicus agnus mactandus, edendusque erat, Christus verus agnus in cruce fuerit immolatus, etsi non eadem festiuae diei hora vtriusque mactatio facta sit. Typicus enim ante primas paschatis vesperas, hora post meridiem tertia, ac sole iam ad occasum inclinante mactari solitus erat, et sole prorsus occiduo manducari debebat, vt est apud Iosephum lib. 7. de bell. Iud. c. 17. Verus autem agnus Christus Dominus hora diei quasi sexta, seu ad meridiem in crucem est actus, et hora eiusdem nona exstinctus. e)

ἐπιτελεσθῆναι. *Cat. in Marc. XIIII. 1. et 13.* Fauent eidem adsertioni METRODORVS atque alii apud PHOTIVM *Cod. CXV.* et *CXVI.* vide CALMETI *Diss. sur la dern. Paque p. 64.* IO. DAMASCENI *Op. Tom. I. edit.* MICH. LEQVIEN *pag. 647. sequ.*

d) Egregie pro sententia contraria loquitur CALMETVS *Diss. cit. p. 66. Toutes les convenances du monde ne decident rien contre un fait certain; mais il est permis, de tirer des convenances, et de relever celles, qui suivent naturellement d'un fait bien prouvé.*

e) Manifesto hic secum pugnat Latinus. Quot enim momentis hora tertia pomeridiana a nona Iu-

Si quis tamen strictiorem veritatis cum figura, Christi cum agno typico analogiam, et consonantiam velit, non vnam, sed duplicem dabimus. Dicemusque, Christum Dominum hac ipsa prima paschatis vespera, qua typicus agnus immolabatur, et edebatur, ad mortem fuisse traditum a discipulo proditore, fuisse comprehensum, funibus ligatum, raptumque ad tribunal; atque ita iam tunc coepisse mactari, et quodammodo mori: f) etsi posthac tantum in crucem sit actus,

daica distat? Nonne ipsa hora a meridie tertia, est computationis Iudaicae nona? Deinde supra §. *IIII.* dedit, Christum aeque, atque agnum paschalem, non eodem quidem die, at hora certe tertia seu nona fuisse immolatum. Tandem tempus בין הערבים agno mactando statutum alii ab eo diei puncto repetunt, quo sol vltra Meridianum declinat, quo pacto sex horas pomeridianas complecteretur, atque pulcherrime tempus mortis Iesu tempori agnis iugulandis sacro responderet: alii, iique plurimi cum IOSEPHO a tertia pomeridiana illud inchoant, quo eodem agnus Dei obiit. At illi, qui spatium inter solis occidentis, eiusque radiorum in nubibus euanescentium momenta interiectum agnis occidendis adsignant, a regula quam longissime deflectunt: vid. VARENII *Dissert. de agno pasch. Hebr. pag. 441. sequ.*

f) Nulla est haec comparatio, nedum strictior, quam se adlaturum receperat. Scilicet cum Seruatorem vna cum Iudaeis agnum, prius quam in vincula duceretur, comedisse constituat, non potuit eodem ille tempore, quo agnus immolabatur, in hostium potestatem venire. Immo vero nec eodem die agni immolatio et Christi captiuitas vsu venit, si ecclesiasticum dies metiendi modulum sequimur.

atque

atque in illa exstinctus. Aut certe reponemus, Christum Dominum mactationis suae tempus altquantulum protraxisse, vt vel hoc pacto significaret, figuram ad finem tandem esse perductam; veritatemque supra figuram ipsam permansuram, et duraturam; g) legique veteri nouam tandem successisse: cuius idcirco nouus agnus non veteri prorsus ritu, sed quodammodo nouo immolabatur in cruce. His itaque longe missis, seu mysticis, seu propriis, ac litteralibus rationibus, quas omnes et futiles, et vanas ostendimus; illud certissime concludendum, Christum Dominum pascha suum, definita per legem die, celebrasse, nulloque pacto ante occupasse. h) Fuit illa certa semper, constans, et indubitata vtriusque olim ecclesiae sententia; i) cuius nobis te-

Ad extremum non strictior, sed latior comparatio inter ipsam mactationem, et raptum ad mactationem intercedit.

g) Neque haec omne fert punctum, licet adfinis sit eorum opinioni, qui multa altero demum die accidisse ferunt, cum pridie typi memoria esset celebrata. Conf. LIGHTFOOTI *Hor. Hebr. Talm. ad Act. II. 1.* Rationem longe expeditissimam ab ipsa hora Domino funesta atque agnis trucidandis praefinita petere, et consensum temporis notatu dignissimum inde deducere cur dubitauerit, equidem sum nescius: quod nihil eius sententiae obstitisset. vid. *Hist. Conc. P. II. cap. VIIII. §. I. p. 218. in not.*

h) Nimis haec adseueranter dici ex superioribus dilucet.

i) Noli credere, lector, quae magno hiatu promittuntur. Patrum, quos in testimonium citat, scripta curatius pensitantibus quacumque luce cla-

ftes locupletiſſimi ſunt, Tertull. lib. contra Iudaeos c. 9. Origenes Homil. 23. in Numeros, Cyrillus Ierofolymitanus Catecheſi 13. Euſebius Caeſarienſis lib. 10. Demonſtrationis Euangelicae cap. 6. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 82. in Ioannem, Epiphanius haereſi 30. Hieronymus in cap. 26. Matthaei, Leo Magnus ſerm. 7. de paſſione. A qua quidem conſtanti priorum omnium ſaeculorum ſententia deflectere velle, per ſpeciem vnius, alteriuſue ſcripturarum oraculi, et quidem male detorti, et in abſonum ſenſum inflexi, haud ſatis ſcio, an non audacioris conſilii ſit. k) Quid etiam, quod in ea praegraui controuerſia, de certo celebrandi Chriſtiani paſchatis die, quae a ſecundo Chriſtiani nominis ſaeculo, vniuerſam eccleſiam per annos amplius trecentos exercuit, Aſiaticis Luna 14. Martii vna cum Iudaeis celebrandum contendentibus, et Chriſti, quod ita celebraſſet, exemplo ſententiam tuentibus l) nullus ſanctorum patrum, ac Romano-

rius patebit, eos nec ſibi ipſos conſtare, nec omnes Latino ſuffragari, quin potius bene multos ipſi eſſe contrarios. Quod vel vno Chryſoſtomi exemplo ſupra arceſſito ad liquidum deducitur. Ne quid dicam de liturgiis Graecae eccleſiae antiquioribus, de quibus vid. *Hiſt. Concert. P. II. cap. VIII. §. III. p. 192.* neue de panis fermentati in eccleſia occidentali antiquitate, aliisque iam antea copioſius deſcriptis commemorem.

k) Sic non videmus, manticae quod in tergo eſt.

l) Gratis ac temere iſta adſtrui hiſtoriae commonſtrant. Neque ad exemplum Chriſti confugiebant Aſiatici, verum auctoritatem S. Ioannis et Philippi ſecuti, et caerimoniarum Iudaicarum iuſto nimis ſtudioſi paſcha non ſolum eodem, atque

rum Pontificum inuentus est vmquam, qui Christum Luna 14. cum Iudaeis re ipsa celebrasse negauerit; speciosumque illud Asiaticorum fundamentum falsi conuicerit; sed aliis longe multis quaesitis momentis Quartodecimanos impugnarunt. m) Adeo scilicet in vniuersa ecclesia, cum Latina, tum Graeca, illud certum, indubitatumque habebatur, Christum Dominum Luna decima quarta ad secundum vesperam vna cum Iudaeis pascha Iudaicum celebrasse. Alias tam expeditam diruendi praecipui Quartodecimanorum fundamenti viam minime neglexissent. n)

Hebraei, tempore, sed iisdem propemodum ritibus obibant, de die, quo Christus illud agitauerit, vnice securi. Quemadmodum ipsi apostoli in aliis diebus festis colendis ad Iudaeorum mores rationes suas adiungebant *Act. XX. 16.* Atque eo nomine cum diem XIIII. Nisan ex praescripto Mosis vna cum Iudaeis sanctam haberent, idque institutum pertinacius seruarent, ab occidentalibus τεσσαρεσκαιδεκατῆται, seu Quartodecimani compellabantur. Vide SOCRATIS *Hist. lib. V. cap. XXI. p. 695.* et CONSTANTINI M. *epistolam* apud EVSEBIVM, SOCRATEM et NICEPHORVM *loc. adleg.* in *Hist. Concert. Part. I. cap. II. §. III. p. 24.*

m) Iisdem verbis haec legas, licet, in eius *Exercitat. de Christo Exercit. L. §. III. p. 342.*

n) Neutra factio ad diem mortis Iesu animum in concertatione illa aduertit, ad eum autem diem, quo vitam recepit, vtraeque partes identidem recurrunt, et exemplo atque institutione apostolorum vtrimque nituntur: dum orientales IOANNEM iuxta, et PHILIPPVM, at occidentales PETRVM pariter ac PAVLLVM moris sui patronos adoptant. Tum vero tenendum hic, quod obseruat CALMETVS *cit. loc. p. 64.*

Quae

Quae sane consideratio Theologum omnem, cui non omnino frons periit, continere in officio sola posset, ne quid mussitet in oppositum, neue nouas de postrema Christi Domini paschate opinationes, quas tota retro damnauit antiquitas, tueri praesumat, atque defendere. o) Iis attendant velim nonnulli Romanae communionis Theologi recentiores, qui ea, quam hactenus impugnauimus, de anticipato a Christo Domino Iudaici paschatis tempore, sententia plus nimio delectati, ac veluti fascinati, consecutionem inde eliciunt multo periculosiorem: p) Christum scilicet Iudaicum pascha minime celebrasse; agnumque et azyma minime comedisse; sed ritu Iudaico plane neglecto, eucharisticam duntaxat coenam instituisse, corpusque suum et sanguinem sub mysticis symbolis sumendum apostolis tradidisse. q) Conse-

o) Bilem mouet Latino sententia ab omni, vt putat, antiquitate damnata, quae tamen nec ante saec. XI in litem venit, neque vmquam ab ecclesia fuit profligata.

p) Cur autem periculo magis expositam? Detegam pellem, tangam vlcus. Veretur, ne inde efficiant, Christum pane fermentato eucharistiam instituisse, atque ea ratione azymis Latinis quicquam pretii decedat. Suo se prodidit indicio, vt ostendimus in *Hist. Concert. Part. II. cap. VIIII. §. I. pag.* 233.

q) In Theologis Latinis eius opinionis fuere non inuentores, vtpote quae Graecis quibusdam iam inde ab antiquissimis temporibus insedit, sed adstipulatores, actoresque bene mul[illegible] [illegible]uos potissimos in arenam eduximus [illegible] *loc. cit.*

cutionem

cutionem illam ex falso principio, etsi gratis admitteretur, via nulla, ratione nulla fluentem damnat ecclesia r) catholica in sacris precum officiis; Iudaicum pascha, agnum nimirum et azyma a Christo in vltima coena comestum adfirmans: Noctis recolitur coena nouissima, qua Christus creditur agnum, et azyma dedisse fratribus iuxta legitima priscis indulta patribus: Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis, sic totum omnibus, quod totum singulis, eius fatemur manibus. Damnat concilium Trident. sess. 22. cap. 1. Christus, inquiens, in coena nouissima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituit pascha. Damnat constans, et firma patrum traditio, Origenis Tract. 35. in Matthaeum, S. Ioannis Chrysostomi Homil. 82. in Ioann. S. Hieronymi in cap. 26. Matthaei, S. Augustini epist. 86. S. Epiphanii haeresi 30. Cyrilli, Theodoreti, Eusebii, Bedae, aliorumque a D. Thoma laudatorum in Catena aurea ad cap. 22. Lucae v. 15. A qua quidem tra-

r) Neutiquam damnat sententiam contrariam, sed suam tantum exponunt mentem in locis adlegatis ecclesiae Latinae doctores, relicto suo cuique sensu, quod praeclare monet AVGVST. CALMETVS *Differt. adducta p. 60.* Tandem si istiusmodi armis pugnare libet, liturgiae Graecorum eiusdem fidei auctoritatis, quae Christum panem fermentatum consecrasse plus nimio inculcant, a parte aduersa in acie consistent.

ditione

ditione nemo patrum abscessit, s) Christumque Iudaici paschatis celebrationem omisisse commentus est. Quod enim a nupero illius systematis defensore t) iactatum initio fuerat, D. Petrum Alexandrinum, in praefatione Chronici Paschalis, seu Alexandrini, nuperrime a Carolo du Cange publicati, illud idem acerrime propugnasse; veterumque patrum, Clementis Alexandrini, Apollinaris Hieropolitani, Hippolyti Portuensis auctoritate confirmasse: id inquam sibilis, et risu ab eruditis vniuersis exceptum est: quibus certo liquet, praefationis illius, ex variis variorum scriptorum centonibus consarcinatae auctorem non esse, nec esse posse Magnum illum Petrum Alexandrinum, anno 311. martyrio functum; cum scriptores laudet, variaque gesta narret, aetate illa longe posteriora: prolata vero illic Clementis, Apollinaris, Hippolyti testimonia sola referentis fide niti, lubrica certe, ac plane nulla. Quibus motus Clarissimus Chronici publicator Carolus du Cange, hanc miserae huic laciniae notam appinxit ad marginem, falsa sunt ista. v) Quare id certo relinqui-

s) Discessit PETRVS ALEXANDRINVS, vel, quisquis est, auctor *praefat. Chronici Alexandrini*, VICTOR ANTIOCHENVS, aliique paullo ante nominati.

t) AVGVSTINVM CALMETVM saepe laudatum notat.

v) Si maxime PETRO ALEXANDRINO illa demantur, non eiicientur tamen ex omni antiquitate. Neque ideo, quia nonnulla eodem in loco deprauata sunt, et haec testimonia in nullis haben-

tur,

tur, x) patrum omnino neminem nouo huic systemati suffragari. y) Patribus autem summo consensu statuentibus, Christum Dominum Iudaicam coenam, seu agnum paschalem in mortis peruigilio manducasse, diuinasque scripturas in eum sensum interpretantibus, ingentis audaciae, ac petulantiae est, z) oppositum statuere

da duxerim. Etenim si is demum labor patribus ecclesiae vetustissimis erit adscribendus, qui a vitiis eiusmodi vel certe suspicione corruptionis ex omni parte immunis est; quot per Deum! erunt scripta sine auctore, quot parentes sine fetibus?

x) Adeo altis opiniones praesumtae radicibus defixae sunt, vt incerta vel adeo falsa pro veris habeant homines, et, quasi pestilenti quodam sidere adflati, tamquam qui morbo oculorum laborant, omnia alia a se remota iudicent obscuriora.

y) Quo iure nouum id appellet didicisti, credo, ex superioribus: atque i nunc, et iudica.

z) Sic sua cuique pulchra. Verum aduersae sententiae adsensores istam vituperationem nullo negotio propulsant, atque omne petulantiae crimen diluunt, cum ab ecclesia libertas statuendi hac in caussa relicta sit, atque inuisa illa Latino demonstratio omnium optime cum scriptoribus sacris congruat, neque patres antiquiores ab eadem regula penitus abfuerint. Vnde mirum videri posset, tot esse in Latinis, a quibus in partem hanc euntes variis semper modis exagitentur, pessimeque exerceantur. Quam in sententiam queritur CALMETVS *cit. loc. pag. 65. Les modernes etoient si peu disposez à entrer dans l'examen de cette difficulté,*

velle,

velle, ſacrasque ſcripturas in contrarium ſenſum inflectere.

que l'on traitoit comme des heretiques, ou des viſionaires ceux, qui oſoient ſ'en ouvrir. Vecchiettus fut mis dans le priſon de l'Inquiſition, pour avoir osé ſ'eloigner du ſentiment commun. Et paullo poſt: *Le grand nombre des approbateurs de l'autre ſentiment, ne doit donc pas etre d'un grand poids.*



CON-



CONSPECTVS ET DESCRIPTIO LIBRI.

§. II.

stes locupletissimi sunt, Tertull. lib. contra Iudaeos c. 9. Origenes Homil. 23. in Numeros, Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 13. Eusebius Caesariensis lib. 10. Demonstrationis Euangelicae cap. 6. Ioannes Chrysostomus Homil. 82. in Ioannem, Epiphanius haeresi 30. Hieronymus in cap. 26. Matthaei, Leo Magnus serm. 7. de passione. A qua quidem constanti priorum omnium saeculorum sententia deflectere velle, per speciem vnius, alteriusue scripturarum oraculi, et quidem male detorti, et in absonum sensum inflexi, haud satis scio, an non audacioris consilii sit. k) Quid etiam, quod in ea praegraui controuersia, de certo celebrandi Christiani paschatis die, quae a secundo Christiani nominis saeculo, vniuersam ecclesiam per annos amplius trecentos exercuit, Asiaticis Luna 14. Martii vna cum Iudaeis celebrandum contendentibus, et Christi, quod ita celebrasset, exemplo sententiam tuentibus l) nullus sanctorum patrum, ac Romano-

rius patebit, eos nec sibi ipsos constare, nec omnes Latino suffragari, quin potius bene multos ipsi esse contrarios. Quod vel vno Chrysostomi exemplo supra arcessito ad liquidum deducitur. Ne quid dicam de liturgiis Graecae ecclesiae antiquioribus, de quibus vid. *Hist. Concert. P. II. cap. VIII. §. III. p. 192.* neue de panis fermentati in ecclesia occidentali antiquitate, aliisque iam antea copiosius descriptis commemorem.

k) Sic non videmus, manticae quod in tergo est.

l) Gratis ac temere ista adstrui historiae commonstrant. Neque ad exemplum Christi confugiebant Asiatici, verum auctoritatem S. Ioannis et Philippi secuti, et caerimoniarum Iudaicarum iusto nimis studiosi pascha non solum eodem, atque

rum

rum Pontificum inuentus est vmquam, qui Christum Luna 14. cum Iudaeis re ipsa celebrasse negauerit; speciosumque illud Asiaticorum fundamentum falsi conuicerit; sed aliis longe multis quaesitis momentis Quartodecimanos impugnarunt. m) Adeo scilicet in vniuersa ecclesia, cum Latina, tum Graeca, illud certum, indubitatumque habebatur, Christum Dominum Luna decima quarta ad secundam vesperam vna cum Iudaeis pascha Iudaicum celebrasse. Alias tam expeditam diruendi praecipui Quartodecimanorum fundamenti viam minime neglexissent. n)

Hebraei, tempore, sed iisdem propemodum ritibus obibant, de die, quo Christus illud agitauerit, vnice securi. Quemadmodum ipsi apostoli in aliis diebus festis colendis ad Iudaeorum mores rationes suas adiungebant *Act. XX. 16.* Atque eo nomine cum diem XIIII. Nisan ex praescripto Mosis vna cum Iudaeis sanctam haberent, idque institutum pertinacius seruarent, ab occidentalibus τεσσαρεσκαιδεκατῖται, seu Quartodecimani compellabantur. Vide SOCRATIS *Hist. lib. V. cap. XXI. p. 695.* et CONSTANTINI M. *epistolam* apud EVSEBIVM, SOCRATEM et NICEPHORVM *loc. adleg.* in *Hist. Concert. Part. I. cap. II. §. III. p. 24.*

m) Iisdem verbis haec legas, licet, in eius *Exercitat. de Christo Exercit. L. §. III. p. 342.*

n) Neutra factio ad diem mortis Iesu animum in concertatione illa aduertit, ad eum autem diem, quo vitam recepit, vtraeque partes identidem recurrunt, et exemplo atque institutione apostolorum vtrimque nituntur: dum orientales IOANNEM iuxta, et PHILIPPVM, at occidentales PETRVM pariter ac PAVLLVM moris sui patronos adoptant. Tum vero tenendum hic, quod obseruat CALMETVS *cit. loc. p. 64.*

Quae

Quae sane consideratio Theologum omnem, cui non omnino frons periit, continere in officio sola posset, ne quid mussitet in oppositum, neue nouas de postremo Christi Domini paschate opinationes, quas tota retro damnauit antiquitas, tueri praesumat, atque defendere. o) *Iis attendant velim nonnulli Romanae communionis Theologi recentiores, qui ea, quam hactenus impugnauimus, de anticipato a Christo Domino Iudaici paschatis tempore, sententia plus nimio delectati, ac veluti fascinati, consecutionem inde eliciunt multo periculosiorem:* p) *Christum scilicet Iudaicum pascha minime celebrasse; agnumque et azyma minime comedisse; sed ritu Iudaico plane neglecto, eucharisticam duntaxat coenam instituisse, corpusque suum et sanguinem sub mysticis symbolis sumendum apostolis tradidisse.* q) *Conse-*

o) Bilem mouet Latino sententia ab omni, vt putat, antiquitate damnata, quae tamen nec ante saec. XI in litem venit, neque vmquam ab ecclesia fuit profligata.

p) Cur autem periculo magis expositam? Detegam pellem, tangam vlcus. Veretur, ne inde efficiant, Christum pane fermentato eucharistiam instituisse, atque ea ratione azymis Latinis quicquam pretii decedat. Suo se prodidit indicio, vt ostendimus in *Hist. Concert. Part. II. cap. VIIII. §. I. pag.* 233.

q) In Theologis Latinis eius opinionis fuere non inuentores, vtpote quae Graecis quibusdam iam inde ab antiquissimis temporibus insedit, sed adstipulatores, actoresque bene multi, quos potissimos in arenam eduximus *Hist. Concert. loc. cit. pag.* 231.

cutionem

cutionem illam ex falſo principio, etſi gratis admitteretur, via nulla, ratione nulla fluentem damnat eccleſia r) catholica in ſacris precum officiis; Iudaicum paſcha, agnum nimirum et azyma a Chriſto in vltima coena comeſtum adfirmans: Noctis recolitur coena nouiſſima, qua Chriſtus creditur agnum, et azyma dediſſe fratribus iuxta legitima priſcis indulta patribus: Poſt agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum diſcipulis, ſic totum omnibus, quod totum ſingulis, eius fatemur manibus. Damnat concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. Chriſtus, inquiens, in coena nouiſſima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri paſcha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, nouum inſtituit paſcha. Damnat conſtans, et firma patrum traditio, Origenis Tract. 35. in Matthaeum, S. Ioannis Chryſoſtomi Homil. 82. in Ioann. S. Hieronymi in cap. 26. Matthaei, S. Auguſtini epiſt. 86. S. Epiphanii haereſi 30. Cyrilli, Theodoreti, Euſebii, Bedae, aliorumque a D. Thoma laudatorum in Catena aurea ad cap. 22. Lucae v. 15. A qua quidem tra-

r) Neutiquam damnat ſententiam contrariam, ſed ſuam tantum exponunt mentem in locis adlegatis eccleſiae Latinae doctores, relicto ſuo cuique ſenſu, quod praeclare monet AVGVST. CALMETVS *Diſſert. adducta p. 60.* Tandem ſi iſtiusmodi armis pugnare libet, liturgiae Graecorum eiusdem fidei atque auctoritatis, quae Chriſtum panem fermentatum conſecraſſe plus nimio inculcant, a parte aduerſa in acie conſiſtent.

ditione

ditione nemo patrum abſceſſit, s) Chriſtumque Iudaici paſchatis celebrationem omiſiſſe commentus eſt. Quod enim a nupero illius ſyſtematis defenſore t) iactatum initio fuerat, D. Petrum Alexandrinum, in praefatione Chronici Paſchalis, ſeu Alexandrini, nuperrime a Carolo du Cange publicati, illud idem acerrime propugnaſſe; veterumque patrum, Clementis Alexandrini, Apollinaris Hieropolitani, Hippolyti Portuenſis auctoritate confirmaſſe: id inquam ſibilis, et riſu ab eruditis vniuerſis exceptum eſt: quibus certo liquet, praefationis illius, ex variis variorum ſcriptorum centonibus conſarcinatae auctorem non eſſe, nec eſſe poſſe Magnum illum Petrum Alexandrinum, anno 311. martyrio functum; cum ſcriptores laudet, variaque geſta narret, aetate illa longe poſteriora: prolata vero illic Clementis, Apollinaris, Hippolyti teſtimonia ſola referentis fide niti, lubrica certe, ac plane nulla. Quibus motus Clariſſimus Chronici publicator Carolus du Cange, hanc miſerae huic laciniae notam appinxit ad marginem, falſa ſunt iſta. v) Quare id certo relinqui-

s) Diſceſſit PETRVS ALEXANDRINVS, vel, quisquis eſt, auctor *praefat. Chronici Alexandrini*, VICTOR ANTIOCHENVS, aliique paullo ante nominati.

t) AVGVSTINVM CALMETVM ſaepe laudatum notat.

v) Si maxime PETRO ALEXANDRINO illa demantur, non eiicientur tamen ex omni antiquitate. Neque ideo, quia nonnulla eodem in loco deprauata ſunt, et haec teſtimonia in nullis haben-

tur,

tur, *x*) *patrum omnino neminem nouo huic ſyſtemati ſuffragari.* *y*) *Patribus autem ſummo conſenſu ſtatuentibus, Chriſtum Dominum Iudaicam coenam, ſeu agnum paſchalem in mortis peruigilio manducaſſe, diuinaſque ſcripturas in eum ſenſum interpretantibus, ingentis audaciae, ac petulantiae eſt,* z) *oppoſitum ſtatuere*

da duxerim. Etenim ſi is demum labor patribus eccleſiae vetuſtiſſimis erit adſcribendus, qui a vitiis eiusmodi vel certe ſuſpicione corruptionis ex omni parte immunis eſt; quot per Deum! erunt ſcripta ſine auctore, quot parentes ſine fetibus?

x) Adeo altis opiniones praeſumtae radicibus defixae ſunt, vt incerta vel adeo falſa pro veris habeant homines, et, quaſi peſtilenti quodam ſidere adflati, tamquam qui morbo oculorum laborant, omnia alia a ſe remota iudicent obſcuriora.

y) Quo iure nouum id appellet didiciſti, credo, ex ſuperioribus: atque i nunc, et iudica.

z) Sic ſua cuique pulchra. Verum aduerſae ſententiae adſenſores iſtam vituperationem nullo negotio propulſant, atque omne petulantiae crimen diluunt, cum ab eccleſia libertas ſtatuendi hac in cauſſa relicta ſit, atque inuiſa illa Latino demonſtratio omnium optime cum ſcriptoribus ſacris congruat, neque patres antiquiores ab eadem regula penitus abfuerint. Vnde mirum videri poſſet, tot eſſe in Latinis, a quibus in partem hanc euntes variis ſemper modis exagitentur, peſſimeque exerceantur. Quam in ſententiam queritur CALMETVS *cit. loc. pag. 65. Les modernes etoient ſi peu diſpoſez à entrer dans l'examen de cette difficulté,*

velle,

velle, ſacrasque ſcripturas in contrarium ſenſum inflectere.

que l'on traitoit comme des heretiques, ou des viſionaires ceux, qui oſoient ſ'en ouvrir. Vecchiettus fut mis dans le priſon de l'Inquiſition, pour avoir osé ſ'eloigner du ſentiment commun. Et paullo poſt: *Le grand nombre des approbateurs de l'autre ſentiment, ne doit donc pas etre d'un grand poids.*



CON-



CONSPECTVS ET DESCRIPTIO LIBRI.

§. II.

§. IIII

INDEX SCRIPTORVM.

A

Boh-

Cafau-

D. Dal-

D

E

F

Felleri

G

H. Har-

H

I

Leonis

Paullus

S

Span-

INDEX RERVM.

Agros

H. Hora

H

I

L

crationis

de

Typus

EMENDANDA.

pag. 25. lin. 21. lege *leuissima.*
- - 32. - 4. in not. Ῥώμης.
- - 52. - 5. lege *prosecutos.*
- - 67. - 23. - *lenonem.*
- - 90. - 16. - *quantulumcumque.*
- - 94. - 11. - *facturus.*
- - 121. - 10. voci *obtinendum* praemitte *ad.*
- - 152. - 2. in not. lege Γρηγορίῳ.
- - 202. - 3. - - תודה
- - 206. - 7. lege *quae.*
- - 207. - 3. *Iudaicos* et lin. 8. *alienis.*
- - 271. - 3. loco *autem* ponatur *neutiquam.*
- - 278. - 14. lege *arcessere.*
- - 342. - 1. in not. lege *Ludolphi.*
- - 347. - 9. lege *Cuius.*
- - 413. - 27. vocibus *atque et* interferatur *etiam.*
- - 444. - 2. lege *sollemni.*
- - 446. - 2. - יום טוב

F I N I S.

